
NON INFERIORA.

MAXIMILIANI SENGEBUSCH

HOMERICA DISSERTATIO

PRIOR.

Poëtarum quod non nemini accidit ut de vita, patria, aetate ejus pauca traderentur aut prorsus nihil, eo ut Homerus prematur tantum abest ut praestantissimorum testimoniorum multitudine et varietate fere obrui videaris. Continetur testimoniorum magna pars vitis Homeri octo Graece scriptis; plurima tamen non vitae suppeditant, sed alii scriptores oblata vel arrepta occasione de Homero alius alia narrantes. Namque Homeri tanta admiratio incesserat omnes et Graecos et Romanos, ut vix unum et alterum legas scriptorem quin mentionem ejus factam reperias. Et haec quidem testimonia multorum per libros sparsa, quum multa a recentioris aevi doctis viris sint congesta, tamen a quo colligerentur in unum quasi corpus universa nullus dum exstitit. Quo fit ut non sine molestia hisce testimoniis utaris undecumque conquirendis. Facilior usus est vitarum. Has enim omissis nonnullis quae mox indicabo Antonius Westermann collegit in libro *Βιογράφοι* inscripto qui prodiit Brunsvigae 1845.

Quattuor ex vitis nullum prae se ferunt scriptoris nomen, Westermanni quarta, quinta, sexta, octava. Earum tres de solo Homero sunt scriptae, una, apud Westermannum octava, Homeri casus varios et Hesiodi una complectitur ita ut imprimis enarret, quomodo inter sese musico certamine illi dimicaverint Chalcide in urbe Euboeae insulae a Ganyctore Chalcidensium rege instituto. Inde *Ἀγῶνα* sive „Certamen" appellant eam vitam.

Venio ad alteram vitarum partem earum, quae scriptorum nominibus sunt signatae. Ex iis una, Westermanni prima, Herodoti Halicarnassensis historici celeberrimi nomen prae se fert. Incipit ea hisce verbis: *Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεὺς περὶ Ὁμήρου γενέσιος καὶ ἡλικίης καὶ βιοτῆς τάδε ἱστόρηκε, ζητήσας ἐπεξελθεῖν εἰς τὸ ἀτρεκέστατον.* Sed fraudem

eam esse hodie omnes consentiunt. Nam hujus vitae ne unum quidem verbum ab Herodoto illo profectum esse nemo est quin facile perspiciat. Conscribere vero auctor, quem ignoramus, eadem dialecto, qua Herodotus usus esset in conscribendis historiarum libris, Ionica scilicet conatus est libellum, ut fraudi fidem adderet; quo eodem consilio ductus, quum Herodoti historiarum initium sint verba *Ἡροδότου Ἁλικαρνησσέος ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε*, eo modo quem repraesentavi, utpote Herodoti simillimo est exorsus. Quod de hoc libello, idem valet de alio, cujus fronti praefixum est nomen Plutarchi. Qua inscriptione decepti fuerunt qui a Plutarcho, clarissimo illo vitarum parallelarum scriptore, libellum confectum esse sibi persuaderent. Sed hos falsos fuisse dudum constat. Duas libelli partes esse primus aspectus docet, quarum utraque operis absoluti prae se fert speciem. In priori multa de vita, de poësi Homeri pauca exponuntur, in posteriori, quae multo longior est quam altera illa, de poësi plurima, de vita pauciora. Westermann in corpus suum (sub numero *β'*) ea tantum recepit, quae de vita in parte priori leguntur; posteriorem totam vir doctissimus praef. p. VI sese praetermisisse ait, quod in iis, quae ad Homeri vitam pertineant, cum vita quinta plerumque concinat. Hoc minus recte dixisse videtur Westermann. Ut a priori libelli nomen Plutarcheum mentientis parte ita posterior pars a vita quinta multis numeris differt iisque haud levibus.

De tribus igitur trium illarum scriptionum cogitandum est auctoribus. Hoc vero constat scripsisse Plutarchum opus peculiare de Homero, cujus certus *Μελετῶν Ὁμηρικῶν* et *Μελετῶν Ὁμήρου* designatur titulus nonnullis locis (vid. e. g. scholl. *O* 625 Etymol. m. s. v. *Ἀνεμοτρεφὲς κῦμα*), liber autem primus laudatur a Gellio 4, 11, secundus ab eodem 2, 8 et 9. Locos Gellii solos respexit J. F. Lauer in libro inscripto Geschichte der homerischen Poësie p. 71 sq, ubi statuit utramque de Homero dissertationem Plutarchi nomine vulgo donatam ex germano Plutarchi opere esse excerptam. Cui sententiae id certe non refragatur, quod eorum, quae Gellius ll. cc. et reliqui auctores veteres ex Plutarcho proferunt, ne verbum quidem legitur in dissertationibus; sunt enim talia qualia epi-

tomatoris sit omittere; sed refragatur quam maxime discrepantia, quam inter dissertationes interesse dixi. Haec enim tanta est, ut excerptas eas esse ex eodem opere credibile non videatur. Cujus rei ut unum proferam exemplum, non solum quae altera non exhibeat in utralibet dissertatione de patria et aetate Homeri quaedam leguntur, sed etiam in iis, quae communia habent, ordinem narrationis prorsus diversum sequuntur, id quod cuivis libellum paullo accuratius lustranti patet. Aliam viam ingressus in programmate gymnasii quod est Berolini Francogallici 1850 edito Rudolphus Schmidt priorem dissertationem sprevit nihil fere eam praestare p. 3 autumans praeter futiles quasdam et ineptas de Homero poëta fabellas brevemque Troicorum enarrationem. Hanc igitur nihil curavit; posteriorem vero summa contentione nisus est Porphyrio vindicare, tertii post Chr. n. saeculi philosopho, cujus opuscula quaedam Homerica exstant, Quaestiones Homericae, dissertatio De antro nympharum in Odysseae libro tertio decimo descripto, scholia multa. Iniquissimum sane Schmidtii judicium est de priori dissertatione, qua aegre profecto careremus. Sed quod ad posteriorem attinet, haud improbabilis visa est sententia. Vellem modo commemorasset vir doctissimus ea, quae Suidas de Porphyrio s. vv. *Ὅμηρος* et *Ἡσίοδος* narrat. Priori loco is haec dicit: *καὶ γέγονε δὲ* (intell. *Ὅμηρος*) *πρὸ τοῦ τεθῆναι τὴν πρώτην Ὀλυμπιάδα πρὸ ἐνιαυτῶν νζ´, Πορφύριος δ᾽ ἐν τῇ Φιλοσόφῳ ἱστορίᾳ πρὸ ρλβ´ φησίν. ἐτέθη δ᾽ αὕτη μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν ἐνιαυτοῖς ὕστερον υζ´. τινὲς δὲ μετὰ ρξ´ μόνους ἐνιαυτοὺς τῆς Ἰλίου ἁλώσεως τετέχθαι ἱστοροῦσιν Ὅμηρον, ὁ δὲ ῥηθεὶς Πορφύριος μετὰ σοε´.* Idem s. v. *Ἡσίοδος*: *ἦν δ᾽ Ὁμήρου κατά τινας πρεσβύτερος* (intell. *ὁ Ἡσίοδος*), *κατὰ δ᾽ ἄλλους σύγχρονος. Πορφύριος δὲ καὶ ἄλλοι πλεῖστοι νεώτερον ρ´ ἐνιαυτοῖς ὁρίζουσιν, ὡς λβ´ μόνους ἐνιαυτοὺς συμπροτερεῖν τῆς α´ Ὀλυμπιάδος.* Haec quomodo ad ea quadrant, quae in dissertatione illa, quam Schmidt Porphyrio adscribit, de Homeri aetate scripta leguntur? Exposita ibi primum Aristarchi, dein Cratetis sententia, disputatio de Homeri aetate his verbis absolvitur: *ἀλλὰ παρὰ τοῖς πλείστοις πεπίστευται μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωικῶν γεγονέναι, οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπίων, ἀφ᾽ ἧς ὁ*

κατὰ Ὀλυμπιάδα χρόνος ἀριθμεῖται. Nil amplius. Ea igitur temporis definitio, quam Suidas Porphyrii esse dicit, in hac scriptione ne commemoratur quidem, cujus scriptorem in eam sententiam, quam ultimo loco posuit, et ipsum abire patet. Praeter eam ex multis quae fuerunt duas tantum dignas habuit quas commemoraret, Aristarchi et Cratetis, virorum principum. Quibus commemoratis suam ipsius sententiam exponit, quam plurimorum esse dicit. Atqui haec non est ea quam Suidas Porphyrii esse prodidit.

His ex angustiis vererer ne non elaberemur, si corruptum esse locum dissertationis fas non esset credere. Sed enim quae ibi dicuntur ea non solum sententiae Porphyrii a Suida prolatae repugnant, sed etiam sibi ipsi. Quis enim concedet, verbis *μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωικῶν* commode idem indicari tempus quod appositis indicetur *οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπίων, ἀφ' ἧς ὁ κατὰ Ὀλυμπιάδα χρόνος ἀριθμεῖται*? Memineris velim primam positam esse Olympiadem anno 776 a. Chr., Trojam vero ex sententia longe plurimorum captam anno 1183 a. Chr. Hac temporis definitione spreta si Trojam aliquot saeculis post eversam esse hic auctor putabat, id certe indicare debebat. Sed non putasse certissimum est. Qui igitur dicere poterat, annum centesimum p. Tr. captam, qui ei 1083 a. Chr. n. erat, parvo temporis intervallo ab anno 776 a. Chr. n. esse sejunctum?

Nec ad ea quae antecedunt verba *μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωικῶν* apta sunt. Narrata enim initio Aristarchea aetatis definitione ad Cratetem pergit auctor his verbis: *οἱ δὲ περὶ Κράτητα καὶ πρὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου λέγουσιν αὐτὸν γενέσθαι, ὡς οὐδὲ ὅλα ἔτη ὀγδοήκοντα ἀπέχειν τῶν Τρωικῶν.* Sequitur illud *ἀλλὰ παρὰ τοῖς πλείστοις πεπίστευται.* Particulis igitur *καί, οὐδέ, ἀλλά* aperte indicat scriptor, etiam Aristarchum primo loco commemoratum, qui Homerum ad centesimum quadragesimum p. Tr. c. annum referat, nimis vetusta tempora computare; Cratetem vero addit etiam vetustiora exhibere. Sequitur illud *ἀλλά.* Jam jam exspectas sententiam in medium prolatum iri quae opposita sit Aristarcho Cratetique nimis vetustum facientibus poëtam. Quid vero dicit? Plurimos referre Homerum ad annum 100 p. Tr. c., quae

temporis definitio minime opposita est Aristarcheae et Crateteae, sed media inter eas. Haec bene non procedunt. Contra quae insequuntur apposita verba οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπίων ea aptissima sunt ad priora illa. Nam si quis dixit eos, qui Homerum ad annum 140 p. Tr. c. referant, nimis vetustum illum habere, esse vero, qui etiam vetustiorem habeant Homerum, is commode perget ita: „Sed plurimis secus videtur; etenim haud multo ante Ol. 1 faciunt viventem." Possunt autem verba illa μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωικῶν non interrupto tolli reliquo sermone. His igitur perpensis, opinor, non dubitabis verba μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῶν Τρωικῶν spuria judicare. Quae si quaeris unde irrepserint evolvas quaeso priorem dissertationem Pseudoplutarcheam, cujus in cap. 5 de Homeri aetate haec narrantur: γενέσθαι δὲ αὐτόν φασι τοῖς χρόνοις οἱ μὲν κατὰ τὸν Τρωικὸν πόλεμον, οὗ καὶ αὐτόπτην γενέσθαι· οἱ δὲ μετὰ ἑκατὸν ἔτη τοῦ πολέμου· ἄλλοι δὲ μετὰ πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. Hic centesimi p. Tr. c. anni computationem quadrare vides ad reliqua; sed omnia alia sunt quam quae dissertatio posterior habet excepta sola centesimi illa p. Tr. c. anni definitione, quae postquam conjunctim exhiberi dissertationes coeptae sunt, vel casu vel consilio sane quam inepto ex priori in posteriorem translata est. Ejecta hac definitione quae exhibet reliqua dissertatio posterior, verba dico παρὰ δὲ τοῖς πλείστοις πεπίστευται γεγονέναι οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπίων κτἑ. cum iis, quae Suidas de Porphyrio dicit, bene conveniunt. Nam si ad Aristarchi illas et Cratetis temporum definitiones eum conferas annum, quo Homerum natum esse ex sententia Porphyrii Suidas narrat, annum dico 132 a. Ol. 1, is certe annus verbis οὐ πολὺ πρὸ τῆς θέσεως τῶν Ὀλυμπίων commode indicatur.

Soluta hac difficultate equidem nunc nihil video, quod objici possit conjecturae Schmidtii. Concedamus igitur, donec meliora ab aliis edoceamur, scriptam videri posse a Porphyrio posteriorem dissertationem. Priorem qui composuerit, prorsus incertum manet *).

---

*) Hanc libelli mei partem quum absolvissem sero allata ad me est dissertatio inauguralis Julii Wollenberg edita 1854 Be-

Restant duae vitae, Westermanni tertia et septima, altera in Suidae lexico servata Byzantini, opere amplissimo undecimi p. Chr. n. saeculi Graece conscripto, s. v. Ὅμηρος, altera ex Procli Chrestomathia grammatica excerpta, quattuor librorum opere deperdito. Hunc Proclum olim Proclum Diadochum esse censebant, quinti p. Chr. n. saeculi philosophum, cujus aliquam scriptionem, trium librorum opus, Chrestomathiae titulo insignitam fuisse constat. Welckerus autem Proclum eum, cujus e chrestomathia vita Homeri excerpta est, diversum fuisse docuit a Proclo Diadocho; vide Welckeri librum inscriptum Der epische Cyclus 1 p. 3—7, 2 p. 497 sqq.

Vixisse Proclum chrestomathiae ejus auctorem ex qua vita Homeri excerpta est altero post Chr. n. saeculo Welcker statuit. Suidianam Homeri vitam ad saeculum undecimum p. Chr. n. pertinere indicavi. Pseudoplutarchei operis pars posterior si Porphyrio vindicanda est, ad tertium p. Chr. n. saeculum pertinet; si Porphyrium auctorem esse negas, primo certe ante Chr. n. saeculo vetustiorem dissertationem habere non potes. Nominatur enim in capite 2 Dionysius Thrax, quem circa annum 100 a. Chr. n. viguisse constat. Simili ratione de Pseudoplutarchea priori statuendum, cujus in capite 4 epigramma profertur Antipatri de Homero scriptum. Duos tradunt Antipatros epigrammatis scribendis sese dedisse, alterum Thessalonicensem, qui Tiberio regnante vixit, alterum Sidonium, Dionysii Thracis aequalem. Jam eligas alterumutrum: id apparet, saeculo primo a. Chr. n. dissertationem non antecedere.

Vita Herodoto supposita altero post Chr. n. saeculo inferior non est, siquidem Tatianus, qui versus finem ejus saeculi vixit, eam vitam novit. Recenset vero is Orat. ad Graecc. cap. 31 inter eos, qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint, Herodotum Halicarnassensem, quam notationem ad eos historiarum locos, ubi de Homero loquitur Herodotus, referre non licet. Uno enim ex his locis, 2, 53, de Homeri aetate et poësi dicit Herodotus, reliquis de sola poësi, de genere nusquam. Difficilius est terminum indagare, supra quem

rolini, qua libri De Porphyrii studiis philologis particula continetur inscripta „De Porphyrii studiis Homericis." Disputat Wollenberg adversus Schmidtium, quod indicasse nunc sufficiat.

scriptio removeri nequeat. Callide enim cavit auctor, ne quid imprudenter jactaret, unde colligi posset, recentioribus demum Herodoto temporibus libellum esse compositum. Et hoc quidem imprimis spectavit, ut ne quem in medium produceret scriptorem, nisi Homerum ipsum. Verumtamen quum in hoc non solum desudaret, sed etiam in eo, ut Herodoti simillimum redderet opus, qua de re supra monui, contigit ei semel ut laberetur iis irretitus ipse quibus alios irretiri voluit laqueis. Namque in fine scriptionis, cap. 38, postquam computavit quot annis distet Homerus a transitu Xerxis in Graeciam, addendum duxit inde ab hac *διαβάσει* quot anni sint elapsi facile quemvis numerare ex archontibus posse Atheniensium: *ἀπὸ δὲ τούτου ῥηϊδίως ἐστὶν ἀριθμῆσαι τὸν χρόνον τῷ ἐθέλοντι ζητεῖν ἐκ τῶν ἀρχόντων τῶν Ἀθήνησιν.* Scripsit haec veterator propterea quod Herodotus ipse 8, 51 notavit, quis archontatum gesserit Athenis eo quo Xerxes Hellespontum transgressus Atticam invasit anno. Sed, id quod latuit fraudatorem, aliud est uno et altero loco archontis mentionem facere Attici, aliud in singulis annis magistratus Atheniensium notare eponymos ita ut temporum inde quivis accurate definire possit seriem numerareque annos. Hoc neque Herodotus fecit, qui uno illo loco archontis Attici nomen adjecit, nec qui eum exceperunt Thucydides et Xenophon, memorandi illi in hac re eo magis quod uterque et ipse natione fuit Atheniensis. Sed nulla originis suae habita ratione Thucydides satius duxit 2, 2. 5, 19. 25 duorum tantum nomina addere archontum, quorum alterius tempore bellum Peloponnesiacum inceptum, alterius pace illa in L annos facta non compositum quidem attamen interruptum sit. In Xenophontis autem Hellenicis leguntur sane 1, 2. 3. 6. 2, 1. 3 adjecta per quinque annos continuos archontum nomina; sed ab aliena manu ea interpolata esse cum reliqua temporum notatione simul obvia hodie negari nequit, qua de re ad Evaldum Scheibel in libro inscripto „Josephi Scaligeri *Ὀλυμπιάδων ἀναγραφή*“ qui Berolini prodiit anno 1852 te remitto gnaviter disserentem p. 55. Scheibelii universam inde a p. 47 ad p. 59 continuatam de Olympionicarum et Archontum scriptoribus si perlegeris disputationem, sine ulla dubitatione concedes, Xenophontem ipsum quinque illis locis non magis quam

reliquis omnibus annos archontibus signasse notatis. Centum demum annis post hic mos invaluit, ut ex archontibus Atticis anni computarentur, inde ex quo tempore primus omnium Demetrius Phalereus Theophrasti discipulus Ἀρχόντων ἀναγραφὴν confecit, opus doctissimum, quo omnium eponymorum Atticorum nomina ad singulos dispescuit annos, memoratum illud a Diogene Laertio 1, 22. 2, 7 et a Marcellino in vita Thucydidis 32. Jam mihi reputa, primis post Demetrium Phalereum temporibus hoc certe scriptorem ignorasse neminem, annorum eum ex archontibus Atticis computandorum morem ab illo demum esse profectum: nonne certum videbitur, saeculo fere a. Chr. n. altero vitam Herodoti hancce nomine consignatam vetustiorem non esse?

De Certamine Homeri et Hesiodi paucis licet absolvere, quum de eo satis accurate exposuerit Guilelmus Marckscheffel in libro quo Hesiodi, Eumeli, aliorum fragmenta disposuit, edito 1840, p. 33—42. Qua ex disputatione hoc unum satis habeo deprompsisse, quod p. 35 legitur, post Hadriani demum tempora libellum esse compositum, cujus imperatoris in ipso Certamine facta est mentio cap. 3.

Pergo ad tres vitas ἀνωνύμους illas, quae Homerum non cum Hesiodo conjunctum tractant sed solum. Harum una, quam Westermann numero ε′ signavit, ad Dionysium Thracem provocat, unde efficitur saeculo a. Chr. n. primo eam non esse superiorem. Altera, Westermanno numero ϛ′ signata, testes producit Hypsicratem et Aristodemum Nysaeensem. Duos cognitum est fuisse Aristodemos Nysaeenses, quorum alter grammaticam professus est et rhetoricam, alter grammaticam solam. Scholiorum in Homerum scriptorum duobus locis Aristodemi nomen occurrit, *I* 453 *N* 1. Posteriori loco Aristodemi nudum positum est nomen: ἡ ἱστορία παρὰ Ἀριστοδήμῳ; priori vero, *I* 453, homo dicitur Ἀριστόδημος ὁ Νυσαιεὺς ῥήτωρ τε ἄλλα καὶ γραμματικός. Proclive igitur est suspicari, eum ad quem vita sexta provocat Aristodemum Nysaeensem hunc esse, qui grammaticam et rhetoricam exercuit. Sed fac alterum esse, de tempore inde nihil mutandum. Ἀνεψιοὺς enim fuisse hos Aristodemos Strabo 14 p. 650 Cas. narrat. Vixerunt autem ineunte fere saeculo primo a. Chr. n.;

alterum enim eum, qui grammaticam solam exercuit, Pompeji magni fuisse magistrum Strabo tradit, alterius rhetoris illius simul et grammatici patrem Menecratem Aristarchi fuisse discipulum, ipsum vero Pompeji liberorum et Strabonis ipsius magistrum, et hujus quidem adolescentuli senectute admodum provectum. H y p s i c r a t e s quem vitae sextae nominat auctor, idem haud dubie est atque is quem Strabo compluribus locis commemorat, de quo egit Mueller in Historicorum Graecorum fragmentis 3 p. 493. Asandrum Strabo dicit 7, 311 Hypsicrate teste Chersonesum Tauricam munivisse ne tributa solvere cogeretur Scythis illis, littus Ponti accolentibus, quos Homerus *N* 5 sqq ἀγανοὺς Ἱππημολγοὺς dicere videatur, γλακτοφάγους Ἀβίους τε δικαιοτάτους ἀνθρώπους. Idem porro 11, 504 narrat, quum alios tum Metrodorum Scepsium et Hypsicratem, non ignaros illos locorum, de quibus ibi sermo est, Amazones vicinas perhibere Gargarensibus in radice Caucasi montis ubi ad septemtrionem vergat habitantes; intercedere vero Amazonibus, quarum de moribus nonnulla adjiciuntur, intimam cum Gargarensibus familiaritatem. Amazones Homerum commemorasse *Γ* 189 *Ζ* 186 vix est quod moneam. Ad tertium progredior Strabonis locum 17, 827, ubi de Mauretaniae agitur parte ea, quam Aethiopes occidentales incolant. Horum in Aethiopum terra quae bestiae reperiantur insignes, quae plantae mirabiles ex Iphicrate legimus transscriptum. Iphicrates scriptor ad quem quidem referri haec queant quum nullo alio loco commemoretur, nostro loco Coraës scribendum duxit Ὑψικράτης, quam emendationem verissimam Kramer in dubium vocare non debebat. Male nimirum habuit virum doctum, quod Strabo 7, 311. 11, 504 non de Mauretania, sed de oppositis fere terrae tractibus, Ponti littoribus Caucasique regione testantem facit Hypsicratem; alius vero Hypsicrates ille, natione Phoenix, qui Tatiano teste cap. 37 Phoenicum res lingua Phoenicia scripsit, ut potuerit de Mauretania agere in opere suo, dubium tamen esse dicit Kramer, num Straboni innotuerit. Ac de hoc sane non cogitandum; sed Hypsicratem illum, quem vita 6 de Homero producit testem, librum aliquem confecisse crediderim de gentibus fabulosis quarum in Homeri carminibus facta sit mentio. Ejusmodi liber fieri non potuisse quin una cum Hip-

pemolgis Amazonibusque Aethiopes complecteretur occidentales in aprico positum est; Homerus enim *A* 423 *Ψ* 206 *α* 22 *δ* 84 *ε* 282 Aethiopes commemorat, et uno quidem loco *α* 22 ita commemorat, ut ipsa occidentalium illa et orientalium Aethiopum divisio a Graecis inde sit repetita. Hunc autem ipsum Homeri locum *α* 22 Hypsicratem tractasse Stephanus Byz. testatur s. v. *Αἴθιοψ*. Leguntur ibi haec: *Αἴθιοψ, ὡς Κίλιξ· „Αἴθιοπες, τοὶ διχθὰ δεδαίαται, ἔσχατοι ἀνδρῶν.“ οὐ γὰρ ἀληθὴς ὁ Ὑψικράτους λόγος, ὡς οὐδὲν εἰς οψ λήγει παρ' Ὁμήρῳ, εἰ μὴ τὸ καλαύροψ. εἰσὶ δὲ καὶ τὸ ὄψ καὶ τὸ μέροψ.* Quibus ne adducaris ut Hypsicratem parum cognitum habuisse Homerum statuas, verbo moneo voluisse eum nominativum esse *Αἰθιοπεύς*, quod forma *Αἰθιοπῆας* obvia *A* 423 suadeat. Cf. si tanti est Aristoniceorum libellum a me scriptum p. 16. Hesiodum vero si non Amazonum, Scytharum tamen Hippemolgorum Aethiopumque quum constet fecisse mentionem e Strabone 7, 300. 302, non est quod miremur in Hypsicratis libro ea fuisse exposita, quae in vita 6 proferuntur, Hypsicratem aequalem ducere Homerum Hesiodi. Ex iis enim, quae apud Homerum et Hesiodum de gentibus illis legerentur, de utriusque poëtae aetate concluserat scriptor.

Patria Hypsicratis Amisus fuit urbs Ponti. Recte enim Hypsicratem a Strabone commemoratum eundem esse viri docti statuunt atque eum, cujus mentio facta est in libello Macrobiorum Luciani nomine inscripto cap. 22, quo loco *Ὑψικράτης ὁ Ἀμισηνὸς συγγραφεὺς* dicitur narraturque magna et varia imbutus fuisse doctrina diemque obiise supremum nonaginta duos annos natus. Eundem ut credam Hypsicratem esse eo quoque adducor, quod in Macrobiorum capite 17 de Asandro quaedam narrantur illo, de quo Strabo 7, 311 Hypsicratem producit testem. Macrobiorum auctor et de Hypsicrate ipso et ex ejus opere de Asandro rettulit. Asandri vero aetas quum cognita sit, Hypsicratis quoque aetatem definire licet. Tenuit Bosporanorum imperium Asander inde ab anno u. c. 707 usque ad 740, de qua re conferas Boeckhium C. I. Gr. 2 p. 94. Hypsicrates igitur, qui res ab Asandro gestas perscripsit, ipse vero a Strabone nominatus est, nec solum in Geographumenis, sed etiam, id quod Josephus Antt. Judd. 14, 8,

3 docet, in Hypomnematis historicis, quod opus Strabo absolvit priusquam ad Geographumena sese accingeret scribenda, Augusti fere aequalis fuerit necesse est, quibus temporibus Amisi studia Homerica floruisse videntur laetissime. Pertinet ad ea tempora Tyrannio Amisenus, grammaticus clarissimus, qui Homero operam impendit eximiam, discipulus Dionysii Thracis et Hestiaei grammatici, qui et ipse natione fuit Amisenus.

Vitam sextam Augusti aetate inferiorem habendam esse vides. Restat una vita quarta, quae, si solam spectas, nullum suppeditare videtur indicium, unde tempus quo sit conscripta definire possis: sed ubi cum ceteris eam contuleris vitis, his duabus, quas modo tractavimus, vetustiorem eam non esse apparebit. Ab omnibus enim vitis ceteris doctrina et copia longe superatur. Quod sic intelligi nolo, quasi longe angustioribus finibus circumscriptus sit ambitus hujus vitae quam ceterarum; hoc enim in vitas Procli (tertiam apud Westermannum), Suidae (septimam), quintam, sextam non cadit, quarum una, vita ϛ΄, eodem quo vita δ΄ versuum continetur numero; sed inspice mihi paullo diligentius has duas vitas δ΄ et ϛ΄ eodem 25 versuum numero circumscriptas: quam pauca sibi propria habet vita δ΄, quam multa vita ϛ΄, quot auctores haec adhibet testes, quum altera illa ne unum quidem adhibeat!

Ad similitudinem vitarum proxime accedunt patrum ecclesiae nonnulli loci, Tatiani, Eusebii, Clementis Alexandrini, Epiphanii. In libro Advs. haeress. 1 tom. 3 ed. Colon. 1682 vol. 1 p. 326 A Epiphanius unam matrem, unam patriam dici Christi ait, non multas ut Homeri: *διὰ τί γὰρ μὴ πολλὰς ἐκάλεσε μητέρας; διὰ τί μὴ πολλὰς εἶπε πατρίδας; πόσοι πόσα λέγουσι περὶ Ὁμήρου; ἄλλοι μὲν Αἰγύπτιον φάσκοντες, ἄλλοι δὲ Χῖον, ἄλλοι Κολοφώνιον, ἄλλοι Φρύγα, ἄλλοι Σμυρναῖον, Μέλιτος* (l. *Μέλητος* annot. editor.) *καὶ Κριθηίδος. Ἀθηναῖον δὲ αὐτὸν οἱ περὶ Ἀρίσταρχον ἀπεφήναντο. ἄλλοι δὲ Λυδὸν Μαιόνος* (l. *Μαίονος*)· *ἄλλοι δὲ Κύπριον προποδιάδος περιοικίδος τῆς Σαλαμηνίων* (l. *Σαλαμινίων*) *περιμέτρου, καί τοί γε ἄνθρωπον. διὰ δὲ τὸ ἐν πολλαῖς πατρίσι γεγενῆσθαι πολλοὺς εἰς διάφορον ὑφήγησιν ἐλήλακεν. ὧδε δὲ περὶ Θεοῦ λέγοντες καὶ Χριστοῦ οὐ πολλὰς ὑπέλαβον*

μητέρας κτἑ. In his difficile judicatu est de vocabulo προποδιάδος; Dionysius Petavius vol. 2 p. 78 annotat: „Haud scio an proprium sit oppidi nomen, an eum agrum significet, qui est πρὸ ποδὸς montis alicujus.“ Welcker Ep. Cycl. 1 p. 182 not. 259, quum Salamis Cypri ad flumen Pediaeum sita sit, προπεδιάδος legendum suspicatur. Clemens Alexandrinus Stromatt. 1 cap. 21 § 117 p. 388. 389 Pott. p. 141 Sylb. ut evinceret Judaeorum doctrinam vetustiorem esse quam Graecorum inter alia multa de Homeri aetate Moyse illa multo inferiore haec congessit Graecorum scriptorum testimonia: Ἀπὸ δὲ τῶν Τρωικῶν ἐπὶ τὴν Ὁμήρου γένεσιν κατὰ μὲν Φιλόχορον ἑκατὸν ὀγδοήκοντα ἔτη γίνεται ὕστερον τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας· Ἀρίσταρχος δὲ ἐν τοῖς Ἀρχιλοχείοις ὑπομνήμασι κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν φησὶ φέρεσθαι αὐτόν, ἣ ἐγένετο μετὰ ἑκατὸν τεσσαράκοντα ἔτη τῶν Τρωικῶν. Ἀπολλόδωρος δὲ μετὰ ἔτη ἑκατὸν τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας Ἀγησιλάου τοῦ Δορυσσαίου Λακεδαιμονίων βασιλεύοντος, ὥστε ἐπιβαλεῖν αὐτῷ Λυκοῦργον τὸν νομοθέτην ἔτι νέον ὄντα. Εὐθυμένης δὲ ἐν τοῖς Χρονικοῖς συνακμάσαντα Ἡσιόδῳ ἐπὶ Ἀκάστου ἐν Χίῳ γενέσθαι περὶ τὸ διακοσιοστὸν ἔτος ὕστερον τῆς Ἰλίου ἁλώσεως. ταύτης δὲ ἔστι τῆς δόξης καὶ Ἀρχέμαχος ἐν Εὐβοϊκῶν τρίτῳ· ὡς εἶναι αὐτόν τε καὶ τὸν Ἡσίοδον καὶ Ἐλισσαίου τοῦ προφήτου νεωτέρους. κἂν ἕπεσθαί τις βουληθῇ τῷ γραμματικῷ Κράτητι καὶ λέγῃ περὶ τὴν Ἡρακλειδῶν κάθοδον Ὅμηρον γεγονέναι μετὰ ἔτη ὀγδοήκοντα τῆς Ἰλίου ἁλώσεως, εὑρεθήσεται πάλιν Σολομῶνος μεταγενέστερος, ἐφ' οὗ ἡ Μενελάου εἰς Φοινίκην ἄφιξις ὡς προείρηται. Ἐρατοσθένης δὲ μετὰ τὸ ἑκατοστὸν ἔτος τῆς Ἰλίου ἁλώσεως τὴν Ὁμήρου ἡλικίαν φέρει. ναὶ μὴν Θεόπομπος μὲν ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τρίτῃ τῶν Φιλιππικῶν μετὰ ἔτη πεντακόσια τῶν ἐπὶ Ἰλίῳ στρατευσάντων γεγονέναι τὸν Ὅμηρον ἱστορεῖ. Εὐφορίων δὲ ἐν τῷ Περὶ Ἀλιάδων (l. Ἀλευαδῶν, Meineke Anall. Alexandrinn. p. 65) κατὰ Γύγην αὐτὸν τίθησι γεγονέναι, ὃς βασιλεύειν ἤρξατο ἀπὸ τῆς ὀκτωκαιδεκάτης ὀλυμπιάδος, ὃν καί φησι πρῶτον ὠνομάσθαι τύραννον. Σωσίβιος δὲ ὁ Λάκων ἐν Χρόνων ἀναγραφῇ κατὰ τὸ ὄγδοον ἔτος τῆς Χαρίλλου τοῦ Πολυδέκτου βασιλείας Ὅμηρον φέρει. βασιλεύει μὲν οὖν Χάριλλος ἔτη ἑξήκοντα τέσσαρα, μεθ' ὃν υἱὸς Νίκανδρος ἔτη τριάκοντα ἐννέα· τούτου

κατα τὸ τριακοστὸν τέταρτον ἔτος τεθῆναί φησι τὴν πρώτην ὀλυμπιάδα. ὡς εἶναι ἐνενήκοντά που ἐτῶν πρὸ τῆς τῶν Ὀλυμπίων θέσεως Ὅμηρον. Idem quod Clemens consilium secutus Tatianus in Oratione ad Graecos cap. 31 ed. Otton. Jen. 1851 p. 118 dicit haec: *Νῦν δὲ προσῆκόν μοι νομίζω παραστῆσαι πρεσβυτέραν τὴν ἡμετέραν φιλοσοφίαν τῶν παρ' Ἕλλησιν ἐπιτηδευμάτων. ὅροι δὲ ἡμῖν κείσονται Μωυσῆς καὶ Ὅμηρος, τῷ ἑκάτερον αὐτῶν εἶναι παλαιότερον, καὶ τὸν μὲν ποιητῶν καὶ ἱστορικῶν εἶναι πρεσβύτερον, τὸν δὲ πάσης βαρβάρου σοφίας ἀρχηγόν. καὶ ὑφ' ἡμῶν νῦν εἰς σύγκρισιν παραλαμβανέσθωσαν· εὑρήσομεν γὰρ οὐ μόνον τῆς Ἑλλήνων παιδείας τὰ παρ' ἡμῖν ἀλλὰ ἔτι καὶ τῆς τῶν γραμμάτων εὑρέσεως ἀνώτερα. μάρτυρας δὲ οὐ τοὺς οἴκοι παραλήψομαι, βοηθοῖς δὲ μᾶλλον Ἕλλησι χρήσομαι· τὸ μὲν γὰρ ἄγνωμον, ὅτι μηδὲ ὑφ' ὑμῶν παραδεκτέον, τὸ δ' ἂν ἀποδεικνύηται θαυμαστόν, ὅταν ὑμῖν διὰ τῶν ὑμετέρων ὅπλων ἀντερείδων ἀνυπόπτους παρ' ὑμῶν τοὺς ἐλέγχους λαμβάνω. περὶ γὰρ τῆς ποιήσεως τοῦ Ὁμήρου, γένους τε αὐτοῦ καὶ χρόνου καθ' ὃν ἤκμασεν, προηρεύνησαν οἱ πρεσβύτατοι Θεαγένης τε ὁ Ῥηγῖνος κατὰ Καμβύσην γεγονώς, Στησίμβροτός τε ὁ Θάσιος καὶ Ἀντίμαχος ὁ Κολοφώνιος, Ἡρόδοτός τε ὁ Ἁλικαρνασσεὺς καὶ Διονύσιος ὁ Ὀλύνθιος· μετ' ἐκείνους Ἔφορος ὁ Κυμαῖος καὶ Φιλόχορος ὁ Ἀθηναῖος, Μεγακλείδης τε καὶ Χαμαιλέων οἱ περιπατητικοί· ἔπειτα γραμματικοὶ Ζηνόδοτος, Ἀριστοφάνης, Καλλίμαχος, Κράτης, Ἐρατοσθένης, Ἀρίσταρχος, Ἀπολλόδωρος. τούτων δὲ οἱ περὶ Κράτητα πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶν αὐτὸν ἠκμακέναι, μετὰ τὰ Τρωικὰ ἐνδοτέρω τῶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν· οἱ δὲ περὶ Ἐρατοσθένη μετὰ ἑκατοστὸν ἔτος τῆς Ἰλίου ἁλώσεως· οἱ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, ἥ ἐστι μετὰ ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα ἔτη τῶν Ἰλιακῶν· Φιλόχορος δὲ μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀρχίππου, τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον ἔτεσιν ἑκατὸν ὀγδοήκοντα· οἱ δὲ περὶ Ἀπολλόδωρον μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν ἔτεσιν ἑκατόν, ὅπερ γένοιτο ἂν ὕστερον τῶν Ἰλιακῶν ἔτεσι διακοσίοις τεσσαράκοντα. τινὲς δὲ πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἔφασαν αὐτὸν γεγονέναι ἔτεσιν ἐνενήκοντα, τουτέστι μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἔτεσι τριακοσίοις ἑπτακαίδεκα· ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ὑπήγαγον, σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέ-*

ναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες· ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασε περὶ ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν, κατὰ Γύγην τὸν Λυδόν, τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον ἔτεσι πεντακοσίοις. καὶ περὶ μὲν τοῦ χρόνου τοῦ προειρημένου ποιητοῦ, λέγω δὲ Ὁμήρου, συστάσεώς τε καὶ τῶν εἰπόντων περὶ αὐτοῦ ἀσυμφωνίας τοῖς ἐπ' ἀκριβὲς ἐξετάζειν δυναμένοις αὐτάρκως ἡμῖν ὡς ἐπὶ κεφαλαίων εἰρήσθω. δυνατὸν γὰρ ψευδεῖς ἀποφήνασθαι καὶ τὰς περὶ τοὺς λόγους δόξας. παρ' οἷς γὰρ ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφή, παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δυνατόν. τί γὰρ τὸ αἴτιον τῆς ἐν τῷ γράφειν πλάνης, εἰ μὴ τὸ συντάττειν τὰ μὴ ἀληθῆ; Transscripsit Tatiani locum Eusebius Praeparat. evangel. 10, 11, idemque excerpta ex eo dedit in Chronicorum libro 2 inter annum Abrahae 915 et 916, edit. Aucher. Venet. vol. 2 p. 142. 143, edit. Maj. et Zohrab. Mediol. p. 302, edit. Maj. Roman. Scriptorr. vett. nov. coll. vol. 8 p. 314. Graece scripta Eusebii exemplaria non exstant; Aucherius Armeniacam edidit Eusebii translationem Latina interpretatione juxta apposita; solam Latinam Armeniacae translationis interpretationem dederunt Majus et Zohrabus in Mediolanensi, Majus in Romana. In verbis Latinis editiones non plane consentiunt; sunt autem, si res narratas spectes, discrepantiae admodum leves. Nos quum Armeniace nesciamus, interpretationem a Majo in Romana editam proferemus, cujus verba sunt haec: „Homerus secundum quorundam opinionem his fuisse temporibus vendicatur. Quanta autem de eo apud veteres dissonantia fuerit, manifestum esse poterit ex sequentibus. Quidam eum, ex quibus Crates, ante descensum Heraclidarum ponunt. Eratosthenes post centesimum annum Trojanae captivitatis. Aristarchus Ionica emigratione, sive post annum centesimum. Philochorus emigrationis Ionicae tempore, sub Archippo Atheniensium magistratu, et post captam Trojam anno centesimo octogesimo. Apollodorus Atheniensis ducentesimo quadragesimo anno eversionis Ilii. Extiterunt alii, qui modico ante quam olympiades inciperent, id est CCCC retro annis a Trojana captivitate, eum fuisse putent, licet Archilochus vicesimam tertiam olympiadem, et quingentesimum Trojanae eversionis annum supputet.“ In his nonnulla esse vides, quae a Tatiano recedant; quae quamvis falsa esse con-

stet non tamen emendanda esse duo alii scriptorum veterum loci docent, alter Hieronymi, qui Eusebii Chronica Latine expressit nonnullisque auxit, alter Georgii Syncelli, qui plurima ex Eusebii opere transscripsit Graece. Hieronymi locus est ed. Scaliger. 1658 vol. 1 p. 97, ubi eadem eodem ordine narrantur quae in Eusebio Maji, nisi quod Apollodorus annum ducentesimum sexagesimum p. Tr. c. supputasse dicitur; totus autem locus positus est inter annos Abrahae 908 et 909. In Syncelli Chronographia p. 180 D (ed. Dindorf. vol. 1 p. 339, 21) leguntur haec: Ὅμηρον τὸν παρ' Ἕλλησι μέγαν ποιητὴν οἱ μὲν πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶ γεγονέναι περικρατήσαντα, οἱ δὲ περὶ Ἐρατοσθένην μετὰ ἔτη ρ' τῶν Τρωικῶν, οἱ δὲ περὶ Ἀρίσταρχον κατὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν μετὰ ἔτη ρ', οἱ δὲ περὶ Φιλόχορον ἐπὶ τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας, καθ' ἕνα τῶν διὰ βίου ἀρχόντων Ἀθήνησιν Ἄρχιππον μετὰ τὰ Τρωικὰ ἔτεσιν ρπ'. οἱ δὲ περὶ Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀθηναῖον ὕστερον τῶν Ἰλιακῶν ἔτη σμ'. ἄλλοι μικρὸν πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἔτεσι υ' ἐγγὺς μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν, καὶ ἕτεροι κατὰ Ἀρχίλοχον περὶ τὴν κγ' ὀλυμπιάδα μετὰ ἔτη φ' που τῆς ἁλώσεως Τροίας· καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν ὁ περὶ αὐτοῦ χρόνος πάντη τοῖς παλαιοῖς ἀσύμφωνος. Jam videamus singulas discrepantias, quae inter Syncellum, Hieronymum, Eusebium, Tatianum intercedant. Qui a Tatiano dicti fuerunt ad annum 90 ante Ol. 1, 317 p. Tr. c. Homerum retulisse, eos Eusebius in Praeparat. et in Chronicis, Hieronymus, Syncellus quod annum 400 p. Tr. c. computasse dicunt facile excusantur; nam hodie libros Tatiani Otto dicit exhibere omnes *τινὲς δὲ πρὸ τῶν ὀλυμπιάδων ἔφασαν αὐτὸν γεγονέναι, τουτέστι μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ἔτεσι τετρακοσίοις ἐνενήκοντα.* Veram Tatiani lectionem eam quam supra exhibui dudum viri docti rationes secuti certissimas restituendam esse viderunt; sed mendum esse antiquissimum repertamque jam in Tatiani codice eo, quo utebatur Eusebius, lectionem falsam *ἔτεσι τετρακοσίοις* liquet; unde Eusebius *ἔτεσι τετρακοσίοις* et in Praepar. scripsit et in Chronicis, quod e Chronicis dein et Hieronymus et Armeniacus interpres et Syncellus transtulerunt. Secundum Aristarchum Tatianus dicit Homerum temporibus Ionicae migrationis vixisse quae anno 140 p. Tr. c. facta sit; sic Eusebius quoque in Praepara-

tione; sed in ejusdem Chronicis, in Hieronymo, in Syncello annus centesimus reperitur. Inde numerum in Tatiano incorruptum legisse Eusebius arguitur et transscripsisse; atque in Praeparatione lectio vera servata est; in Chronica falsa lectio irrepsit centesimi anni, quam ex Eusebio transtulerunt interpres Armeniacus, Hieronymus, Syncellus. Secundum Philochorum Eusebii interpres Armeniacus et Hieronymus dicunt Homerum fuisse „emigrationis Ionicae tempore post c. Tr. anno centesimo octogesimo“; consentit Syncellus qui *ἐπὶ τῆς Ἰωνικῆς ἀποικίας ..... μετὰ τὰ Τρωικὰ ἔτεσιν ρπ΄*; sed in Tatiano legimus *μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν ..... τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον ἔτεσιν ἑκατὸν ὀγδοήκοντα*, Eusebius vero in Praeparatione *μετὰ τὴν Ἰωνικὴν ἀποικίαν ἔτεσι μ΄ ..... τῶν Ἰλιακῶν ὕστερον ἔτεσιν ἑκατὸν ὀγδοήκοντα*, quam veram lectionem Tatiani esse constat. Exciderunt in libris Tatiani verba *ἔτεσι μ΄*, quae Eusebius reperit; in Eusebii Chronicorum libris vocula *μετὰ* perperam mutata in *κατά*; pro *κατὰ τὴν Ἰ. ἀ.* Syncellus *ἐπὶ τῆς Ἰ. ἀ.*, Armeniacus vero interpres et Hieronymus „emigrationis Ionicae tempore“. *Σὺν Ἀρχιλόχῳ*, i. e. temporibus Archilochi vixisse secundum quorundam opinionem Homerum scribit Tatianus; sic Eusebius quoque in Praeparatione; sed idem in Chronicis pro *σὺν Ἀρχιλόχῳ* dixit *κατὰ Ἀρχίλοχον*, quod Syncellus transscripsit, Armeniacus autem interpres et Hieronymus non recte acceperunt; neque enim *κατὰ Ἀρχίλοχον* esse putaverunt „temporibus Archilochi“, sed „secundum Archilochi sententiam“, quod accidere poterat, quia Eusebius in Chronicis verba Tatiani *ἕτεροι δὲ κάτω τὸν χρόνον ὑπήγαγον, σὺν Ἀρχιλόχῳ γεγονέναι τὸν Ὅμηρον εἰπόντες· ὁ δὲ Ἀρχίλοχος ἤκμασε περὶ ὀλυμπιάδα τρίτην καὶ εἰκοστήν* sic contraxerat uti Syncellus exhibet: *καὶ ἕτεροι κατὰ Ἀρχίλοχον περὶ τὴν κγ΄ ὀλυμπιάδα.* Apollodorum in solo Hieronymo legimus supputasse annum 260 p. Tr. c.; recte in reliquis, Tatiano, Eusebii Praeparatione, Eusebii translatione Armeniaca, Syncello annum perscriptum habes 240. In Syncello quod legitur *Ὅμηρον ... οἱ μὲν πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου φασὶ γεγονέναι περικρατήσαντα*, in eo vox *περικρατήσαντα* mendo librariorum debetur; recte in Eusebii Praep. *οἱ μὲν περὶ Κράτητα πρὸ τ. Ἡ. κ. φ. αὐτὸν ἠκμακέναι*; sic in

ipso quoque Tatiano, nisi quod male omittunt voculam $\mu\acute{\varepsilon}\nu$; Armen. et Hieron. „Quidam eum, ex quibus Crates, ante descensum Heraclidarum ponunt.“ Haec fere sunt, quae de lectione horum Tatiani locorum et qui eum exscripserunt exponenda videbantur; reliquam lectionis varietatem, quae ad nos nihil, apud editores videas ipsos.

Similes vitis Homeri etiam alii sunt loci, veluti Gellii, qui N. A. 3, 11, et Tzetzae, qui in Exegesi in Iliadem ed. Hermanni p. 7—38 et Chiliadd. 13 vs. 613 sqq 12, 183 sqq variorum de Homeri patria et aetate sententias collegerunt. Sed ex his atque reliquis ejusmodi locis quae hanc nostram opellam juvare videbuntur infra proferre singulatim praestat; nunc ante omnia vitarum et patrum fontes diligenter lustrandi sunt. Quod ut commode fiat, catalogum proponam auctorum, quos vitarum scriptores et patres nominant. Laudantur

Alcidamas in vita octava
Anaximenes in vita sexta
Antimachus in vitis secunda B, quinta, sexta, a Tatiano
Antipater in vita secunda A
Apollodorus in vita sexta, a Clemente, a Tatiano (Euseb. Hieron. Syncell.)
Archemachus a Clemente
Aristarchus in vitis secunda B, tertia, quinta, a Clemente, a Tatiano (Euseb. Hieron. Syncell.), ab Epiphanio
Aristodemus Nysaeensis in vita sexta
Aristophanes grammaticus a Tatiano
Aristoteles in vitis secunda A, secunda B, quinta, sexta
Bacchylides in vita quinta
Callicles in vitis sexta, octava
Callimachus a Tatiano
Chamaeleon a Tatiano
Charax in vita septima
Cleanthes in vita octava
Crates in vitis secunda B, tertia, sexta, a Clemente, a Tatiano (Euseb. Hier. Sync.)
Damastes in vitis tertia, sexta
Democritus Troezenius in vita octava
Dionysius Olynthius a Tatiano

Dionysius Thrax in vitis secunda B, quinta
Ephorus in vitis secunda A, secunda B, quinta, sexta, a Tatiano
Eratosthenes in vitis sexta, octava, a Clemente, a Tatiano (Euseb. Hier. Sync.)
Eugacon in vita octava
Euphorion a Clemente
Euthymenes a Clemente
Gorgias in vita tertia
Hellanicus logographus in vitis tertia, octava
Hellanicus grammaticus in vita tertia
Heraclides in vita sexta
Herodotus (Pseudoherodotus) a Tatiano
Hippias in vita sexta
Hypsicrates in vita sexta
Megaclides a Tatiano
Nicander in vitis secunda B, quinta
Pherecydes in vita tertia
Philochorus in vita sexta, a Clemente, a Tatiano (Euseb. Hieron. Syncell.)
Pindarus in vitis secunda B, quinta, sexta
Porphyrius in vita septima
Pyrander in vita sexta
Simonides in vitis secunda B, quinta
Sosibius a Clemente
Stesimbrotus in vita sexta, a Tatiano
Theagenes Rheginus a Tatiano
Theocritus in vita sexta
Theopompus a Clemente
Timomachus in vita sexta
Xenon in vita tertia
Zenodotus a Tatiano.

Ex his scriptoribus nonnullos quantum ad consilium hujus scriptionis jam tractavimus, Antipatrum, Aristodemum Nysaeensem, Hypsicratem, Pseudoherodotum, Porphyrium; nunc reliqui tractandi, in quibus clarissimi sunt Homerici, quorum cum studiis Homericis nisi intimam contraxeris familiaritatem, continget tibi quod multis ut in vanum cadant tua ipsius Ho-

merica studia. Sed gregem illum egregium Homericorum accuratius lustrandum percurrentes fieri non potest quin simul alios multos attingamus quorum mentio neque in vitis neque a patribus facta est. Molestum molimur negotium sed necessarium. Nullis igitur admissis ambagibus hoc agamus quod agere quam primum debebit quicumque ad Homerica studia accedere constituerit.

A Zenodoto exordiar Ephesio, qui ineunte et medio saeculo tertio a. Chr. n. viguit. Ejus de studiis Homericis scripserunt Pluygers in programmate scholae Lugd. Bat. 1843 (quem libellum prorsus necessarium est ut legas), post Pluygersium Duentzer libro Gottingae 1848 edito, adversus Duentzerum Woldemar Ribbeck dissertatione inaugurali Berol. 1852 et in Schneidewini Philologo 8, 4 p. 652—712 et 9, 1 p. 43—73, adversus Ribbeckium Duentzer in Philologo 9, 2 p. 311—324. *Πρῶτον τῶν Ὁμήρου διορθωτὴν* Suidas Zenodotum suo jure appellat. Regia enim liberalitas Ptolemaei primi Demetrio Phalereo suadente quum libris undique congestis virisque doctis arcessitis bibliothecam atque Museum fundasset Alexandriae, qua de re conferas Friederici Ritschl librum de bibliothecis Alexandrinis Vratislav. 1838 editum ejusque libri corollarium quod Bonnae 1840 accessit: Zenodoto a Ptolemaeo secundo non solum ordinandorum operum epicorum et lyricorum oblatum est munus, sed etiam universorum librorum cura atque praesidium. Hoc igitur munere fungens quum Homericorum carminum tot exemplaria variis ex recensionibus profecta quot nemo antea uno loco videret conjuncta, collatis inter se copiis primus editionem legibus adstrictam justae criticae in lucem emisit. Qua editione Iliadem tantum et Odysseam complexus est; reliqua omnia quae Homero adscribebantur carmina ad alios auctores referenda esse judicavit. Referebant autem vulgo ad Homerum hymnos, Batrachomyomachiam, minora quaedem carmina *παίγνια* dicta, quorum pars servata est in vita Pseudoherodotea, Margitem, carmen comicum, quo epico sermone epicisque versibus narrata fuit vita Margitae cujusdam hominis inepti (cujus carminis fragmenta tantum exstant), epicorum carminum longam seriem, quae conjuncta cum Iliade et Odyssea narrationem continuam exhibebant re-

rum a diis et heroibus gestarum inde a mundo condito usque ad Ulixis mortem. Hanc carminum seriem Graeci τὸν Ἐπικὸν κύκλον vocabant. Ex eo cyclo Proclus grammaticus indicem narrationum continuum excerpsit intexuitque in Chrestomathia grammatica, ex qua vitam Homeri apud Westermannum tertiam depromptam esse rettuli. Cujus indicis fragmenta exstant et excerpta pretiosissima tractata quum ab aliis tum a Welckero in libro de Cyclo epico voll. duobb. Bonnae 1835. 1849 edito. Zenodotum carmina quae ad Homerum vulgo referebantur praeter Iliadem et Odysseam aliena judicasse ab Homero traditum quidem non est; sed si adscripsisset Homero, legeremus haud dubie de eo errore multa in scholiis Homericis, quum nunc legatur nihil. Unde liquet Aristarchum, cujus doctrina fundamentum est scholiorum, quem omnia illa carmina praeter Iliadem et Odysseam abjudicasse ab Homero constat, ea in re subscripsisse judicio Zenodoti. Iliadem et Odysseam Zenodotus primus ad numerum 24 Graeci alphabeti elementorum in vicenos quaternos divisit libros, qui inde ab eo tempore literarum vocabulis excitantur; Odysseae libros hodie minusculis indicant literis, τὸ α, τὸ β, sive ἡ α (scil. ῥαψῳδία), ἡ β, majusculis Iliadem, τὸ Α, τὸ Β. Commentariis Zenodotus editionem suam non ornavit; ne varietatem quidem lectionis ille exhibuit. Versuum eorum, qui spurii ei videbantur esse, duas discrevit partes, quarum alteram pejorem e textu ita ejecit, ut vestigia eorum manerent nulla; alteram scripsit quidem, sed singulis in fronte lineam per planum ductam praefixit, qua spurios eos esse indicabat. Lineam ipsam (——) ὀβελὸν Graeci vocabant, damnationem versuum obelo notatorum ἀθέτησιν, abs qua diversum est τὸ οὐδὲ γράφειν, quod de altera classe prorsus ejectorum dicitur versuum. Sunt autem, qui Zenodotum eos versus, quos οὐδὲ γράψαι traditur, non ejecisse, sed in nullo libro reperisse autument; post Zenodotum demum aucto apparatu critico Aristophanem Aristarchumque reperisse eos affirmant. Praeter obelum aliis signis criticis usus esse Zenodotus non reperitur, unde jure suo viri docti collegerunt, obelum solum illi fuisse in usu; quae enim scholiorum Homericorum est ratio paucis illa adumbranda nobis ubi ad Aristarchum ventum erit, si adhibuisset Zenodotus alia praeter obe-

lum signa id taceri vix potuisset. Incerta fere omnis Zenodoteae κρίσεως est ratio atque natura; cujus rei causam eam recte dicunt primariam, quod curae a Zenodoto impensae in Homerum notitia ad nos per Aristarcheos solos pervenerit, quos ipsam Zenodoti editionem non vidisse, sed ex inferiorum illius aetate grammaticorum scriptis omnia quae de ea narrarent hausisse maxime ex Aristarchi libris probabile sit; ita enim evenisse, ut in multis illi Zenodoti non assequerentur mentem. Quod sane ipsi jam Aristarcho accidere potuit, atque eo facilius, quod commentarios non addiderat Zenodotus. Non tamen longe a vero aberrasse videbitur is, qui Zenodotum in dijudicanda lectione varia damnandisque versibus fervidius justo egisse censuerit. Qui fervor Zenodoto, cujus studia incunabulis continebantur artis criticae, vitio minime est vertendus. Laudibus potius dignus ille videtur esse quam maximis; studiorum enim conditio hominem non impedivit quominus ita se gereret in textu constituendo ut ejus lectione pro fundamento suarum editionum ipse Aristarchus uteretur.

Praeter editionem Homericorum carminum duo opera Homerica confecisse constat Zenodotum: alterum glossarum, quo secundum literarum ordinem vocabula Homerica intellectu difficiliora disposuit et addita interpretatione explicavit; alterum, quo dierum computavit numeros, per quos Iliadis et Odysseae porrectae essent actiones. Hujus computationis pars continua nuper reperta est editaque quum ab aliis tum a Lachmanno in libello de Iliade Berolin. 1847 emisso. E glossario singulorum tantum nonnullorum vocabulorum explicationes ab aliis scriptoribus in ipsorum libros transscriptae exstant. Secundum literarum ordinem glossarium fuisse digestum scholium γ 444 docet, ubi Buttmann quidem Ζηνόδοτος δὲ ἐν ταῖς ἀπὸ τοῦδε γλώσσαις τίθησι τὴν λέξιν edidit, legendum vero esse ταῖς ἀπὸ τοῦ Δ γλώσσαις nuper doctus Batavus docuit. Vide annales inscriptos Zeitschr. f. Alterthsw. 1852, tom. 10, 5, 60 p. 479. A glossario distinguendae sunt Zenodoti nescio cujus Ἐθνικαὶ λέξεις, quae ap. Schol. Apoll. Rhod. 2, 1005 τῶν Γλωσσῶν titulo designantur.

His tribus operibus Homericis, glossario, dierum computationi, editioni textus unum accedit alterumque de quo dubi-

tari possit. Sic a Tatiano inter eos numeratur Zenodotus, qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint. Hoc si recte fecit Tatianus, peculiari libello eam quaestionem absolvisse crediderim Zenodotum. Pluygers Zenod. p. 13 rem ad Ἱστορικὰ ὑπομνήματα rettulit, quae Athenaeus 3 p. 95 f aut Callimachi aut Zenodoti esse narrat non addens utrum Ephesium Zenodotum designet an alium. Locis variis de Ὑπομνήμασιν illis quos congessit ipse Pluygers collatis probabile reddi equidem arbitror, scriptionem illam ab aliis recte Zenodoti nomine fuisse inscriptam, alios ut Callimachum falso perhiberent auctorem inductos esse eo, quod multa excèrpta in ea legerentur e Callimachi libris. Ita vero si statueris, Zenodotus Ephesius auctor videri non poterit; is enim paullo superior fuit Callimacho. Tatianus contra quin Ephesium designet nulla est dubitatio. Quid de Homeri patria atque aetate statuerit Ephesius Zenodotus nusquam narratur; conjectura e recensione carminum ducta quatenus Zenodoti sententiam assequi possimus in altera dissertatione mea patefaciam.

Discipuli Zenodoti fuerunt complures; Theophilum τὸν Ζηνοδότειον nominat scholium Nicandri Therr. 11, Anaxagoram γραμματικὸν Ζηνοδότειον Diog. Laert. 2, 15 (Eudoc. p. 54), Agathoclem Zenodoti discipulum Suid. in capite de Ptolemaeo Epitheta; longe clarissimus omnium Aristophanes fuit Byzantius, quem admodum senex ille puerum erudivit. Et de hoc quidem Aristophane, qui exeunte tertio, ineunte secundo a. Chr. saeculo docuit, infra agemus pluribus; nunc age ad Aristophanis illico transeamus discipulum Aristarchum Samothracium, Homericorum principem. Docuit is medio fere saeculo altero a. Chr. n.

Rationem studiorum Aristarchi Homericorum in luce clarissima collocavit Carolus Lehrs libro Regiomontii Prussorum 1833 edito. Nos pro consilio nostro pauca de Aristarcho narrabimus. Tractavit Aristarchus multos poëtas Graecos praeter Homerum: Hesiodum, Archilochum, Alcmanem, Alcaeum, Anacreontem, Pindarum, Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Ionem, Aristophanem. Homerica Aristarchi studia quibus continebantur librorum triplex est genus: primum editionum (ἐκδόσεων), alterum commentariorum (ὑπομνημάτων), tertium

dissertationum (συγγραμμάτων). Editiones fuerunt duae; utriusque fundus erat Zenodotea. Rejecit ille cum Zenodoto omnia carmina ad Homerum relata praeter Iliadem et Odysseam; Odysseae extremam partem a versu ψ 297, quam Zenodotus genuinam crediderat, cum praeceptore suo Aristophane eum damnasse testantur scholia et Eustathius ad ψ 296; nihilo secius vicenorum quaternorum librorum divisionem a Zenodoto profectam retinuit; ubicunque in lectione constituenda recessit a Zenodoto, διπλῆς (intell. γραμμῆς) περιεστιγμένης signum (⸖) versui praefixit. Usum obeli (——) a Zenodoto mutuatus esse Aristarchus in fragmento Scholiis Iliacis Bekkeri praemisso p. III narratur; praefixit eum ut Zenodotus versibus spuriis. Saepius autem quum accidere vidisset, ut idem versus alio loco ab ipso Homero esset positus, alio loco ab interpolatore, ejusmodi versibus ubicumque legerentur praefixit ἀστερίσκον (⁜); tales igitur versus ubi interpolatori deberi videbantur, asteriscum et obelum habebant, ἀστερίσκον σὺν ὀβελῷ sive μετ᾽ ὀβελοῦ (⁜ ——). Asterisco jam Aristophanes Byzantius usus esse traditur, sed prorsus diversa ratione. Sunt porro loci nonnulli, his quibus eadem cogitatio plenis versibus ita videtur enarrari, ut rejiciendam quidem alteramutram enarrationem esse pateat, utra tamen rejicienda sit non pateat; in his locis praefixit Aristarchus prioribus versibus singulis τὸ ἀντίσιγμα (Ɔ), posterioribus τὴν στιγμήν (•). Longe frequentissimus autem erat usus diplae purae (>), τῆς ἀπεριστίκτου s. καθαρᾶς διπλῆς, quae saepius τῆς ἀπεριστίκτου epitheto omisso dicitur ἡ διπλῆ. Toto coelo ea diversa est a dipla punctata. Primus pura dipla usus esse fertur Leagoras Syracusanus. Hunc Isidorus et anecdotum Parisinum apud Osannum Anecd. Rom. p. 330 puram diplam apposuisse narrant iis locis, qui Olympum Homero montem et a Coelo (τῷ οὐρανῷ) diversum esse docerent. Aristarchus amplificato usu signum praefixisse narratur magno versuum numero ad varias res notandas memorabiles, quarum longos conficiunt catalogos. Quod equidem non recte fieri crediderim; nam si varias res memorabiles diplis notare voluisset Aristarchus, Iliadis et Odysseae versibus omnibus diplae fuissent praefigendae. Neque enim in Iliade ullum neque in Odyssea periti legunt ver-

sum, quin aliquid memorabile inesse animadvertant. Circumspicienda alia definitio. Discedere mihi videntur versus diplis puris notati in duas partes, quarum altera versuum est eorum, quibus in aliorum locorum *κρίσει* usus fuit Aristarchus, altera eorum, quibus aliunde lucem attulit. Nonnulli reperiuntur loci, qui ad utramque pertinent classem; et enim aliis locis lucem afferunt et accipiunt ex aliis. Esse vero non infitior multos versus diplis notatos, quos utri classi adscribat primo adspectu imperitus haereat; altius tamen inquirenti hi omnes, opinor, aut in alteramutram aut in utramque abire videbuntur. Sunt enim rationes quaedam atque vicissitudines, quae disertis quidem verbis in scholiis non exponuntur eheu misere laceratis.

Multas diplas puras Aristarchus posuit eo consilio ut notaret viros illustres perperam esse interpretatos, lectione varia fuisse deceptos, dissensisse in suis ipsorum scriptis ab Homero. Et locos ipsos Homeri qui male habiti essent aut spreti pro more suo signavit et eos locos unde salutem existimaret petendam. Sic notatos videmus grammaticos, philosophos, historicos, artifices, poëtas. Poëtae ubi complures notantur una, plerumque non enumerantur nomina in scholiis, sed dipla esse narratur *πρὸς τοὺς νεωτέρους* intell. *ποιητάς*. Vide e. g. *Α* 5. 6. 59. 71. 270. 572. Poetae quid de locis Homeri statuerint ratio potissimum imitationis docuit Aristarchum. In grammaticis, adversus quos purae diplae tendunt, Zenodotus quoque est; nam punctatas diplas solis versibus iis praefixit Aristarchus, in quibus scriptura sua recederet a Zenodotea.

Etiam Aristarchus, prout Zenodotus, multos versus ne scripsit quidem. Versus omissos nonnullos diplis puris notatos reperimus ad versus praecedentes positis; quales diplae in scholiis positae narrantur esse *ὅτι ὑποτάσσουσί τινες στίχον* vel *στίχους τοὺς δεῖνα*. Vide e. g. *Θ* 168 *Ι* 140. Reperiuntur etiam versus, quos Zenodotus scripsit ut genuinos, Aristarchus ne scripsit quidem; vide *Ε* 807 *Ν* 808 *Ξ* 136 *Ρ* 456 His locis punctatam diplam fuisse ratio ipsa signorum clamat. In scholiis *Ε* 807 *Ν* 808 *Ξ* 136 epitheto *τῆς περιεστιγμένης* omisso *διπλῆ* esse narratur, quo titulo plerumque puram indicari monui. Sed iisdem locis ad textum Iliadis praestantis-

simus codex A, de quo infra dicam, periestigmenen exhibet appictam. Quarto loco *P* 456 nec in scholiis signum nominatur, nec ad textum poëtae appictum est.

Cumulari signa ita passus est Aristarchus, ut eidem versui appingerentur diversa; idem vero signum in eodem versu non iterandum duxit. Itaque non solum ubi plures inter se diversae caussae idem signum requirerent, hoc signum semel tantum posuit, sed etiam ubi de alia re punctata, de alia pura dipla ponenda esset, juxta punctatam adscribere supersedit puram, utpote cujus signum punctatae inesse videretur. Puram igitur et punctatam diplam nusquam consociavit; ea sola exceptio est; praeterea diversa signa non dubitavit ita cumulare, ut ratio eorum atque natura ferebat.

Signorum criticorum ratio quam egregie applicata sit ad universae Aristarcheae *κρίσεως* leges ii intelligunt, qui leges ipsas perspectas habent. Cognitionem signorum non sola scholia suppeditant, sed variarum tabularum cum illis comparatio variis in libris perscriptarum, quibus explicationes signorum continentur. Qui fontes aliis alius inquinati sunt erroribus. Tabulas quas dixi Fridericus Osannus peculiari tractavit libro qui Anecdoti Romani prae se fert titulum Gissaeque est editus 1851. Quem librum ut conferre necesse est ita cavere conferendo ne decipiaris; magnis enim congestis doctrinae copiis errasse in multis videtur auctor doctissimus.

Venio ad alteram Homericorum Aristarchi operum classem, *τὰ ὑπομνήματα*, commentarios, qui non in margine Homerici textus perscripti erant, sed propriis voluminibus. Eorum duplex est genus: *τὰ κατ' 'Αριστοφάνην ὑπομνήματα 'Αριστάρχου* et *τὰ ὑπομνήματα* mere dicta. Priora, quae uno tantum loco commemorantur, Schol. *B* 133, eo tempore, quo Aristarchus ipse editionem nondum confecerat, ad magistri Aristophanis editionem scripta esse patet; primum eum fuisse conjicias Homericum Aristarchi librum. Altera *ὑπομνήματα* ad priorem suam ipsius editionem Aristarchus scripsit; editionem posteriorem commentariis caruisse, quod quantum scio nullus dum edixit, scholiorum nonnulli loci docent a viris doctis minus recte tractati. Sic e. g. ad vs. *Z* 4 in codice A hocce legitur scholium: *ἡ διπλῆ, ὅτι ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἐγέγραπτο „μεσσηγὺς*

ποταμοῖο Σκαμάνδρου καὶ στομαλίμνης". *διὸ καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι φέρεται. καὶ ὕστερον δὲ περιπεσὼν ἔγραψε* „*μεσσηγὺς Σιμόεντος ἰδὲ Ξάνθοιο ῥοάων*"· *τοῖς γὰρ τοῦ ναυστάθμου τόποις ἡ γραφὴ συμφέρει, πρὸς οὓς μάχονται*. Corruptum esse patet illud *ἐν τοῖς ἀρχαίοις*. Quae enim sequuntur *καὶ ὕστερον δὲ περιπεσὼν ἔγραψε* docent initio scholii priorem Aristarchi lectionem fuisse expositam, non codicum antiquorum scripturam. Latere patet in vocabulo *ἀρχαίοις* Aristarchi nomen, quod varias passum est corruptelas, ut e. g. schol. A *T* 365—68 pro *αὐτῶν τοὺς ἀριθμούς* legendum esse constat *αὐτοὺς τὸν Ἀρίσταρχον*. Nostro loco Lehrs Arist. p. 231 et in Friedlaenderi Aristonico p. 117 pro *ἐν τοῖς ἀρχαίοις* legendum esse suspicatur *ἐν ταῖς Ἀρισταρχείοις*. Quam emendationem quominus probemus impedit primum tempus plusquamperfectum verbi *ἐγέγραπτο*, dein id, quod verba *διὸ καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι φέρεται* sic sensum habent nullum. Obfuit viro egregio idem hoc loco quod multis aliis, nimiam dico contemptionem omnium scholiorum quaecumque in codice A non leguntur. Ad *Z* 4 in codd. B L V scriptum legitur scholium hocce: *πρότερον ἐγέγραπτο* „*μεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρου καὶ στομαλίμνης*". *ὕστερον δὲ Ἀρίσταρχος ταύτην τὴν γραφὴν εὑρὼν ἐνέκρινεν. Χάρης δὲ γράφει* „*μεσσηγὺς ποταμοῖο Σκαμάνδρου καὶ Σιμόεντος*". Cogitationum series eadem est quae in scholio A, verba concinunt ita, ut eundem utriusque scholii fontem esse negari non possit. Quodsi contuleris scholii BLV verba *π ρ ό τ ε ρ ο ν ἐ γ έ γ ρ α π τ ο* „*μεσσηγὺς κτἕ.* ... *ὕ σ τ ε ρ ο ν δ ὲ Ἀ ρ ί σ τ α ρ χ ο ς ταύτην τὴν γραφὴν κτἕ.* cum scholii A quae illis respondent verbis *ἡ διπλῆ ὅτι ἐ ν τ ο ῖ ς ἀ ρ χ α ί ο ι ς ἐ γ έ γ ρ α π τ ο* „*μεσσηγὺς κτἕ.* ... *καὶ ὕ σ τ ε ρ ο ν δ ὲ περιπεσὼν ἔγραψε*, non dubitabis, opinor, quin rescribendum sit in scholio A *ἡ διπλῆ ὅτι ἐν τῇ προτέρᾳ τῶν Ἀρισταρχείων ἐγέγραπτο* „*μεσσηγὺς κτἕ.* Vox *Ἀρισταρχείων* per compendium scripta fuit in aliquo codice *Ἀρχων*; hoc esse *ἀρχαίων* putabat alius librarius; quod quum statueret non intellexit quid sibi vellent verba *ἐν τῇ προτέρᾳ*; ea igitur corrupta ducens pro *ἐν τῇ προτέρᾳ τῶν Ἀρχων* descripsit *ἐν τοῖς ἀρχαίοις*. Quo facto quae insequuntur *διὸ καὶ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι φέρεται* sensu suo privari

librarium latuit. Mea vero emendatione recepta sensus verborum *διὸ κτέ.* illustratur clarissima luce. In posteriori editione versus *Z* 4 dipla erat notatus propterea quod in priori alius versus ejus locum tenebat; quem versum alium prioris editionis commentarii habebant, non versum posterioris editionis, quia commentarii ad priorem scripti erant editionem, non ad posteriorem.

Ad priorem editionem commentarii sic adaptati fuerunt, ut singuli Iliadis et Odysseae libri singulis commentariorum libris explicarentur. Inde singuli commentariorum libri in scholiis ut opera absoluta excitantur, *τὸ τῆς Α ὑπόμνημα*, *τὸ ν τῶν ὑπομνημάτων*, *τὸ Β τῆς Ἰλιάδος* all. Inde Suidae quoque loco s. v. *Ἀρίσταρχος* affunditur lux, qui solos si commentarios numeres Aristarchi numerum 800 excedi scribit: *λέγεται δὲ γράψαι ὑπὲρ ω´ βιβλία ὑπομνημάτων μόνων.* Ut Homericorum carminum 48 libri 48 illustrati fuerunt *ὑπομνήμασι*, ita singula scenica poëmata singulis commentariis, reliqua aliorum poëtarum carmina in similem modum magno commentariorum numero.

Altera editio, quae commentariis carebat, tertia illa Homericorum Aristarchi operum illustrata fuit classe *τῶν συγγραμμάτων.* Nominantur in scholiis *συγγράμματα* haecce: 1) *Περὶ Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας* *I* 349; 2) *Πρὸς Φιλητᾶν* *A* 524 *B* 111; 3) *Πρὸς Κωμανόν* (vel *Κομανόν*) *A* 97 *B* 798 *Ω* 110; 4) *Πρὸς τὸ Ξένωνος παράδοξον* *M* 435; 5) *Περὶ τοῦ ναυστάθμου* *K* 53 *M* 258 *O* 449. Praeter has aliae videntur fuisse dissertationes multae, quarum memoria interiit. Dissertationes aut omnes aut plurimas post commentarios et editionem priorem scripsisse Aristarchum inde intelligitur, quod dissertationes ejus pluris faciebant veteres quam commentarios, uti testatur scholium egregium *B* 111, a Lehrsio Ar. p. 20 sqq non omni ex parte recte tractatum. Scriptionem *Περὶ τοῦ ναυστάθμου* post alteram demum editionem emissam confecisse Aristarchum scholium *O* 449 arguere videtur, quocum conferenda scholl. *Z* 4 *K* 53 *M* 258. Hoc liquet, Aristarchum, quum priorem editionem cum commentariis ei respondentibus absolvisset, postea de compluribus locis sensim in aliam deductum esse sententiam; tale quid ubi sibi evenisset, occasione oblata

in dissertationibus exposuit; postremo versus finem vitae omnes quae post priorem editionem in lucem emissam subnatae erant emendationes nova repraesentavit editione.

Aristarchi discipuli (*οἱ Ἀριστάρχου μαθηταί, οἱ Ἀ. γνώριμοι, οἱ ἀπ' Ἀριστάρχου*) a Suida s. v. *Ἀρίσταρχος* numero fuisse traduntur fere quadraginta. Quos omnes enumerare nec possum nec si possem facerem. Nominabo autem hos:

1) Ammonium Alexandrinum (Suid. s. v. *Ἀμ.* schol. *B* 111 *K* 397. 398)
2) Apollodorum Atheniensem (Suid. s. v. *Ἀπ.* Scymn. vs. 21)
3) Aristodemum Eleum (Schol. Pindar. Nem. 7, 1; Schol. Pindar. Ol. 3, 22 coll. Harpocrat. s. v. *Ἑλλανοδίκαι*; Boeckh. Praef. scholl. Pindar. p. XIV; Mueller. Historr. Graecorr. frgmm. 3 p. 308)
4) Dionysium Sidonium (Beccard De scholl. in Iliad. Venett. A p. 61, qui e scholio *T* 365 concludere debebat interfuisse Dionysium ipsum scholis Aristarchi. Cfr. Lehrs Ar. 362 not. et Varron. De l. l. 9 p. 162 Bip.)
5) Dionysium Thracem (Suid. Etymol. m. s. v. *Διον.* schol. *B* 111)
6) Dionysodorum Alexandrinum (schol. *B* 111)
7) Menecratem Nysaeensem (Strab. 14, 650)
8) Moschum Syracusanum, grammaticum et poëtam bucolicum (Suid. s. v. *Μόσχ.* Eudoc. p. 304)
9) Posidonium, Aristarchi *ἀναγνώστην* (schol. *Z* 511 *P* 75)
10) Ptolemaeum Ascalonitam (Steph. Byz. s. v. *Ἀσκάλων*)
11) Ptolemaeum Pindarionem, Oroandae filium (Suid. s. v. *Πτολ.*)
12) Satyrum (Phot. Bibl. cod. 190).

His duodecim Aristarchi discipulis certis duos addo incertos, Parmeniscum (de quo imprimis vidend. Varron. De l. l. 9 p. 162 Bip. et schol. *Θ* 513) et Dicaearchum Lacedaemonium (Suid. *Δικαίαρχος*), de quo infra dicam.

Aristarchei plerique de Homero scripserunt, placita magistri illustraverunt, adversus Zenodotum et alios scholae Aristarcheae oppositos disputaverunt. In nonnullis quidem

eos a magistri sententia recessisse legimus alios in aliis; universos tamen si spectas Aristarchi doctrinam illi tradiderunt ita, ut per longum tempus etiam post Aristarchi obitum secta maneret Aristarcheorum atque in grammaticae et criticae campis regnaret.

Aristarchi scholas in Museo Alexandrino Ammonius Alexandrinus suscepisse traditur in schol. *K* 397 et a Suida s. v. *Ἀμ.* Memoranda Ammonii tria scripta: 1) *Περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως* (intell. *τῶν δύο*) sive *Περὶ τῆς ἐπεκδοθείσης διορθώσεως*, de quo vindenda scholl. *K* 397 *T* 365 Lehrs Ar. 27; 2) *τὸ Πρὸς Ἀθηνοκλέα σύγγραμμα* (scholl. *Γ* 368 *H* 7); 3) *Περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου* (schol. *I* 540).

Menecrates Aristarcheus, de quo conferendus Mueller HGF 2 p. 344, pater est Aristodemi Nysaeensis, quem supra tetigimus. Cum Nysaeensi hoc Aristodemo, cujus pater Menecrates Aristarchum audivit, confundendus non est Aristodemus Eleus, Aristarchi discipulus. Probabile autem est Aristarcheae doctrinae etiam Menecratis filium Aristodemum fuisse addictum; quamquam in vita 6 quod narratur, Romanum Aristodemo Nysaeensi visum esse Homerum, in eo longissime sane aberravit ille ab Aristarchi sententia.

Aristarchus a Clemente Alexandrino de Homeri aetate disseruisse narratur in commentariis ad Archilochum scriptis; quod eo loco cur fecerit in Jahnii annall. 67, 4 p. 405 sqq 413 sq demonstravi. Probabile vero est etiam in aliis scriptionibus de aetate simulque de patria Homeri eum egisse. Patriam Homeri Athenas Aristarcho visas esse tradunt auctores vitarum 2 B cap. 2 et 5 et Epiphanius. Accedunt scholiorum nonnulli loci, de quibus egi in Jahnii annall. 67, 3, 253. Viguisse autem Homerum Aristarchus statuit temporibus Ionicae migrationis testibus vita 2 B cap. 3, vita 3, Clemente, Tatiano. De iis qui Tatianum exscripserunt supra vidimus.

A temporis definitione magistro probata discipulum Apollodorum recessisse constat; centum enim annis Ionica migratione inferiorem ab Apollodoro Homerum esse habitum Clementis testimonio efficitur et Tatiani. Tatianum qui exscripserunt supra tractavimus, ubi de librariorum sphalmate in

Hieronymo obvio dixi. In vita 6 Apollodorus 80 annis inferiorem Ionica migratione Homerum fecisse narratur, a Tzetza Exeges. in Iliad. p. 18 ed. Hermann. (cfr. p. 21. 25. 27) et Chiliadd. 13, 647. 12, 191 ei tempori Homerum adscripsisse idem quo Heraclidae redierint 80mo anno p. Tr. c. Reditum Heraclidarum in annum 80 p. Tr. c. rettulisse Apollodorum aliunde satis constat; sed eodem tempore illi Homerus fuisse per errorem dicitur inde natum, quod Apollodori sententia cum Cratetea confusa est, de qua infra videbimus; hic enim Homerum paullo ante Heraclidarum reditum, annis 60 p. Tr. c. vixisse perhibuit; unde alii minus accurate dixerunt, Crateti Homerum fuisse ipso tempore eo, quo Heraclidae redierint. Trojam vero captam cum Ionia occupata confundentes alii Apollodorum 80 annos p. Ionum coloniam deductam supputasse dicebant; quos secutus est vitae sextae auctor. Apud Hieronymum p. 106 Scal. et in editione Romana Eusebii p. 321 legimus Agrippa apud Latinos regnante secundum Apollodorum grammaticum et Euphorbum (Euphorbium ed. R.) historicum Homerum poëtam claruisse in Graecia a. u. c. annis 124, secundum Cornelium Nepotem ante Ol. 1 annis C. De hoc loco vide quae exposui in Jahnii annall. 67, 4 p. 381. Petita sunt quae de aetate Homeri ex Apollodoro referuntur haud dubie ex Chronographia illa comicis versibus confecta, de qua in Periegesi vulgo Scymni Chii nomine signata vs. 16 sqq agitur. Fragmenta Chronicorum Apollodori collegit C. Mueller HGF 1, 435 sqq, quocum loco conferas quae idem narravit p. XLIII et Addendd. in vol. 4. In vol. 1 p. 453 sqq fragmenta collecta reperies operis *Περὶ νεῶν καταλόγου* i. e. De catalogo Homerico *B* 494 sqq, quo in opere teste Porphyrio apud Eustathium *B* 494 p. 263, 36 duodecim libris absoluto geographiam Homeri doctissime illustravit Apollodorus; p. 459 sqq apud Muellerum fragmenta exstant operis quod *Τρωικὸς διάκοσμος* inscriptum fuit, quo catalogus Trojanorum *B* 816 sqq tractatus fuit.

Idem argumentum ante Apollodorum tractavit Demetrius Scepsius, quem Strabo Aristarchi aequalem dicit 13 p. 609 (cf. 13, 594); hujus *Τρωικὸν διάκοσμον* 30 librorum opus fuisse idem narrat 13, 603. Fragmenta collegit Stiehle

in Philol. 5,3, 528. 6, 2, 344. Usum esse Apollodorum Demetrii opere Strabo expresse testatur 1, 45.

Dionysio Thraci ut Aristarcho Atheniensem visum esse Homerum in vitis 2 B et 5 legimus. Quod quo libro exposuerit incertum est. Videndus de Dionysio Thrace ante ceteros M. Schmidt in Philologo 7, 2 p. 360. 8, 2 p. 231.8, 3 p. 510.

Venio ad eos Aristarcheos, qui Aristarchum ipsum non audiverunt, sed discipuli fuerunt Aristarcheorum priorum. Ex iis primo loco nominandus Tyrannio major, Amisenus natione, quem supra attigi, Hestiaei Amiseni et Dionysii Thracis discipulus. Vide Suidam s. vv. *Διονύσ.* *Θρᾷξ* et *Τυραννίων* Strabon. 12, 548 Plutarch. Lucull. 19. Videtur autem Tyrannio ab Aristarchi doctrina declinasse ad Aristotelis philosophi placita grammatica. Vide Strabon. 13, 609 Plutarch. Sull. 26 et Planeri scriptionem De Tyrannione grammatico (progr. Joachimici Berol. 1852) p. 9. 28. Ex scriptis Tyrannionis nominandi hoc loco duo libri *Ὅτι διαφωνοῦσιν οἱ νεώτεροι ποιηταὶ πρὸς Ὅμηρον* et *Διόρθωσις Ὁμηρική*, quos Suidas s. v. *Τυρ.* ad Tyrannionem minorem Phoenicem natione rettulit, Planer vero p. 8. 28 recte majori Tyrannioni vindicavit. *Διόρθωσις* illa *Ὁμηρική* non fuit editio carminum Homericorum, sed commentarius de constituenda lectione, quo prosodia maxime tractata videtur esse. Altera quam memoravi scriptione amplificasse videtur Tyrannio doctrinam quam Aristarchus diplis suis *πρὸς τοὺς νεωτέρους* consignavit. Floruisse Tyrannionem et per se liquet et expresse narratur a Suida, Strabone, Plutarcho temporibus Pompeji, Luculli, Mithridatis. — Secundo loco commemoro Seleucum qui a studiis suis Homericis teste Suida s. v. *Σελ.* Homerici traxit cognomen. Videtur is ad eadem fere tempora ad quae Tyrannio major esse referendus. Insignis locus Seleuci de Homeri historia exstat apud Harpocrationem s. v. *Ὁμηρίδαι*, de quo exposui in Jahnii annall. 67, 3 p. 267. De universis Seleuci studiis conferas M. Schmidtium in Philologo 3, 3 p. 446 sqq. — Tertius esto Tryphon Alexandrinus, quem Ammonii filium fuisse vixisse autem Augusti imperatoris temporibus et ante eum narrat Suidas s. v. *Τρύφ.* Quodsi Ammonius pater Tryphonis Aristarchi ille fuit successor, ad tempora Tyrannionis

etiam Tryphonem referendum esse patet. Vide Velsenium in libello quo Tryphonis fragmenta collegit edito Berol. 1853 p. 1 sqq. In praefatione is alios nominat, qui de Tryphone egerunt. Maximam operam Tryphon posuisse censendus est in dialectis Graecorum explorandis; nominandi inter scriptiones ejus libri quibus *περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ διαλέκτων καὶ Σιμωνίδῃ καὶ Πινδάρῳ καὶ Ἀλκμᾶνι καὶ τοῖς ἄλλοις λυρικοῖς* egisse eum Suidas narrat. Cfr. Velsen p. 3. 102. — Quartum nomino Heracleonem Aegyptium ex Tilote vico oriundum, de quo videndus Beccard De scholl. Venn. p. 76. Eorum fere aequalem quos modo tractavi fuisse eum crediderim; inter scripta ejus primum locum tenuisse videntur commentarii in Homerum, quos Suidas *Ὑπόμνημα εἰς Ὅμηρον κατὰ ῥαψῳδίαν* dicit. Cfr. Etymol. m. p. 702, 10 Scholl. Apollon. Rhod. 1, 769 Steph. Byz. *Ἀρέθουσα*. — Incerta aetas Philoxeni quoque est Alexandrini, quem tractavit M. Schmidt in Philologo 4, 4 p. 627. 6, 4 p. 660. Augusto inferior non fuisse videtur Philoxenus.

Paullo accuratius nobis agendum est de quattuor Aristarcheis, Aristonico, Didymo, Nicanore, Herodiano. Herodianus Marco, Nicanor Hadriano viguit imperante; Didymus et Aristonicus ad tempora pertinent Octaviani Augusti, Antonii, Ciceronis. Aristonicus, de quo conferas Lehrsium Arist. p. 1 sqq, praeter alia quaedam opus scripsit *Περὶ σημείων Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας*; dicunt etiam *Περὶ σημείων Ὁμήρου* et *Ἀριστονίκου Σημεῖα*. Hoc libro singularum Aristarchi notationum criticarum per totam Iliadem atque Odysseam explicavit caussas. Quo in negotio ita est versatus (quod nullus dum animadvertisse videtur) ut posteriorem solam respiceret editionem earumque notationum, quas in priori fecerat, in posteriori omiserat Aristarchus, rationem haberet nullam. Ita vero egisse Aristonicum propterea patet, quod priori editioni, quod dixi, Aristarchi ipsius respondebant *ὑπομνήματα*, in quibus singularum notationum caussae expositae erant, posterioris contra editionis mutationes non uno commentario illustrabantur, sed longa dissertationum serie, per quas mutationum dispersae erant expositiones. Ut Homericas ita etiam notationes ab Aristarcho in Hesiodi Theogonia fac-

tas peculiari opere *Περὶ τῶν σημείων τῶν ἐν τῇ Θεογονίᾳ Ἡσιόδου* Aristonicus exposuit; Homerum suis ipsius quoque commentariis illustravit idem, qui a libro *Περὶ σημείων Ὁμήρου* accurate distinguendi sunt.

Utramque Aristarchi editionem explicavit Didymus, de quo videndus Lehrs Ar. p. 18 sqq. Laboriosus is Didymus fuit usque adeo, ut propter eruditionem eximiam vocaretur ὁ *μέγας* (Suid. s. v. *Ἀπίων*), ὁ *πάνυ* (Suid. s. v. *Ἡρακλείδης Ποντ.*), propter sedulitatem ὁ *χαλκέντερος* et ὁ *πονηρός*, propter librorum ab eo conscriptorum multitudinem ὁ *βιβλιολάθας*; quos libros numero 3500 fuisse Demetrius Troezenius ap. Athen. 4, 17 narrat, 4000 Seneca Ep. 88, 3500 numerum excessisse Suidas s. vv. *Δίδυμος* et *Χαλκέντερος* Hesych. Miles. § 19 (Mueller HGF 4, 161) Eudocia p. 133. Indicari consentiunt viri docti non opera absoluta, sed volumina singula; titulos 54 sibi repertos enumerat M. Schmidt p. 11 sqq operis ejus, quo Didymi Chalcenteri fragmenta collegit edito Lipsiae 1854. In his Didymi operibus fuerunt libri *Περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως*, opus saepius a scriptoribus solo *τῆς διορθώσεως* vocabulo indicatum, quo lectiones Aristarchearum editionum inter se comparavit, addita multarum aliarum editionum varietate lectionumque in aliis scriptis ab Aristarcho prolatarum habita ratione. Praeter ipsius Aristarchi libros in hoc opere quos adierit fontes accurate a nullo dum quaesitum est; probabile autem videtur, editiones eas, quae Aristarchi tempora antecedunt, Zenodoteam, Aristophaneam, alias, a Didymo non esse inspectas, lectionesque earum ex Aristarchi maxime libris esse petitas. Quid quod ne Aristarchi quidem omnes libros adhibuisse ille videtur? Siquidem uno illo loco, quo *τὰ κατ' Ἀριστοφάνην ὑπομνήματα* excitantur, *B* 133, ita loquentem deprehendimus Didymum, ut ex alia Aristarchi scriptione illorum commentariorum notationem transtulisse videatur. Praeter opus *Περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως*, cujus fragmenta exhibet Schmidt p. 112 sqq, ipsum commentarios libros in Iliadem et Odysseam scripsisse constat Didymum, quorum fragmenta apud Schmidtium leguntur inde a p. 179. De patria Homeri quaesivisse Didymum auctor est Seneca Ep. 88 (Schmidt p. 384).

A Didymo priusquam ad Nicanorem transeam, verbo commemorari debet Apion ὁ Πλειστονίκου ὁ ἐπικληθεὶς Μόχθος, Didymi θρεπτὸς teste Suida s. v. Ἀπίων. Hunc hominem, a Tiberio Caesare „cymbalum mundi“ vocatum, a Plinio (Nat. hist. praef.) „propriae famae tympanum“ olim in primis quum numerassent Homericis Lehrs Quaestionum epicarum (editarum Regiomontii Pruss. 1837) dissertatione prima nihil fere Homero praestitisse docuit. Vanitatis ejus unum proferam exemplum: teste Plinio Nat. h. 30, 6 Apion umbras sese evocasse narravit ad percontandum Homerum, quanam patria quibusque parentibus genitus esset, non tamen audere sese profiteri, quid sibi respondisset. Jam de Apione satis dictum videtur.

Nicanor autem Alexandrinus novam interpungendi rationem invenit applicavitque ad Homeri et Callimachi carmina. Totam doctrinam suam sex libris Περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου exposuit, quorum ipse etiam epitomen confecit; Homeri carmina quomodo e legibus a se inventis distinguenda essent opere Περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ docuit, cujus duae erant partes Περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς et Περὶ Ὀδυσσειακῆς στιγμῆς. De Callimacho liber fuit Περὶ στιγμῆς τῆς παρὰ Καλλιμάχῳ. His quattuor operibus quintum Suidas addit simpliciter Περὶ στιγμῆς inscriptum. Praeterea alia idem Nicanorem ait scripsisse nominatque ipse libros Κωμῳδουμένων, Περὶ ναυστάθμου, Περὶ τοῦ ὦναξ. Praecipue tamen in distinguenda interpunctione elaborasse Nicanorem patet, unde factum, ut irrisionis causa Στιγματίαν eum appellarent. Aristarchi editiones ipsas num ad manum habuerit Nicanor incertum esse docuit Friedlaender in libro mox indicando p. 104 sqq; Didymi qui doceant opere Περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως usum illum esse idem vir d. in medium protulit locos; item locos quibus probabile redditur, Aristonici quoque Σημεῖα Nicanorem adiisse. Ab Aristarcho neque in conjungendis dispescendisque enunciationibus neque in lectione reliqua constituenda Nicanorem pependisse totum Friedlaender demonstravit; multo saepius tamen cum Aristarcho stetisse quam ab eo recessisse reperitur in fragmentis; indicavisseque videtur diligenter, si quid contra Aristarchi auctoritatem esset molitus.

Quartus restat Herodianus Alexandrinus, summus grammaticus, grammatici summi filius Apollonii Dyscoli. Cognomen τοῦ Δυσκόλου pater inde traxisse videtur, quod grammatici officio vix satisfieri posse sentiret; filius τοῦ Τεχνικοῦ vocabulo κατ' ἐξοχὴν est cognominatus, quod tanta cum virtute in arte versaretur grammatica, ut praeter ceteros omnes eam callere videretur. Libri et a patre et a filio conscripti sunt multi, quibus de singulis partibus grammaticae egerunt. Servati ex his libris sunt complures. Ut vero Nicanor in distinguenda potissimum interpunctione elaboravit ita Herodianus in prosodia quam veteres dixerunt constituenda, doctrina quae est de accentu, spiritu, quantitate. Itaque ut Nicanor alio opere universam interpungendi doctrinam exposuit, alio Homerica sola carmina e legibus a se constitutis tractavit, ita Herodianus de universa prosodia egit opere maximo Περὶ καθολικῆς προσῳδίας inscripto, quod saepius ἡ καθόλου vocatur, Homerica vero carmina peculiari tractavit scriptione τῆς Ὁμηρικῆς προσῳδίας, cujus duae partes nominantur Ἰλιακὴ προσῳδία et Ὀδυσσειακὴ προσῳδία. Hoc in opere Aristarchi ubique eum habuisse rationem fragmenta commonstrant, quibus Lehrs Arist. p. 34 adductus est, ut Herodianum in plerisque Aristarcho assentiri, raro et verecunde dissentire scriberet. Locos quibus efficitur, Didymi opere Περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως Herodianum esse usum Lehrs apposuit Ar. p. 33; sunt scholl. Λ 441 Ν 450. Aristonici scripturam Herodianus laudat schol. Γ 198. Nicanorem laudatum non repperi. Carminum Homericorum editio ab Herodiano confecta, ἡ Ἡρωδιανοῦ, memoratur in duobus scholiis Η 238. 353, quibus fidem habendam esse nullam Beccard De scholl. Venn. p. 46 recte contendit.

Quattuor virorum de quibus egi quattuor scripta Homerica, Herodiani Ὁμηρικὴ προσῳδία, Nicanoris Περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ, Didymi Διόρθωσις, Aristonici Σημεῖα in unum corpus conflata sunt ita, ut quae singuli de singulis versibus exposuissent, ea componerentur una, totum vero opus speciem prae se ferret commentarii ad versuum ordinem continua decurrentis narratione. Id a quo factum sit nescitur; non diu post Herodiani aetatem factum esse

Lehrs conjecit Ar. p. 35. Quae res utut se habeat, hoc certum est, e tetralogia illa praestantissimorum librorum scholiorum collectiones quotquot supersunt derivatas esse omnes, aliam alia ratione. Tractarunt sane alii quoque Aristarchei eadem argumenta quae quattuor illarum scriptionum sunt; sic scripsisse Ptolemaeum Ascalonitam Suidas narrat *Προσῳδίαν Ὁμηρικήν*, cujus libros duos, *τὴν δευτέραν περὶ τῶν ἐν Ὀδυσσείᾳ προσῳδιῶν* et *τὴν δευτέραν τῶν ἐν Ἰλιάδι προσῳδιῶν* laudat Ammonius Diff. vocabb. s. v. *σταφυλήν*; *τὰς Ὀδυσσειακὰς προσῳδίας* dicit schol. *Φ* 38. Eundem Ptolemaeum Ascalonitam Suidas auctor est scripsisse *Περὶ τῆς ἐν Ὀδυσσείᾳ Ἀριστάρχου διορθώσεως*. Tyrannionem minorem Suidas narrat scripsisse *Περὶ τῆς Ὁμηρικῆς προσῳδίας*, quod opus Planer p. 7. 8 majori Tyrannioni recte vindicavit. Scripsisse Philoxenum Suidas tradit *Περὶ σημείων τῶν ἐν τῇ Ἰλιάδι*. Sed eos libros et qui similes fuerunt priorum Aristarcheorum quattuor illae scriptiones obscuraverunt, quas scholiorum Homericorum omnium fundamentum esse rettuli. Ptolemaeum Ascalonitam et Tyrannionem Herodianus saepenumero respexit. Vide locos congestos a Beccardo Scholl. Venn. p. 72. 75. Aristarchi *Ὑπομνήματα* in collectionem scriptionum illarum quattuor propterea non recepta esse apparet, quod ad priorem tantum editionem ea erant adaptata, quum Didymus utramque respiceret editionem simulque opera successorum Aristarchi, Aristonicus vero posterioris ille editionis explicans *σημεῖα* non solum e *συγγράμμασι* sed etiam ex *ὑπομνήμασιν* Aristarchi quaecumque posteriorem quoque tangerent editionem excerpsisse videretur omnia iisque supplevisse Didymi opus non tam in explicatione poëtae versantis quam in lectione illustranda. Ita factum est, ut ipsius Aristarchi quoque interirent commentarii, Aristarcheorum illorum quattuor opera quae dixi servarentur, non quidem integra, sed ex parte. Depravata enim excerpendo in scholiis sunt plurima, multa omissa, multa ex aliis scriptionibus, e. g. Porphyrii addita, lacerata fere omnia. Attamen vel in vilissima scholiorum congerie eximiae illum doctrinae fontem agnoscas communem. Depravatissima sunt scholia codicum L(ipsiensis) et V(ictoriani); atqui in iis, quod Lehrs Ar. p. 38 sqq dicere debebat,

non pauca occurrunt primariae collectionis fragmenta quae salutem afferunt depravatis meliorum scholiorum in codicibus Venetis A et B(essarionis) servatorum locis. Longe praestantissimus codex est Venetus A, qui textum Iliadis exhibet signis criticis ornatum, scholiis in margine instructum locupletissimis. Singulis rhapsodiis excepta una *Ω* subscriptus est index quattuor operum, e quibus scholia contexta sunt. Verba plerumque sunt haec: *Παράκειται τὰ Ἀριστονίκου Σημεῖα καὶ τὰ Διδύμου Περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως, τινὰ δὲ καὶ ἐκ τῆς Ἰλιακῆς προσῳδίας Ἡρωδιανοῦ καὶ ἐκ τῶν Νικάνορος Περὶ στιγμῆς.*

Hunc codicem A Venetiis in bibliotheca Marciana asservatum primus excussit Joh. Baptista Caspar d'Ansse de Villoison, qui ex eo Venetiis 1788 fol. Iliadem cum signis criticis et scholia edidit, adjectis aliorum codicum scholiis. Qua Villoisoni editione studia Homerica mirum quantum incrementi ceperunt ex quo inde tempore primus Fridericus Augustus Wolfius vir immortalis memoriae cum cura atque doctrina eam perscrutatus quae notaverat in scribendo adhibuit Prolegomenon ad Homerum libro. Publici juris factus is liber est Halis Saxonum 1795. Codicis Veneti A scholia post Villoisonum denuo Immanuel Bekkerus edidit una cum scholiis codicum BLV, Leydensibus et Mosquensibus nonnullis, plerisque iis, quae Didymi nomine falso signata in vetustissimis Iliadis editionibus reperiuntur, Berol. 1825. 4. Lipsiensia Iliadis scholia post Bekkerum accuratius Bachmann Lipsiae 1835 edidit. Venetos codices post Bekkerum Cobetus doctissimus Batavus excussit; cujus collationis adhuc specimina tantum edita sunt a Pluygersio in programmate gymnasii quod est Lugd. Bat. anno 1847, inscripto „De carminum Homericorum veterumque in ea scholiorum post nuperrimas codicum Marcianorum collationes retractanda editione". De scholiis Leidensibus dissertatio est Valckenaerii Opuscull. (edd. Lips. 1808. 1809) vol. 2 p. 95 sqq; in eodem volumine p. 1 sqq Iliadis *X* edita exstat cum scholiis Leidensibus ad eam pertinentibus. De scholiis codicis Vaticani vide Gustavum Wolff in Philol. 9, 2 p. 385. Scholia Iliadis ex variis codicibus Parisiensibus descripta publici juris fecit Cramer in Anecdd. Pariss. vol. tertio edito Oxon. 1841.

Iliacis longe deteriora scholia sunt Odysseaca. Horum collectionem variis ex codicibus, Palatino, Ambrosianis tribus, Harlejano, Vindobonensibus, editionibus Homeri vetustis depromptam Buttmann edidit Berol. 1821. Hamburgensis codicis scholia Odysseaca Preller in lucem emisit duabus scriptionibus academicis Dorpati 1839. 4to. Harlejanum a Porsono obiter tractatum denuo excussit Cramer spicilegiumque scholiorum ejus proposuit in Anecdd. Pariss. vol. 3, quo eodem volumine praeter Scholia Iliadis etiam Odysseaca continentur e duobus Parisiensibus descripta*).

Saeculo duodecimo p. Chr. n. Eustathius archiepiscopus Thessalonicensis amplissimum commentarium Iliadis et Odysseae confecit *Παρεκβολῶν* titulo inscriptum. Novissima editio est Lipsiensis, quae 1825—30 prodiit septem voluminibus, 4to. Hujus commentarii multi sunt fontes; fundamentum vero idem quod reliquorum scholiorum tetralogia illa praestantissima, quam Eustathius *τῶν παλαιῶν* saepissime indicat titulo. Compluribus locis idem excitat *Ἀπίωνα καὶ Ἡρόδωρον*, quorum sub nominibus quae venditat ea et ipsa e tetralogia illa petita esse apparet; vid. Lehrs Arist. p. 40. 387. Duas diversas Aristonici, Didymi, Nicanoris, Herodiani collectiones ad manus Eustathium habuisse Lehrs statuit ll. cc.; sunt tamen quae suadeant, unam eum laudare collectionem aliis locis *τῶν παλαιῶν* aliis *Ἀπίωνος καὶ Ἡροδώρου* titulo.

Praeter Eustathium et scholia multi alii scriptores Aristarcheae doctrinae exhibent fragmenta, e. g. Strabo geographus, Athenaeus deipnosophista, lexicographi ad unum omnes. E lexicographis plurima suppeditant Hesychius et Apollonius sophista, cujus totum lexicon est Homericum. Vixit is Apionis temporibus et Didymi. Editum Apollonii lexicon est primum a Villoisono Lutet. Paris. 1773 fol., dein a Tollio Lugd. Bat. 1778, tertio ab Immanuele Bekkero Berol. 1833. Aliud lexicon Homericum Epimerismorum inscriptum titulo (*Ὁμήρου ἐπιμερισμοὶ κατ' ἀλφάβητον*) Cramer edidit Anecdd. Oxonn. vol. primo Oxon. 1835.

*) Haec quum in chartas nitidas transscripsissem librario tradendas, allata fuit Odysseacorum scholiorum nova editio, curata a Guilelmo Dindorfio, duobus voll. Oxonii 1855 emissa.

Fontium Aristarcheae doctrinae naturam atque usum rectum primus docuit Lehrs in libro de Aristarchi studiis Homericis. Eum secuti sunt alii, ex quibus hoc loco nominandi sunt nonnulli. Theodorus Beccard in dissertatione inaugurali De scholiis in Homeri Iliadem Venetis A Berol. 1850 publicata longius in nonnullis progredi cupiens quam Lehrs progressus sit in Aristarcho suo multa quidem collegit veterum testimonia, in errores tamen incidit varios, quorum gravissimus hic est quod juxta „scholiastam", qui scriptiones quattuor saepius jam nominatas Herodiani, Nicanoris, Didymi, Aristonici in unum corpus redegerit, „epitomatorem" introduxit unum scholiorum, quem excerpendo decurtasse ait opus „scholiastae". Fuerunt multi „epitomatores", non unus; nec ratione et via certa progressi sunt illi, sed libidini suae et negligentiae indulgentes sunt grassati, omittentes alius alia. Mauricium Schmidt universorum Didymi fragmentorum collectionem Lipsiae 1854 edidisse supra jam rettuli, in qua fragmenta operis *Περὶ τῆς Ἀριστάρχείου διορθώσεως* exstare dixi p. 112 sqq. Ludovicus Friedlaender ex scholiis Iliacis reliquias Nicanoris *Περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς* edidit Regiomontii Pruss. 1850, Aristonici *Περὶ σημείων Ἰλιάδος* Gottingae 1853. Odysseaca aliquot signa cum scholiis Aristonici ea explicantibus restituere ego conatus sum; scripsi de signis ad *φ* 13. 15 *χ* 26 sqq olim appositis in Jahnii annalibus 67, 6 p. 615. 626, de signis versuum *α* 1—51 in programmate Leucophaei Berolinensis 1855 cui titulus est Aristoniceorum. Herodiani reliquias *Ἰλιακῆς προσῳδίας* Lehrs ipse collegit ediditque Regiomont. 1848 in volumine quod inscriptum est „Herodiani scripta tria emendatiora".

Ab Aristarcho ejusque schola, abs qua virorum doctorum qui hodie sunt tota pendere vides studia Homerica, gradum jam referamus ad eos grammaticos, qui inter Zenodotum et Aristarchum aetate medii fuerunt Alexandriae. Iam ordinem temporum ut probe teneas bibliothecariorum primum Musei enarrabo seriem: sunt Zenodotus, Callimachus, Eratosthenes, Apollonius Rhodius, Aristophanes Byzantius, Aristarchus.

De Apollonii Rhodii vita et scriptis librum composuit Augustus Weichert Misniae 1821 editum, multis erroribus

deformatum. Scripsit Apollonius varia carmina, ex quibus praeter epigramma unum et fragmenta quaedam Argonauticorum soli quattuor servati sunt libri. His Homerum eum imitatum esse apparet. Pedestri oratione idem confecit librum *Πρὸς Ζηνόδοτον*, quo Zenodoti Ephesii carminum Homericorum editionem impugnasse videtur; cfr. schol. *N* 657 *Δ* 3 *B* 435 Commentarium Apollonii in Archilochum testatur Athen. 10, 74; in Hesiodo criticam exercuisse Apollonium Rhodium patefaciunt scholia duo Opp. 824 Theog. 26 et Argum. Scut. Goettl. ed. 2 p. 108, de quo loco videas Goettlingium ejusd. ed. p. LVIII. Idem Rhodius Apollonius haud dubie intelligendus schol. Opp. 57, ubi Rhodii epitheton non additum; sic dipla ad *Δ* 97, qua Aristonicus Apollonium notari dicit, Apollonius Rhodius notari videtur.

Multo majora quam Apollonii Rhodii in Homerum Eratosthenis Cyrenensis sunt merita. Libri quos conscripsit perditi sunt omnes; fragmenta collegit Bernhardy Eratosthenicorum volumine Berol. 1822 edito. Primum locum tenuisse videntur duo majoris ambitus opera, alterum Geographicorum, alterum Chronographiarum titulo signatum. Homericis jam Eratosthenis quid potissimum effectum sit studiis, verbis Strabonis indicabo: docuit ille primus *ὅτι ποιητὴς πᾶς στοχάζεται ψυχαγωγίας, οὐ διδασκαλίας χάριν* (Strab. 1 p. 7. 15. 16. 25)· *καὶ Ὅμηρον καὶ ἄλλους τοὺς παλαιοὺς τὰ μὲν Ἑλληνικὰ εἰδέναι, τῶν δὲ πόρρω πολλὴν ἔχειν ἀπειρίαν, ἀπείρους μὲν μακρῶν ὁδῶν ὄντας ἀπείρους δὲ τοῦ ναυτίλλεσθαι* (7, 298. 1, 18)· *ἀγνοεῖν γὰρ τὸν Ὅμηρον πολλὰ τῶν ἐνδόξων παρὰ τὸν Πόντον, οἷον ποταμοὺς καὶ ἔθνη· ὀνομάσαι γὰρ ἄν* (12, 553)· *οὐδὲ τὰ τοῦ Νείλου στόματα εἰδέναι αὐτὸν πλείω ὄντα, οὐδ' αὐτὸ τοὔνομα* (1, 29)· *τότ' ἂν εὑρεῖν τινα, ποῦ Ὀδυσσεὺς πεπλάνηται, ὅταν εὕρῃ τὸν σκυτέα τὸν συρράψαντα τὸν τῶν ἀνέμων ἀσκόν* (1, 24. 18)· *καὶ ὅτι ὑπολάβοι τις ἄν, τὸν ποιητὴν βούλεσθαι μὲν ἐν τοῖς προσεσπερίοις τόποις τὴν πλάνην τῷ Ὀδυσσεῖ ποιεῖν, ἀποστῆναι δ' ἀπὸ τῶν ὑποκειμένων, τὰ μὲν οὐκ ἀκριβῶς πεπυσμένον, τὰ δὲ οὐδὲ προελόμενον οὕτως, ἀλλ' ἐπὶ τὸ δεινότερον καὶ τὸ τερατωδέστερον ἕκαστα ἐξάγειν* (1, 26)· *τὰ πόρρω τερατολογεῖσθαι μᾶλλον διὰ τὸ εὐκατάψευστον* (ib.)· *οὐ θαυμαστὸν δ' εἶναι περὶ Ὁμήρου· καὶ γὰρ*

τοὺς ἔτι νεωτέρους ἐκείνου πολλὰ ἀγνοεῖν καὶ τερατολογεῖν (7, 298). Haec Eratosthenis doctrina, quam egregie illustravit Lehrs Arist. p. 242 sqq, a prioribus scriptoribus Graecis alienissima fuerat; Homerum tantum non omnia habuisse comperta descripsisseque accurate sibi persuaserant. Eratosthenis vero sententiam, qui quid rei esset ingeniose docuit, multi quidem impugnarunt, ut Strabo, doctissimus tamen quisque suam fecit. Ita egisse Apollodorum Aristarchi discipulum Strabo patefacit; Aristarchum quoque ipsum in Eratosthenis discessisse partes scholia abunde docent. Erroribus tamen quibusdam grammaticis in Homero commissis interpretando Eratosthenes incurrit in reprehensionem Aristarchi, qui diplas adversus illum ab Aristonico traditur posuisse *K* 364 *Ω* 282. Praeterea etiam in aetate poëtae definienda ab Eratosthene Aristarchus recessit; Apollodorus contra in ea quoque re Eratosthenem sequi maluit quam praeceptorem suum. Secundum Eratosthenem Homerum 100 annis p. Tr. c. vixisse narrant Clemens et Tatianus (Euseb. Hieron. Syncell.), quos falsa perhibere viri docti arguunt propterea quod Apollodorus, qui in reliqua temporum omnium Ol. 1 priorum definitione Eratosthenem sit secutus, Homerum ad annum 100 p. Ion. migr. rettulerit; facile autem accidere potuisse ut termino a quo per errorem permutato centesimo p. Ionicam migrationem anno centesimus p. Trojam captam substitueretur. Sic Fischer disputat in libro inscripto Griechische Zeittafeln p. 43 (cfr. p. 5), quem fugit vitae 6 locus, ubi disertis verbis vera Eratosthenis computatio relata est: *Ἐρατοσθένης δὲ μετὰ ρ´* (scil. *ἔτη*) *τῆς τῶν Ἰώνων ἀποικίας* (scil. *γεγονέναι φησὶν Ὅμηρον*). In vita 8 lin. 39 West. Eratosthenes producitur testis de Hesiodo, non de Homero. Tatianus Eratosthenem inter eos numerat, qui quaesiverint de Homeri poësi, genere, aetate. Hoc ille non fecisse videtur libro peculiari, sed in Chronographiarum opere. Geographiam Homeri tractavisse eum apparet in libris Geographiarum; item grammaticos quos vituperavit errores Aristarchus Bernhardy in geographico opere Eratosthenem commisisse judicavit; quod recte factum videtur esse, siquidem neque de editione carminum Homericorum ab Eratosthene confecta neque de commentariis in ea carmina scriptis, neque

de alio Homerum solum illustrante Eratosthenis opere aliunde quidquam innotuit.

Eratosthenes et Apollonius Rhodius discipuli fuerunt Callimachi Cyrenensis. Hunc priusquam audivit Alexandriae Eratosthenes Cyrenis institutus videtur fuisse a Lysania Cyrenensi, quem studiis Homericis sese dedisse arguunt nonnulli loci veterum scriptorum, veluti scholl. *I* 378 *II* 558. Fuisse Lysaniam Eratosthenis praeceptorem testatur Suidas s. v. Ἐρατοσθ. Callimachus autem Cyrenensis, quem postea audivit Eratosthenes, a Strabone 17, 838 *ποιητὴς ἅμα* dicitur *καὶ περὶ γραμματικὴν ἐσπουδακώς*, ab eodem 9, 438 *πολυΐστωρ εἴ τις ἄλλος*. Similia refert Suidas et Suidam secuta Eudocia p. 269, qui supra 800 eum libros confecisse narrant. Breviores tamen fuisse aut omnes aut plurimos ex eo colligitur, quod auctor ipse Athenaeo teste 3, 1 magnum librum pro magno malo habendum esse censuit. Accedit quod in Callimacho quoque singulas operum partes ut in Didymo et Aristarcho a Suida vel potius ejus auctore esse numeratas credibile est. Servata sunt hymni pauci, epigrammata multa, fragmenta plurima maxime carminum. Collectionem reliquiarum congestam a variis illustratam commentariis Ernesti edidit Lugd. Bat. 1761 duobb. voll. Post Ernestium qui operam in Callimacho posuerunt viri docti, eorum potissimos reperies nominatos in Alphonsi Heckeri commentationum Callimachearum capitibus duobus Groningae 1842 editis, cujus operis capite priori continentur Analecta de Callimachi vita.

Poëta, non poëta et grammaticus Callimachus compluribus dicitur locis, e. g. Gell. N. A. 17, 21; grammaticum non minus quam poëtam eum fuisse vel epigrammata quaedam demonstrant, quibus ridetur ejus eruditio. Sic Callimachum solum Zenodoto illi Ephesio primo Homeri διορθωτῇ adjunxit Philippus Anthol. Pal. 11, 321: *Γραμματικοὶ Μώμου στυγίου τέκνα, σῆτες ἀπάντων, | τελχῖνες βίβλων, Ζηνοδότου σκύλακες, | Καλλιμάχου στρατιῶται, ὃν ὡς ὅπλον ἐκτανύσαντες | οὐδ' αὐτοῦ κείνου γλῶσσαν ἀποστρέφετε, | συνδέσμων λυγρῶν θηρήτορες, οἷς τὸ „μίν" ἢ „σφίν" | εὔαδε καὶ ζητεῖν, εἰ κύνας εἶχε Κύκλωψ, | τρίβοισθ' εἰς αἰῶνα κατατρύζοντες ἀλιτροί | ἄλλων· ἐς δ' ἡμᾶς ἰὸν ἀποσβέσατε.* Eadem ratione

cum Aristarcho Callimachum perstringit idem Philippus Anth. Pal. 11, 347, ubi grammaticos τοὺς περικαλλιμάχους vocat et τοὺς ἀπ' Ἀριστάρχου σῆτας ἀκανθολόγους. Solus Callimachus nominatur ab Antiphane A. P. 11, 322, ubi grammatici Καλλιμάχου πρόκυνες audiunt; Aristarchei soli vapulant Herodico ap. Athen. 5, 65 et Lucilio A. Pal. 11, 140.

Libello de Homeri vita peculiari num egerit Callimachus incertum est; egisse eum de Homero certum in opere magno literarum Graecarum historiam 120 libris complectente, quod ut conficeret officio suo bibliothecario procul dubio adductus est. Cfr. scholium Plautinum ap. Ritschelium in libro de bibl. All. p. 3 Anonymum Περὶ κωμῳδίας in Crameri Ann. Pariss. I p. 6. Titulum operis Suidas s. v. Καλλίμ. exhibet huncce: Πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν. Brevitatis causa Athen. 9, 76 τοὺς Καλλιμάχου πίνακας dicit; similiter Diog. Laert. 8, 86 Καλλίμαχος ἐν τοῖς πίναξι. Fragmenta τῶν Πινάκων exstant in editione Ernest. vol. 1 p. 469 sqq. Quid de Homeri aetate et patria statuerit Callimachus, nec Tatianus, qui inter eos illum numerat, qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint, neque ullus alius refert. Epigramma tamen servatum est Callimachi — vid. Strab. 14, 638 Eustath. *B* 730 p. 331, 3 Sext. Empir. Advs. Mathem. 1 § 48 Scholl. Dionys. Thrac. Ann. Bekk. 2 p. 725. 728 Etym. m. s. v. Γράμματα Cram. Ann. Oxonn. 4, 310 — quo Οἰχαλίας ἅλωσιν carmen vulgo Homero tributum non ab Homero, sed a Creophylo Samio confectum esse autumat, qui hospitio quondam exceperit Homerum. Aliud carmen ex iis, quae Homero tribuebantur falso, Margiten, Callimacho valde placuisse Harpocratio narrat s. v. Μαργίτης. Apud Pausaniam 9, 9, 3 legitur, aliquem Calaenum Thebaidis carmen ad Homerum rettulisse. Voluit ibi Ruhnkenius pro Καλαῖνος et Καλαίνῳ (varr. Κάλαινος Καλλαίνῳ Καλλυΐνῳ), quae nihili sunt, Καλλίμαχος scribere et Καλλιμάχῳ, voluerunt complures Καλλῖνος et Καλλίνῳ; vide Ernestium 1, 439 Welckerum Ep. Cycl. 1, 198. Rhapsodorum vocabuli explicationem habes in fragmento Callimachi ap. schol. Pindar. Nem. 2, 1 et Eustath. *A* p. 6 servato. De Callimachi epigrammate Anth. P. 12, 43 ἐχθαίρω τὸ ποίημα τὸ κυκλικόν cfrd. Welcker Ep. Cycl. 1,

110 sqq. In geographia Homeri explicanda Callimachus longe afuit a doctrina ea, cujus auctorem Eratosthenem exstitisse narravi; quapropter in acerbam Apollodori vituperationem incurrisse illum Strabo ait 1, 44. 7, 299. Cfr. Plin. N. h. 4, 19. Multos Iliadis et Odysseae locos quomodo interpretatus sit legeritve Callimachus reliquiae carminum docent servatae, quibus ad Homerum allusisse reperitur. Exempla nonnulla sparsa reperies apud Heckerum p. 95—147. Diplas adversus Callimachum Aristonicus exhibet *Γ* 371 *Δ* 62.

E discipulis qui praeter Eratosthenem et Apollonium Rhodium nominantur Callimachi, memorandi sunt Aristophanes Byzantius, de quo infra dicam, et Ister Cyrenensis vel Macedo vel Paphius, apud Suidam Callimachi *δοῦλος καὶ γνώριμος* vocatus, *Ἴστρος ὁ Καλλιμάχειος* apud Athen. 6, 103. 9, 38. 11, 55. Ab Aristarcho *B* 110 *K* 199. 298 *N* 629 *O* 230 *T* 34 dipla eum notatum esse Aristonicus tradit. Fragmenta Istri collecta sunt in Muelleri HGF 1, 418; de vita et operibus idem egit p. LXXXV. XC. Leagoram Syracusanum, quem diplae purae usum introduxisse supra narravi, ad Callimacheos propterea pertinuisse conjicio, quod Callimachi uxor teste Suida s. v. *Καλλίμ.* natione fuit Syracusana.

Homericorum erat genus qui excitandis maxime solvendisque quaestiunculis intricatis et captiosis dabant operam quarum utilitas erat nulla; rem illustravit pluribus Lehrs Arist. p. 200 sqq. Qui excitando potissimum sibi placerent, *ἐνστατικοὶ* dicebantur, *λυτικοὶ* s. *ἐπιλυτικοὶ* qui solvendo. Hi enim *λύουσιν*, *ἐπιλύουσιν*, *ἀπολογοῦνται*, *τὸν ποιητὴν ἀπολύουσιν*, *ἀπολύονται τὰς ἀπορίας*, *τὰς προτάσεις*, illi *προτείνουσι*, *κατηγοροῦσι*, *ζητοῦσι*, *διαβάλλουσι*. Sosibium Laconem Suidas *γραμματικὸν* appellat *τῶν ἐπιλυτικῶν καλουμένων*, *Σωσίβιον τὸν λυτικὸν* et *Σωσίβιον τὸν θαυμάσιον λυτικὸν* Athenaeus 11, 85, quo loco quae narrantur optimo jure illum sic esse appellatum demonstrant. Ex eodem Athenaei loco Sosibium constat Ptolemaeo 2 Philadelpho regnante degisse Alexandriae, sub quo Zenodotus et Callimachus praefuerunt bibliothecae Musei. Itaque non absonum videtur, nostrum Sosibium credere illum, quem Athenaeus 4, 25 libri *Πρὸς Κάσσανδρον περὶ βασιλείας* ad Theophrastum relati auctorem haberi a multis celebratum-

que esse epinicio elegiaco a Callimacho scribit. Certi Sosibii nostri libri sunt habendi *Περὶ χρόνων* (Athen. 14, 37) sive *Χρόνων ἀναγραφή* (Clem. Al. Stromm. 1, 117), quo Laconicis potissimum fontibus usus tempora rerum ad seriem maxime Lacedaemoniorum regum digessit; dein *Περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν* (Athen. 15, 15 *Περὶ θυσιῶν* 15, 22), *Ὁμοιότητες* (Athen. 15, 42), *Περὶ Ἀλκμᾶνος* (Athen. 3, 82. 14, 54). His C. Mueller, qui HGF 2, 625 sqq Sosibii fragmenta collegit, librum *Περὶ Ὁμήρου* addit, qui titulus a veteribus non nominatur. Refert autem Mueller ad eum librum fragmentum ap. Athen. 11, 85, quo de loco Iliadis *Λ* 631 sqq agitur. Quae de aetate Homeri loco supra apposito Clemens Al. ex Sosibio profert, ea ipse Clemens e *Χρόνων ἀναγραφῇ* desumpta esse dicit.

Recensionem carminum Homericorum nec Sosibius nec reliqui illi ediderunt medii aetate inter Zenodotum et Aristarchum de quibus egi, excepto fortasse uno Leagora Syracusano, cujus opera, etiamsi recensuit Homerum (nam conjici potest eum nihil aliud praestitisse nisi quod diplas illas ad distinguendum Olympum a Coelo codicibus appinxit), magni non est facienda, si quid ex alto scholiorum silentio concludere licet. Longe insignior certe fuit editio Rhiani Cretensis. Hic homo, grammaticus et poëta, teste Suida aequalis Eratosthenis, compluria carmina epica composuit, de quibus videndus Meineke in dissertatione de Rhiano Cretensi inserta Analectis Alexandrinis quae prodierunt Berol. 1843 p. 169 sqq. Primum locum tenuisse inter Rhiani carmina videntur Messeniaca, quibus Messeniacum bellum secundum celebravit et Aristomenem. Pausanias 4, 6, 2 Aristomenem a Rhiano simili ratione celebratum esse in Messeniacis ait atque in Iliade Homeri Achillem: *Ῥιανῷ δὲ ἐν τοῖς ἔπεσιν οὐδὲν Ἀριστομένης ἐστὶν ἀφανέστερος ἢ Ἀχιλλεὺς ἐν Ἰλιάδι Ὁμήρῳ.* Transtulisse vero multa ex Homero in carmina sua Rhianum ita ut simplicitatem maxime Homerici sermonis aemularetur fragmenta docent. Qua in re longe recessit ab ostentatione doctrinae, quae reperitur apud Apollonium Rhodium et Callimachum. Editio Iliadis et Odysseae quam confecit Rhianus, *ἡ Ῥιανοῦ*, saepius in scholiis commemoratur. Videtur Rhiani

opera fuisse elegantissima, posita maxime in resecandis versibus iis, qui supervacanei (περιττοί) viderentur esse. Narrantur certe atheteses Rhiani complures et audacissimae et elegantissimae.

Post Zenodotum et Rhianum ex Alexandrinis tertius (nam Leagoram non numero) recensionem Homericorum carminum novam edidit Aristophanes Byzantius. Ejus editio, ἡ Ἀριστοφάνους, ἡ κατὰ Ἀριστοφάνη, ἡ Ἀριστοφάνειος, αἱ Ἀριστοφάνους i. e. exemplaria editionis Aristophaneae, longe pluribus scholiorum locis respicitur quam Rhiani editio, multo rarius tamen quam Zenodotea. Libro peculiari Aristophanis studia illustravit Augustus Nauck Halis 1848 edito.

Praeceptores Aristophanis Nauck p. 2. 3 enumerat sex viros doctos, ex quibus Zenodotum Ephesium, Callimachum, Eratosthenem nominasse hoc loco sufficit. E discipulis Aristophanis longe clarissimus fuit Aristarchus, cujus praestantiam Nauck p. 6 recte contendit plurimum nocuisse praeceptori atque effecisse, ut multarum rerum a magistro acceptarum auctor haberetur discipulus illo celebrior. Quae Aristophanis obscuratio quam late pateat hujus loci non est quaerere. In recensendo Homero multa Aristarcho praeivisse Aristophanem scholia luculenter commonstrant, in quibus e. g. extremam Odysseae partem inde a ψ 297 ante Aristarchum jam ab Aristophane damnatam esse legimus. Pro fundamento autem posteriores grammatici Aristarcheam habuerunt recensionem; cujus rei manifestum documentum vocabuli προαθετεῖν habemus usum. Eos enim locos, quos Aristarchus damnavit non primus, sed subscribens judicio prioris critici, Aristarchus ἀθετῆσαι, auctor vero τῆς ἀθετήσεως dicitur προαθετῆσαι. Qui usus vocabuli προαθετεῖν non, quod nonnulli opinantur, ad Zenodotum et Aristophanem pertinet solos, sed ad omnes criticos Aristarchi aetate priores quicumque versus proscripserunt quos postea ille quoque proscripsit. Sic Athenoclem memoratum reperio in Crameri Ann. Parr. 3, 490, 35 (Harl.) ad versum ξ 503 ὣς νῦν ἡβώοιμι: καὶ ὁ Ἀθηνοκλῆς προηθέτει. ἀφανίζουσι γὰρ (intell. οἱ στίχοι) τὸ χωρίον τοῦ αἰνίγματος διαρρήδην αἰτοῦντος· ἄλλως τε καὶ ὁ Εὔμαιος ὕστερον λέγει· „αἶνος μέντοι ἀμύμων ὃν κατέλεξας“. Eandem athete-

sin tangit Eustathius ad ξ 508 p. 1769, 10 Ἀθηνοκλῆς ἠθέτει dicens; Buttmann ad ξ 504 sic: „Hunc et duo sequentes ἠθέτει Ἀθηνοκλῆς, ut colligo e schol. marg. Pors. ex Harl. Obelo configuntur iidem versus in codice Q." Crameri collatione docemur et hoc, Aristarchum quoque obelis notasse versus ξ 503—506 (vel 504—506) et hoc, Athenoclis superiorem aetatem fuisse Aristarcho. Est haud dubie idem Athenocles, qui ab Athenaeo 5, 4 Cyzicenus dicitur et μᾶλλον Ἀριστάρχου κατακούων τῶν Ὁμηρικῶν ἐπῶν. In Scholiis Bekkeri Z 71 Athenocles laudatur ἐν τῷ Περὶ Ὁμήρου; librum Ammonii Aristarchei Πρὸς Ἀθηνοκλέα supra jam commemoravi (schol. Γ 368 Η 7). Conferendum praeterea scholium Buttmanni ξ 144, ubi primum verbis περιττὸς ὁ στίχος tacite indicatur Aristarchea ἀθέτησις, dein caussa judicii additur, postremo subjunguntur verba καὶ Ἀθηνοκλῆς δὲ ὑπώπτευσε τὸν στίχον. Sic ubique Aristarcheam doctrinam veteres grammatici habebant pro fundamento universorum Homericorum studiorum. Quo fit probabile, locis non ita paucis, quibus Aristarchi solius in scholiis mentionem videmus factam, Aristophanis excidisse nomen incuria alicujus scholiastae, qui satisfecisse sibi videretur, si discrepantem ab Aristarcho notaret Aristophanem, praetermitteret consentientem. Multo melior sane Zenodotei nominis est conditio. A quo quum sciamus ubicumque recessisset in lectione constituenda punctata indicasse dipla Aristarchum, ubi scholiastae Zenodoti nomen presserunt, consuluisse hi videntur magnopere Zenodoti laudibus. Sed Zenodoti omnino mentio multo frequentior in scholiis est quam Aristophanis; cujus rei caussa primaria in ipso punctatae illius diplae usu posita. Accedit quod in multis, in quibus ab Aristarcho dissensit Aristophanes, cum Zenodoto hic stetit. Id scholia saepius factum esse tradunt; saepissime autem Aristophanis nomen pressum esse ubi cum Zenodoto fecerit probabile est. Videtur igitur Aristophanis ea fuisse conditio, ut inter Scyllam quodammodo Aristarchei Zenodoteique nominis Charybdin medius agitaretur infelix; ab altero ubi recederet in alterum incidit obscuram utcumque subiturus caliginem. Ausonius loco saepissime excitato Septem sapp. praef. 11 celebrans Zenodoti Aristarchique labores Homericos Aristo-

phanem omisit: „Maeonio qualem cultum quaesivit Homero | censor Aristarchus normaque Zenodoti, | pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum: | palmas, non culpas esse putabo meas cett. His cum versibus compara mihi indicem Bekkerianorum Scholiorum s. vv. Aristophanes Zenodotus: senties jam quid rei sit; vel Friedlaenderi adeas Iliaca Aristonici fragmenta, quae, si fides indici, Aristophanem 23 locis nominant, 361 Zenodotum. Nocuit etiam hoc Aristophani, quod commentariis suam editionem ornare noluit; sic enim fieri vix potuit quin multorum, quae Aristophanes observaverat, Aristarchus in commentariis explicuerat, a scholiastis minus diligentibus Aristarchus perhiberetur auctor. Id tamen in Zenodotum quoque cadit, quem commentarios Homericos non scripsisse supra monui. Atque omnino qui ante Aristarchum in Homero elaboraverunt universorum haec sors communis videtur fuisse ut ab illo obscurarentur et de parte inventorum illi cederent. Sperare tamen licet, fore ut cui quid debeatur magis magisque exploremus. Doctrinam quidem illam de Olympo diverso a Coelo ab Aristarcho profectam esse etiam Lehrs olim videtur persuasum habuisse; vid. Arist. p. 167 sqq; reperto nunc jam anecdoto Parisino collatoque Isidoro (Osann. An. R. p. 330) ante Aristarchum Leagoras Syracusanus dipla locos notasse intelligitur, quibus illa doctrina stabiliretur. Sic de Athenocle Cyziceno Cramerum bene meruisse prolato ex Harl. uno illo προηθέτει vidimus. Eruentur ejusmodi plura.

Integer atque incorruptus Aristophani signorum prosodiacorum, accentuum, spirituum et si quae sunt similia aut inventorum aut ad leges certas revocatorum constantique usui redditorum mansit laus. Qua cum inventione criticorum signorum usus cohaeret arctissime, quae idem Aristophanes primus multiplicasse videtur. Ad Zenodotum solus obelus refertur a veteribus, ad Leagoram sola dipla pura; Aristophanes in Homero adhibuisse narratur ceraunium, sigma et antisigma, asteriscum, quibus tria quattuorve alia signa accedunt, quorum vocabula non sunt tradita. Ceraunium Aristophanes apposuisse videtur ubi complures deinceps versus damnaret; compara Anecd. Paris. et Isidorum ap. Osann. p. 332 cum scholio σ 281 Cram. Ann. Pariss. 3, 505. Aristarchus ceraunii usum abroga-

vit; complures ubi damnandi erant versus, singulis singulos praefixit obelos. Quae ratio distinctior videtur esse. Sigma et antisigma teste schol. *ε* 247 coll. schol. Aristoph. Rann. 153 Aristophanes ea potestate adhibuit, qua Aristarchus antisigma et punctum. Asteriscum Anecd. Paris. ap. Osann. p. 329 tradit Aristophanem apposuisse iis locis quibus sensus deesset, Aristarchum vero ubi recte positus esset versus, qui alio loco esset ejiciendus; ejiciendus ubi versus esset, qui alio loco recte legeretur, asteriscum et obelum Aristarchum apposuisse; quam notam propriam esse Aristarchi cum anecdoti auctore Isidorus apud Osannum l. c. p. 329 confirmat. His testimoniis scholium *γ* 71 adversari videtur; ibi enim Aristophanes asteriscum et asteriscum cum obelo eadem ratione narratur adhibuisse atque Aristarchus: *Ὦ ξεῖνοι τίνες ἐστέ: τοὺς μετ' αὐτὸν τρεῖς στίχους ὁ μὲν Ἀριστοφάνης ἐνθάδε σημειοῦται τοῖς ἀστερίσκοις· ὅτε δὲ ὑπὸ τοῦ Κύκλωπος λέγονται* (*ι* 253 sqq) *καὶ ὀβελίσκους τοῖς ἀστερίσκοις παρατίθησιν ὡς ἐντεῦθεν μετενηνεγμένων τῶν στίχων*. Dissidium ita composuit Nauckius p. 17, ut ab auctore scholii *γ* 71 Aristarcheam normam communi illam usu receptam ad magistrum Aristophanem parum accurate transferri statueret. Quam in vocabulorum confusionem ut incideret scholii auctor effectum esse patet eo, quod eadem annotatione versus illos tres, quos in *γ* rhapsodia Aristophanes retinuerit, in *ι* damnarit, ab Aristarcho monuit versa vice in *ι* esse probatos, in *γ* damnatos, id quod factum esse fragmentum quoque Bekkeri Schol. p. III tradit. Simili casu accidit ut *ἀστερίσκων* ad similitudinem vocabuli bis juxta positi non *ὀβέλους* diceret scholii Odysseaci auctor sed *ὀβελίσκους*, formam usurpans aliis quoque locis occurrentem. Cfr. e. g. schol. *B* 27, ubi Aristonicus *ἀστερίσκον σὺν ὀβελίσκῳ* Aristarchum refert appinxisse. Aristophanem vero alii signo attribuisse eam vim apparet qua Aristarchus asteriscum posuit; obelum ipsum quominus Aristophanem adhibuisse dicamus nihil obstare videtur. Tenendum tamen est, eum obelo ibi tantummodo usum videri, singulos ubi versus damnaret; nam ubi complures, ceraunio usus esse videtur. Praeterea aut ipsa dipla pura aut alio ejusdem potestatis signo Aristophanem usum esse docet scholium EQ *β* 312 Buttm. Paris. *β* 313 Cram. Ann. Parr. 3 p. 407. Ab eo signo

nescio an diversum fuerit signum illud, quo de varia lectione monuit, quod eum fecisse scholium ε 185 arguit et scholium ϑ 163, in quo p. 50 not. 65 Nauck pro σημειοῦται minus recte duxit corrigendum ὃ σημείωσαι.

Praeter Homericorum carminum editionem ex multis quae confecit Aristophanes operibus duo tangenda mihi sunt, Λέξεις sive Γλῶτται et Commentarii in Callimachi Πίνακας. Nauck p. 243—252 Commentarios in Callimachi Πίνακας tractavit, p. 69—234 Λέξεων fragmenta collegit.

Λέξεις sive γλώσσας Graeci ea potissimum vocabula appellabant, quae ab usu vulgari essent aliena. Talia vocabula dialectorum maxime, poëtarum, artium quarundam, e. g. medicinae frequentabantur usu. Et apud poëtas quidem vetustiores, Homerum imprimis et reliquos epicos quae reperiebantur ejusmodi vocabula ea mature libellis coepta sunt colligi et ita explicari, ut cuique glossae brevis apponeretur interpretatio e vulgari lingua petita. Talem Homericarum glossarum interpretationem in puerorum ludis, in quibus assidue legebatur Homerus, ineunte et medio a. Chr. quinto saeculo fuisse usitatissimam, fragmentum docet Daetalensium, prima quae fuit omnium Aristophanis comici fabula, acta Ol. 88, 1 = 428 a. Chr. Servaverunt Galenus in praef. Lexici Hippocratici et ex parte Pollux Onom. 2, 109; Oxoniana Dindorfii editio Aristophanis exhibet p. 527, Meinekius Frgmm. comm. 2, 2 p. 1031. Patrem poëta introducit antiquae disciplinae fautorem, qui filium increpat: πρὸς ταῦτα σὺ λέξον Ὁμηρείους γλώττας, τί καλοῦσι κόρυμβα; .... τί καλοῦσ' ἀμενηνὰ κάρηνα; .... Poll. ed. Bekk. Ὁμήρου ἐμοὶ γλώττας. Aristophanis vero tempore literis quoque mandatas fuisse et in publicum emissas Homericarum glossarum collectiones dubium non est, siquidem Democritum Abderitam Diogenes Laert. 9, 48 tradidit librum edidisse Περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων, de quo conferas Mullachium Democrit. p. 148. Quo ex genere quae ante Alexandrinorum tempora prodierunt glossarum Homericarum collectiones, eas simillimas inter se fuisse plurimasque sine certo auctoris nomine fuisse circumlatas inde forsitan collegerit quis, quod Aristarchus omnes, ut videtur, communi glossographorum nomine complexus est. Multas Aristarchum diplas

posuisse πρὸς τοὺς γλωσσογράφους anecdotum Romanum docet ed. Osann. p. 3, ubi catalogus earum rerum, quas dipla pura notaverit Aristarchus, his incipit verbis: ἡ μὲν οὖν διπλῆ ἀπερίστικτος παρατίθεται πρὸς τοὺς γλωσσογράφους ἢ ἑτεροδόξως ἐκδεξαμένους τὰ τοῦ ποιητοῦ καὶ μὴ καλῶς. Osann ἑτεροδόξους. Multitudine notationum opus erat, quia pleraeque glossographorum explicationes erant falsae; quae pestis ante Alexandrinorum aevum quousque sit grassata locupletissima dissertatione Lehrs illustravit Arist. p. 42 sqq. Explicuerunt illi (ἀπέδωκαν, ἐξεδέξαντο, μετέλαβον) ἀφήτορος· τοῦ στροφέως, βράσσων· ἐλάσσων, δεδουπότος· τεθνηκότος, ἔθων· βλάπτων, ἐλώρια· βρώματα, ἱερὸν τέλος· μέγα τάγμα, καμμονίῃ· νίκῃ, μάστακα· τὴν ἀκρίδα, νεκρούς· τοὺς νέους, ὁμοίιον· τὸ κακόν, ὀνείατα· βρώματα, ποιπνύειν· διακονεῖν, πρόμον· τὸν βασιλέα, τοῖον· ἀγαθόν, τόσον· τὸ σῶμα, quae omnia Γ 43 Δ 315 Ι 324. 404. 540 Κ 56. 226 Ν 426 Ξ 155 Π 822 Ρ 151 Σ 378. 540 Χ 85. 322 Ψ 16. 454. 661. 679 Ω 164. 367 Aristarchum notasse Aristonicus tradidit diplis appositis πρὸς τοὺς γλωσσογράφους. Conf. Apoll. Lex. s. vv. Ἀφήτορος, Κέρ ἀγλαέ, Μῶλυ, Ὁμοιίου πολέμοιο, Ὀνείατα.

Antiquiorum postea glossographorum operam majore doctrina usi amplificarunt Alexandrini. Zenodotum Ephesium supra memoravi glossarium composuisse Homericum, adversus quod Aristarchi nonnullae diplae videntur tetendisse obliteratae. Sed jam ante Zenodotum ejus praeceptor Philetas Cous, qui, ut omnes fere ejus aevi viri docti, poëta simul fuit atque grammaticus, insignem glossarum farraginem congessit, non solum Homericarum, sed variarum ex plurimis scriptoribus petitarum. Praestantissimum de eo opere testimonium Stratonis comici est apud Athenaeum 9, 382 C (Mein. Comm. 4, 545 sqq). Compluria fragmenta collegit Nicol. Bach in libro Halis Saxonum 1829 edito, cui titulus est Philetae Coi Hermesianactis Colophonii atque Phanoclis reliquiae, p. 68—82. Editionem Homeri Philetam quod emisisse et alii scribunt et Lehrs Arist. p. 30 in eo falluntur. Neque enim commemoratur usquam ἡ Φιλήτειος et omnes notationes Philetae Homericae ad Glossas ejus commode referri queunt. Sic e. g. quod Β 269 ad versum ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδών, ἀπομόρξατο δάκρυ Ari-

stonicus diplam explicans narrat: *ὅτι Φιλητᾶς τὸ „ἰδών“ περισπᾷ, οἷον τῶν ὀφθαλμῶν, ἰδεῶν. οὐδέποτε δὲ Ὅμηρος ἰδέας τοὺς ὀφθαλμοὺς εἶπεν. ἔστιν οὖν τὸ „ἀχρεῖον ἰδών“ ἐντελῶς σχηματίσας*, ex eo facile apparet in Philetae glossario fuisse perscriptum *ΙΔΩΝΤΩΝΟΦΘΑΛΜΩΝΑΛΓΗΣΑΣΔ ΑΧΡΕΙΟΝΙΔΩΝΑΠΟΜΟΡΞΑΤΟΔΑΚΡΥ*. Sic enim sine signis prosodiacis scribere solebant ante Aristophanem Byzantium. Cfr. Pluygers De Zenodot. p. 2. Quae idem p. 7 de spiritu a Zenodoto jam scripto narrat, minus recte disputata sunt. Alias diplas *πρὸς Φιλητὰν* ab Aristonico explicatas vide *Ζ* 459 *Η* 171 *Φ* 126 *Χ* 308. Nec diplis solis Aristarchus sed etiam quod supra memoravi opere peculiari *Πρὸς Φιλητᾶν* inscripto glossographi docti impugnavit errores.

Omnes enumerare Alexandrini aevi grammaticos, qui glossaria conscripserunt, quum alienum sit a consilio meo, ad Aristophanis Byzantii *Γλώττας* propero. Opus doctissimum fuisse suspicari liceret, si fragmenta exstarent nulla; nunc farrago docet locupletissimarum expositionum a Nauckio coacervata. Complexum esse fragmenta docent opus non solas Homericas glossas, in quibus Zenodotus acquievisse videtur, sed omnia glossarum genera; adornatas copias ita, ut non ad literarum ordinem vocabula exstarent digesta, ut apud Zenodotum, sed ex argumentorum partim discreta diversitate partim dialectorum. Duplicem igitur Aristophanes capitum exhibuit seriem; altera quae communi viderentur Graecorum usu receptae *λέξεις* explicuit, altera quae dialectis relictas aestimaret. Nominantur ex altera serie *Λακωνικῶν γλωσσῶν* et *Ἀττικῶν λέξεων* capita, ex altera capita *Περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν*, *Περὶ συγγενικῶν*, *Περὶ προσφωνήσεων*, *Περὶ βλασφημιῶν*.

Aristarchus glossarium non composuit, sed commentariis et dissertationibus suas vocabulorum explicationes (*μεταλήψεις*) ea ratione intexuit, quam demonstrant scholia *Α* 97. 423 *Β* 125. 420. 435 *Γ* 406 *Υ* 471 *Φ* 126. 127. Pro *Λέγει Ἀρίσταρχος* *Α* 423 cum Bekkero corrigendum est *Λέξεις Ἀριστάρχου*, collato Pluygersii libello De scholl. retr. edit. p. 6, ubi in codice esse *λέξις Ἀριστάρχου* legimus. *Υ* 471 pro *Ἀριστάρχου ἐν ποιήματί φησιν* corr. *Ἀρίσταρχος ἐν ὑπομνήματί φησιν*. Cfr. Lehrs Arist. p. 53 sqq 156 sqq. Ex Aristarchi scriptis alii

postea λέξεις ejus excerpserunt inque sua glossaria transtulerunt; unde fit, ut apud Apollonium sophistam et Hesychium multae Aristarcheae occurrant λέξεις; exempla luculentissima ex Apollonio collegit Lehrs p. 156.

Commentarii Aristophanis in Callimachi *Πίνακας* nominantur ap. Athen. 9, 76, quocum loco conferas eundem 8, 15, ubi Callimachi et Aristophanis *ἀναγραφαὶ* consociantur, Etym. m. s. v. *Πίναξ*, Ciceronem De oratore 3, 132, qui Aristophanem et Callimachum literas tractasse scribit. Rettulit Nauck ad Commentarios in Callimachi *Πίνακας* varias notationes apud veteres scriptores obvias. Hesiodea carmina duo, *Ὑποθήκας* et Scutum spuria, et Scutum quidem ad exemplum Homericae *Ἀσπίδος* (lib. *Σ*) compositum judicasse traditur Aristophanes: vid. Argum. Scut. ed. 1. Goettl. p. 92 ed. 2. p. 108 Quinctil. 1, 1, 15; Menandrum summis eum ferunt laudibus extulisse judicasseque secundum ab Homero: vide Append. Anthol. Pal. 286; de Archilochi Iambis eum alius indicat egisse, Pindari alius carmina eum disposuisse, numerasse alius Sophoclis dramata. Haec igitur et alia quaedam ad Commentarios illos Aristophanis rettulit Nauck; omisit autem is Tatiani locum (p. 24 quidem not. 10 memoratum) quo inter eos relatum vidimus Aristophanem, qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint. Quam quaestionem Commentariorum operis fuisse partem quivis intelligit. Quid de Homeri aetate et patria statuerit Aristophanes nemo tradidit; conjectura quatenus illius mentem assequi mihi videar in altera dissertatione indicabo.

Inter discipulos Aristophanis Byzantii qui fuisse traduntur praeter Aristarchum unus nobilis grammaticus reperitur Callistratus, ὁ *Ἀριστοφάνειος* vocatus ab Athenaeo 1, 38. 6, 84. Patriam ejus nemo nominavit. Aristarchi eum adversarium acerrimum fuisse Athenaeus 1, 38 indicat, ab Aristarcho una cum Phileta dipla *Φ* 126 posita petitum esse Aristonicus tradit. In explicatione diplarum propter eandem rem ad *Ζ* 459 *Η* 171 positarum Philetam solum nominat Aristonicus, ut in ipso loco *Φ* 126 alia scholia codd. BV. Diversas Aristarchi et Callistrati sententias juxta positas exhibent scholia *Β* 435 *Ζ* 434 *ζ* 201 *ι* 486 *κ* 242 *ϱ* 455 Hesych. *Ἐλειούς*; cum

Aristarcho consentientem Callistratum reperies *B* 111. 131 *Γ* 18 *Σ* 39 *Ω* 134. Memorabile mihi videtur quod Dionys. Hal. Antt. Romm. 1, 68 testatur et Canabut. Commentar. cap. 81 excitatus a Lobeckio Aglaoph. 2 p. 1205, scripsisse Callistratum Samothracae insulae historiam, patria quae fuit Aristarchi adversarii; unde fortasse collegerit quis communem cum condiscipulo et adversario suo patriam Callistratum habuisse Samothracen. Rudolphus Schmidt in commentatione De Callistrato Aristophaneo, quae iterum edita est ad calcem Aristophanis Nauckiani p. 307 sqq, Heraclea Ponti Callistratum oriundum fuisse statuit. Qui quae protulit argumenta ad firmandam suam sententiam, ea ad meam facillime sese applicant, modo statuas, Heracleae per ultima vitae tempora illum degisse.

Ut Aristarchi ipsius et plurimorum aliorum Alexandrinorum ita Callistrati varia fuisse constat studia; multos tamen quum explicandos sibi sumpsisset et emendandos poëtas egregios, in Homero et hic ut reliqui fere omnes praecipuam collocavit operam. Accuratiorem jam si quaeris notitiam eorum, quae praestiterit ille, Schmidtii luculentam te jubeo inspicere commentationem satis habens Homerica volumina breviter indicasse. Editionem carminum, *τὴν Καλλιστράτου*, Didymus, quem multis locis Callistrati labores Homericos respicientem deprehendimus, disertis verbis uno loco schol. *Γ* 18 nominat; Schmidtius de ea aliquem sibi scrupulum residere confitetur; Lehrs Arist. p. 30 praeter *Γ* 18 etiam *Z* 434 respici Callistrateam a Didymo putabat. Certus Callistrati liber est *Πρὸς τὰς ἀθετήσεις* schol. *Α* 423 nominatus, quo versus quin defenderit ab Aristarcho obelo notatos nulla est dubitatio. Certa porro quae schol. *Ξ* 255 excitantur Callistrati *Διορθωτικά*; item *τὸ Περὶ Ἰλιάδος* laudatum schol. *B* 111 et 131 et 435, quo loco *Καλλίστρατος ἐν τῷ α΄ Περὶ Ἰλιάδος* producitur. Cui de Iliade operi ex conjectura Schmidt similem addidit *Περὶ Ὀδυσσείας* schol. *ζ* 310 imprimis nisus.

Callistrato subjungam alium aequalem Aristarchi hujus qui exstitit adversarius, H e l l a n i c u m. Is non ut Callistratus Aristophanem cum Aristarcho communem studiorum habuit ut ita dicam patrem, avum tamen communem cum Aristarcho et

Callistrato Zenodotum. Discipulum enim Hellanicum Suidas in capite de Ptolemaeo Epitheta fuisse testatur Agathoclis Zenodotei, quem supra memoravi. Zenodotum ipsum omnia quae ad Homerum referebantur carmina praeter Iliadem et Odysseam abjudicasse ab illo indicavi; Hellanicus usque eo progressus est, ut ab Homero ne Odysseam quidem factam esse crederet unamque illi relinqueret Iliadem, diversitates multas autumans inter utrumque intercedere carmen et rerum et verborum. Quae tota doctrina non ab ipso Hellanico profecta est, sed a Xenone quodam, quem medium aetate inter Zenodotum fuisse et Hellanicum liquet. Cujus opinionem suam faciens Hellanicus adversus Aristarchum aequalem suum pugnavit, Iliadem et Odysseam ad unum eundemque Homerum referentem. Quaestionem admodum fuisse agitatam, vel Seneca docet De brevitate vitae cp. 13, ubi in quaestionibus Graecorum ad beate vivendum inutilibus hanc nostram commemoravit, „ejusdemne auctoris essent Ilias et Odyssea". Multas in Iliade et Odyssea Aristarchum propter eandem quaestionem posuisse diplas ex anecdoto Veneto (An. Rom. Osann. p. 6) constat, ubi dipla pura posita esse dicitur inter alia *πρὸς τοὺς λέγοντας μὴ εἶναι τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν*. Nominantur Xenon et Hellanicus in vita Homeri tertia: *Γέγραφε δὲ ποιήσεις δύο, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν, ἣν Ξένων καὶ Ἑλλάνικος ἀφαιροῦνται αὐτοῦ.* Xenonem solum nominavit Aristarchus titulo libri supra commemorati *Πρὸς τὸ Ξένωνος παράδοξον* (schol. *M* 435), quo hanc ipsam Xenonis ab Hellanico commendatam sententiam diversorum Iliadem et Odysseam esse poëtarum impugnavit. Xenonem et Hellanicum communi *τῶν χωριζόντων* nomine complectitur Aristonicus diplas explicans ab Aristarcho adversus utrumque positas *B* 356. 649 *K* 476 *Λ* 147. 692 *M* 96 *N* 365 *Π* 747 *Φ* 416. 550. His locis, id quod apud Aristonicum nulla in re non usu venit, altera classis accedit locorum, quibus dipla explicata adversus quem tendat omnino tacetur; sic *B* 45. 278. 837 *Δ* 354 *Z* 154. 248. 252. 396 *H* 138 *I* 137. 347 *K* 338 *Λ* 30 *Υ* 372 *X* 128 *Ψ* 642 adversus *τοὺς χωρίζοντας* esse diplam explicatam tacet Aristonicus. Accedit tertia classis locorum, ubi diplam olim fuisse adversus illos ab Aristonico explicatam aliorum scholia docent, qui Aristo-

nicum exscripserunt, e. g. *O* 410 *Σ* 382 *Ψ* 229. In Odyssea permagnum diplarum πρὸς τοὺς χωρίζοντας positarum numerum fuisse per se liquet; ex his quattuor quae fuisse videntur α 1. 5. 8. 23 restituere conatus sum Aristonn. p. 3. 7. 10. 16 sq; addo nunc exempli gratia locos γ 248 δ 123 λ 286 τ 28. 34. 174. Diplae adversus solum Hellanicum fuisse videntur *T* 90 β 185; traditas ab Aristonico habes *O* 651 et *E* 269, ubi quod dicitur οἱ περὶ Ἑλλάνικον praeter Hellanicum alios auctores non indicare intelliges collatis Lehrsii Quaestionibus epicis p. 28 not. Annotationis Aristoniceae de dipla ad *E* 269 posita primariam partem servatam habemus etiam in Crameri Ann. Pariss. 3 p. 284, 1, cujus loci immemor fuit Friedlaender in Aristonico suo. Lectio codicis Paris. duobus in vocabulis recedit a codice A: hic enim ἀνεγίνωσκον et ἐκτιθεμένου exhibet, ille ἀνέγνωσαν et συνεσταλκότος.

Chorizontum studia primus e recentioribus scriptoribus bene illustravit Grauert scriptiuncula quadam cui titulus est Ueber die homerischen Chorizonten, inserta illa Niebuhrii et Brandisii Museo Rhenano vol. 1 ann. 1827 p. 199—211. Hodie legere libellum necessarium non est.

Hellanici discipulus fuisse a Suida (Eudocia p. 360) narratur P t o l e m a e u s ὁ Ἐ π ι θ έ τ η ς κληθείς, διότι ἐπέθετο τῷ Ἀριστάρχῳ. Pro ἐπέθετο et apud Suidam et apud Eudociam mendose scriptum exstat εἵπετο, quod emendandum esse dudum viri docti monuerunt, sicut hoc quoque apud Eustathium quod legitur *Ξ* 37 p. 966, 6 Πτολεμαῖος ὁ ἐπίκλην ἐπίθετος pro Ἐπιθέτης. Ejusdem loci scholia Veneta, ex quibus Eustathius hausit, item scholl. *B* 111. 196 *Ξ* 249 exhibent Πτολεμαῖος ὁ Ἐπιθέτης. Sic etiam scholia Pindar. Ol. 5, 44. Aristarchum quum insectaretur Ptolemaeus Zenodotum potissimum, cujus doctrinam Agathoclem, Hellanicum, Ptolemaeum continuasse apparet, vindicandum sibi sumpsit ab Aristarchi criminationibus. Exposuisse eum Zenodoti γραφάς, arguisse Aristarchum, quod falsa de iis rettulisset, vix concessisse, ut deteriora repeterentur a Zenodoto, ab Aristarcho meliora, inventorum laudem, ubi fieri posse videretur, ab Aristarcho traxisse ad Zenodotum, amplexum esse alia Zenodoti placita, alia defendisse, alia excusasse scholiorum docent loci indicati.

Laudatur schol. *B* 196 Ptolemaeus *ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Ἰλιάδος*; Suidas cum Eudocia duas ejus scriptiones commemorant, *Περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ πληγῶν* et *Ὑπόμνημα εἰς τὴν Ὀδύσσειαν*.

Venio ad Comanum, regis Ptolemaei nescio cujus pincernam, adversus quem Aristarchus scriptione supra nominata disputavit, *τοῖς Πρὸς Κωμανόν* (scholl. *A* 97 *B* 798 *Ω* 110). Hic a quo edoctus fuerit non repperi traditum; neque etiam scriptionis titulum ab eo confectae me legere memini; notavi autem nonnullos locos, quibus mentionem ejus factam vidi, quos tecum communicabo; sunt praeter tres illos jam indicatos Scholl. Bekk. *N* 137. 532 Eustath. *A* 313 p. 846, 49 *N* 529 p. 945, 19 *σ* 27 p. 1835, 43 Cram. Ann. Parr. 3 p. 285, 29 (*N* 137) Scholl. Buttm. *σ* 27 Apollon. Lex. s. vv. *Ἄταλλε*, *Ὀλοοίτροχος*, *Στεφάνη*, *Στέφανος*, *Συμφερτή* Scholl. Hesiod. Opp. 97 Apoll. Dysc. De constr. 2 p. 146 Bk. De Pron. p. 3 Bk. Etymol. m. s. v. *Ὀργάδα γῆν* p. 629, 32 (vid. ed. Gaisf.) Hesych. s. vv. *Αἰνίζομαι*, *Ἀλίπλοα*.

Ab Alexandrinis Aristarchi adversariis transitum facio ad scholam Pergamenam Attalorum auspiciis conditam, qui in literarum studiis juvandis aemulabantur Ptolemaeos. Alexandrinae bibliothecae scholaeque initia a duobus repetuntur regibus, quorum alter, Ptolemaeus Soter, prima Musei jecit fundamenta, alter, Philadelphus, rem perfecit; eadem ratione ad duos Pergami reges Pergamenae scholae fundatio pertinet, Attalum primum, qui ab anno 241 a. Christum, et Eumenem secundum, qui ab anno 197 regnavit. Caput Pergamenorum grammaticorum Crates fuit Mallotes, Homerici ille et Critici cognominibus insignis, aequalis Aristarchi, adversus quem disputavit acerrime. Diplas adversus Cratetem Aristonicus exhibet ad *I* 169 *Ξ* 31 *Ψ* 679 *Ω* 282. Fuerunt multo plures; unam conjiciendo restitui ad *α* 24 quam fuisse certum est in Aristoniceis p. 17.

Dissenserunt Aristarchus et Crates de multis rebus; capita tria potiora breviter indicabo. Primum igitur in grammatica adornanda Aristarchus plurima ex analogiae legibus repetivit, Crateti contra plurima videbantur anomala esse, qua de diversitate testimonia sunt e. g. apud Gellium 2, 25 Varro-

nem De l. l. 7 p. 121 Bip. Dein Homerum Crates perfectam omnium disciplinarum habuisse cognitionem statuit (vide e. g. Strabon. 3, 157), etiam astronomiae, mathematices, medicinae, situs atque naturae terrarum longissimo spatio a Graecia remotarum, Oceani maris, linguae Chaldaicae, aliorum quae sunt ejusmodi. Aristarchus contra de Homeri eruditione ita fere sensit, ut Eratosthenem sensisse vidisti. Porro Crates allegoricam explicandi rationem in Homero admisit, quam respuit Aristarchus. Litem magistrorum suam fecerunt discipuli; Cratetis discipuli adversus Aristarchum libros composuerunt Homericos, Aristarchi discipuli adversus Cratetem; laudatur e. g. Dionysius Thrax *ἐν τῷ Πρὸς Κράτητα* schol. *I* 464; Zenodotus vero Crateteus, qui natione Mallotes erat, Alexandrinus autem appellabatur, quoniam Alexandriae degebat, librum conscripsisse *Πρὸς τὰ ὑπ' Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ* a Suida s. v. *Ζηνόδοτος Ἀλεξανδρεύς* narratur. Hic Zenodotus, de quo videndus Schneidewin in Philologo 2, 4, 764, eo usque progressus est, ut Homerum ipsum Chaldaeum fuisse autumaret, quum Crates Chaldaicam linguam Homero cognitam fuisse dixisset. Cfr. schol. *Ψ* 79 cum *A* 591. Hac ratione grassante evenit ut diu etiam post obitum virorum principum *τῶν Κρατητείων* et *τῶν Ἀρισταρχείων* arderet contentio. Videntur autem nonnulli grammatici ab altera schola ad alteram defecisse. Sic Demetrium Ixionem, de quo videndus Beccard Scholl. Venn. p. 65, ab Aristarchea ad Crateteam transiisse aperte indicat Suidas s. v. *Δημ.* Apollodorum certe Chronographiam suam versibus absolutam regi Pergameno inscripsisse constat e Pseudo-Scymni loco supra indicato. Apionem *τὸν Μόχθον* quamvis ipsi praeesset Alexandrinae scholae, Theonis grammatici successor, ad Cratetis doctrinam deflexisse non est quod mireris. Vide Achill. Tat. Isagog. in Arati Phaenn. cap. 1 Petav. Uranol. p. 74 *μαρτυροῦσι δὲ Κράτης καὶ Ἀπίων ὁ Πλειστονίκης ὅτι ἀστρονόμος Ὅμηρος.* Lehrs Quaestt. epp. p. 25.

Variis in argumentis versatus libri quos conscripsit Crates plurimos ad unum omnes interierunt. Fragmenta collegerunt B. Thiersch in libro De aetate et patria Homeri (Halberstdt. 1832) et Wegener in libro De aula Attalica (Havniae

1836), quo totam Pergamenae scholae historiam tractavit. Fragmentorum comparatione instituta apparet, Cratetem editionem carminum Homericorum non emisisse; unicum ejus Homericum opus videntur fuisse novem libri commentariorum, quibus Iliadem et Odysseam emendavit et explicavit. Opus a Suida (Eudocia p. 273) appellatur *Διόρθωσις Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας*, in scholio *μ* 89 *τὰ Περὶ διορθώσεως*, in scholio *O* 193 *Ὁμηρικά, τὰ Διορθωτικά* in anecdoto Romano post Wegeneri librum edito (ed. Osann. p. 5). Initio primi libri eam habitam esse probabile est quaestionem de Homeri poësi, genere, aetate, quam Tatianus Crateti adscribit. Qua de quaestione hoc unum constare videtur, secundum Cratetis opinionem Homerum 60 p. Tr. c. annis viguisse. Sic accurate aetatis definitionem Crateti probatam vita 6 exhibet. Minus accurate in vita 2 B et apud Tatianum (Euseb. Hieron. Sync.) Crates dicitur etiam vetustiorem Heraclidarum reditu Homerum habuisse. Minus accurate Clemens quoque et Proclus (vit. 3); quorum hic quidem *οἱ δὲ περὶ Κράτητα*, inquit, *ἀνάγουσιν αὐτὸν εἰς τοὺς Τρωικοὺς χρόνους*, ille vero eodem fere tempore quo redierint Heraclidae Crateti videri ait Homerum vixisse, 80 annis post Tr. c. Crates ille, quem de Homeridis Seleucus ap. Harpocr. *Ὁμηρίδαι* disputasse narrat, utrum Pergamenus sit necne dijudicare nequeo; conf. quae disputavi in Jahnii ann. 67, 3, 267 sqq.

Ad scholam Pergamenam fortasse pertinuit Asclepiades Myrleanus, de quo Lehrs egregium libellum edidit, qui exstat in volumine inscripto „Herodiani scripta tria" p. 428 sqq. Floruisse Asclepiadem Lehrs docuit primo a. Chr. saeculo ita ut certe natales ante annum septuagesimum ponendi sint. Scripsit autem ille praeter alia nonnulla opus amplissimum De grammaticis, cujus undecimus liber laudatur in vita Arati 1 lin. 5 West., et libellum De poculo Nestoreo (*Λ* 632 sqq), de quo multae inter grammaticos erant dubitationes, et Commentarios Homericos.

Pertinuisse porro ad scholam Pergamenam videntur duo scriptores, quorum insignia de Homero testimonia exstant, Nicander Colophonius et Artemon Clazomenius. Vide de Artemone Wegenerum Aul. Att. p. 192. 193 not. 11

et C. Mueller. HGF 4, 340 sqq, de Nicandro Wegenerum p. 160. 167. 270. Nicandrum in vita 5 et in 2 B legimus Homerum dixisse natione Colophonium. Clarus factus est Nicander, qui medicus simul et grammaticus et poëta fuit, conditis compluribus carminibus maximam partem didacticis, quorum duo aetatem tulerunt, Alexipharmaca et Theriaca. In fine Theriacorum Homeri mentionem factam reperimus, verss. 957. 958 *καί κεν Ὁμηρείοιο καὶ εἰσέτι Νικάνδροιο | μνῆστιν ἔχοις, τὸν ἔθρεψε Κλάρου νιφόεσσα πολίχνη.* His igitur versibus patriam Homeri indicasse visus est Nicander. Schol. ad loc. ind. *καί κεν Ὁμηρείοιο: ἢ διὰ τὸν ζῆλον, ἢ διὰ τὴν πατρίδα. Κολοφώνιον γὰρ ἔνιοι τὸν Ὅμηρον ἐγενεαλόγησαν. ἢ ἴσως Ὁμηρικόν, ὥσπερ Κρατίνειον* (*Κρατήτειον* conj. Wegener) *καὶ Ἀριστάρχειον.* Tzetz. Scholl. ad Exeges. Iliad. p. 131 *Νίκανδρος ὁ Κολοφώνιος ἐν τῷ τέλει τῶν αὐτοῦ Θηριακῶν Κολοφώνιόν φησιν εἶναι τὸν Ὅμηρον, ἐπαίρων κἀκ τούτου καὶ ἐγκωμιάζων αὐτόν.* Cfrd. epigramma Anth. P. 9, 213 *Καὶ Κολοφὼν ἀρίδηλος ἐνὶ πτολίεσσι τέτυκται, | δοιοὺς θρεψαμένη παῖδας ἀριστονόους, | πρωτότοκον μὲν Ὅμηρον, ἀτὰρ Νίκανδρον ἔπειτα, | ἀμφοτέρους Μούσαις οὐρανίῃσι φίλους.* Nos quid sibi velint Theriacorum illi versus in medio relinquimus; item quid dandum sit scholio Bekk. Ann. 3, 1165, quo Theriaca Nicandro supposita esse dicuntur. Egisse Nicandrum certum est de Homero in opere De poëtis Colophone oriundis scripto, cujus mentio facta in schol. Theriacc. vs. 3 *καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Νίκανδρος μέμνηται τοῦ Ἑρμησιάνακτος ὡς πρεσβυτέρου ἐν τῷ Περὶ τῶν ἐκ Κολοφῶνος ποιητῶν.* Qui liber fortassis pars fuit Colophoniacorum Nicandri, quorum librum sextum laudat Harpocratio s. v. *Πάνδημος Ἀφροδίτη.*

Nicandrum fuerunt qui falso perhiberent aequalem fuisse Arati poëtae, qui primis saeculi a. Chr. tertii temporibus floruit Callimachoque aliquanto fuit superior. Error inde videtur natus esse, quod Arati aequalis fuit alius quidam Nicander et ipse Colophonius, mathematicus insignis. De qua re utut statuas, Nicander noster referri debet aut ad ultima tempora Attali primi, qui anno 197 a. Chr. regno est defunctus, quibus temporibus in Aegypto regnabat Ptolemaeus V Epiphanes, aut ad aetatem ultimi Attali ejus qui Romanis regnum

suum demandavit. Vide accurate testimonia veterum apud Westerm. *Βιογρ.* in vitis Arati 1 lin. 63. 2 lin. 12. 4 lin. 16. 26 vitt. Nicandri 1 lin. 10. 2 lin. 2.

Artemon Clazomenius idem videtur fuisse atque is qui *ὁ ἀπὸ Περγάμου* dicitur; hic vero post Callimachum et ante Menecratem Nysaeensem scripsisse videtur, fuisseque eum Aristarchi et Cratetis aetate paullo inferiorem probabile duco cum C. Muellero HGF 4, 340. Suidas s. v. *Ἀρκτῖνος* Clazomenium Artemonem librum *Περὶ Ὁμήρου* scripsisse narrat; ex quo quod profert Suidas testimonium de Homero in altera dissertatione mea illustrabo.

Non soli Attali et Ptolemaei literas fovebant atque excolendas curabant, sed omnes fere reges diadochi; quamquam reliquos neque opes tantas in studiis virorum doctorum juvandis consumpsisse nec tantum successum quantum illos tulisse concedendum est.

Apud Antigonum Gonatam Macedoniae regem bonam vitae partem degit Aratus Solensis, celeberrimus Phaenomenorum auctor carminis didactici, quod aetatem tulit. Adiisse tamen eum Antiochi quoque primi aulam ex vita Arati intelligitur quam Westermann *Βιογρ.* primam posuit p. 54 et ex tertia p. 59. De Homericis Arati studiis primae vitae quem modo indicavi insignis est locus: *καὶ τὴν Ὀδύσσειαν δὲ διώρθωσε, καὶ καλεῖταί τις διόρθωσις οὕτως Ἀράτειος ὡς Ἀριστάρχειος καὶ Ἀριστοφάνειος. τινὲς δ' αὐτὸν εἰς Συρίαν ἐληλυθέναι φασὶ καὶ γεγονέναι παρ' Ἀντιόχῳ καὶ ἠξιῶσθαι ὑπ' αὐτοῦ ὥστε τὴν Ἰλιάδα διορθώσασθαι διὰ τὸ ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι.* Odysseae *διόρθωσιν* ab Arato confectam vita 3 quoque ap. West. p. 58 testatur et quinta p. 61. In prima p. 55 Aratum scripsisse legimus *Περί τε Ὁμήρου καὶ Ἰλιάδος*, quae verba ab eo quidem loco aliena videntur esse Westermanno. Memorabile est quod Diogenes Laertius 9, 113 tradit Arati colloquium et Timonis philosophi, quem vita quinta p. 61 et Eudocia p. 62 Arati praeceptorem dicunt. *φασὶ δὲ καὶ Ἄρατον πυθέσθαι αὐτοῦ πῶς τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀσφαλῶς κτήσαιτο· τὸν δὲ εἰπεῖν, εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις.* In suis ipsius carminibus (scripsit enim plura) vita quarta p. 60 narrat *ζηλωτὴν* Homeri Ara-

tum sese praebuisse; nonnullis vero Hesiodum potius illum imitatum videri. In quinta p. 61 Phaenomenorum ζῆλος esse dicitur Ὁμηρικός. In secunda legimus p. 57 ζηλωτὴν Aratum exstitisse τοῦ Ὁμηρικοῦ χαρακτῆρος κατὰ τὴν τῶν ἐπῶν σύνθεσιν; nonnullos autem Hesiodi eum perhibere μιμητήν; Boethum Sidonium in primo De Arato libro non Hesiodi, sed Homeri dicere ζηλωτήν· τὸ γὰρ πλάσμα τῆς ποιήσεως μεῖζον ἢ κατὰ Ἡσίοδον. In scholiis imitatio Hesiodi pariter atque Homeri notatur passim, hujus e. g. Theon. vs. 53, illius e. g. vs. 45, discrepantia ab Homero vs. 664, ab Hesiodo vs. 559. Enarrator in Petav. Uranol. p. 151 (ed. 1703) vel apud Buhlium vol. 2 p. 439 Hesiodi μάλιστα ζηλωτὴν γεγονέναι Aratum contendit. Vitae primae auctor p. 54 West. ζηλωτὴν Ἡσιόδου eum vocat, quam sententiam ut probet, epigramma (in Anth. quoque Pal. servatum 9, 507) apponit a Callimacho Arati suppare hujus in honorem factum, quod verbis Ἡσιόδου τόδ' ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος incipit. Vitae tertiae auctor p. 58. 59 West. notasse satis habuit, Callimacho Aratum visum esse doctissimum hominem et diligentissimum. Quarta vita narrat a Callimacho Aratum epigrammate dignatum esse, p. 60; γηραιῷ δὲ τῷ Κυρηναίῳ ἐπεβάλετο ibi legitur; paullo ante συνήκμασε δὲ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ καὶ Καλλιμάχῳ; utrumque falsum. In prima vita p. 52 ex Callimachi epigrammate de patria Arati testimonium ducitur; p. 54 non solum in epigrammatis, sed etiam ἐν τοῖς Πρὸς Πραξιφάνην Callimachus narratur mentionem fecisse Arati ὡς πρεσβυτέρου, πάνυ ἐπαινῶν αὐτὸν ὡς πολυμαθῆ καὶ ἄριστον ποιητήν. Maximus Tyrius diss. 30 Aratum nuncupat ποιητὴν οὐδὲν ἀδοξότερον τοῦ Ὁμήρου; Homerum, Virgilium, Aratum una commemorat Plin. epist. 5, 6; Ovid. Amorr. 1, 15 Homerum, Hesiodum, Callimachum, Sophoclem, Aratum, Menandrum; Euthalius contra, cujus verba ex Fabricii Bibliotheca Graeca transscribo ed. Harl. 4 p. 91, sententiam eam, qua dicerentur a Jove esse homines, expressam ab Arato Phaenn. versu quinto verbis τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, non dubitavit Homeri poëtae dicere et Arati astronomi, Ἀράτου ἀστρονόμου καὶ Ὁμήρου ποιητοῦ. Dionysium vitae tertiae auctor p. 59 librum composuisse ait Περὶ συγκρίσεως Ἀράτου καὶ Ὁμήρου περὶ τῶν μαθηματικῶν.

In fratribus Arati unus fuisse traditur Homericus, Athenodorus, insignis propterea quod primus Zoilum refutavit, vituperatorem Homeri famosissimum, *Ὁμηρομάστιγα* vocatum. Arati vit. 3 p. 57 *ἀδελφοὺς δ' ἔσχε Μύριν καὶ Καλώνδαν καὶ Ἀθηνόδωρον, ὅν φησιν Εὐφράνωρ ἀντιγράψαι πρὸς τὰς τοῦ Ζωίλου κατηγορίας.* Vit. 4 p. 60 *ἀδελφοὺς δ' εἶχε γ', Μύριν, Καλώνδαν, καὶ Ἀθηνόδωρον, ὃς πρῶτος ἀντειπεῖν λέγεται Ζωίλῳ τῷ κατὰ τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως γράψαντι.* Zoili Amphipolitani vel Ephesii opus *Κατὰ τῆς Ὁμήρου ποιήσεως λόγους ἐννέα* fuisse apud Suidam s. v. *Ζωίλ.* et Eudociam p. 203 legimus; additur apud Suidam solum alius liber *Ψόγος Ὁμήρου.* Accuratiorem qui cupiat sibi comparare judiciorum Zoili de Homero cognitionem, eum ad Lehrsii Aristarchum relego, ubi in capite De *ἐνστατικοῖς* et *λυτικοῖς* de Zoilo *ἐνστατικῷ* agitur p. 206 sqq. Ceterum confer Oratorum Atticorum editionem Turicensem vol. 2 p. 249, Muelleri HGF 2 p. 85, Fabric. Bibl. Gr. 1 p. 559.

Converto me ad aulam Seleucidarum, quorum opibus qui adjuti sunt Homerici, eorum unum certe attingam Euphorionem Chalcidensem. Poëta simul hic quoque fuit et grammaticus, ut Aratus, Callimachus, alii ejus suppares, magnumque librorum edidit numerum, qui exceptis duobus epigrammatis deperditi sunt omnes. Fragmenta collegit et illustravit vitamque auctoris scripsit Augustus Meineke Anall. All. p. 1—168. Is Euphorionem minimum quinquagesimum aetatis annum egisse statuit, quum Antiochiam sese conferret ad Antiochum magnum, qui bibliothecae eum praefecit publicae. Homerum Euphorio neque edidisse nec scripto peculiari illustrasse videtur; *Ὁμηρικὸν* nihilosecius eum appellavit Crates Mallotes in epigrammate Anth. Pal. 11, 218. Atque reperimus sane in fragmentis unum Euphorionis versum, quo maximi se facere Homerum declaravit: *Μοῦσαι ποιήσαντο καὶ ἀπροτίμαστος Ὅμηρος.* Versus exstat ad *T* 263 in scholiis et apud Eustathium (p. 1183, 31); *ἀπροτίμαστον Ὅμηρον* interpretantur *ἀνέπαφον, ἀπρόσψαυστον, οὗ δυσχερὲς ἅψασθαι (λαβέσθαι, ἐφικέσθαι) τῆς δυνάμεως.* In libro de Aleuadis, qui pedestri oratione scriptus fuit, Euphorionem Clemens testatur Homeri vitam ad aetatem Gygae Lydorum regis rettu-

lisse. Poëticam Euphorionis virtutem et Homeri comparaverunt Cicero De divinat. 2, 64 et Lucianus De conscribenda historia cp. 57. Imitatus esse Homerum vel allusisse ad eum Euphorio non ita paucis reperitur locis. Sic in versu modo prolato vocabulum illud de Homero usurpatum *ἀπροτίμαστος* ex Homero ipso *T* 263 petitum est; sic ut nonnulla addam, quae Meineke notare supersedit, in fragmento 3 Mein. ad verba *ποτὶ σπιλάδεσσι* confer *γ* 298 *ε* 401; in fr. 6 *κελέβην Ἀλυβηίδα* argenteam dixit propter *B* 857 *τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη*; in eodem versu quod *ἀπηύρα* ultimo loco posuit Euphorion Homerice est; in fr. 36 verbis *δεδουπότος Αἰακίδαο* alluditur ad *Ψ* 679 *δεδουπότος Οἰδιπόδαο*; in fr. 49 cum verbis *μεθ᾽ υἱάσι Βοιωτοῖο* compara *τ* 466 *φ* 220, quibus locis hodie editur *σὺν υἱάσιν Αὐτολύκοιο*, Euphorion autem *μεθ᾽ υἱάσιν Αὐτολύκοιο* videtur legisse. Diplam adversus Euphorionem Aristonicus indicat *I* 206 positam, quod Homericam vocem *κρεῖον* falso acceperit; cfr. quae congessit Meineke p. 145.

De grammaticis quae dicere apud me constitueram dicta jam sunt; venimus ad alteram Homericorum classem eam, quam mediam posuit Tatianus. Hunc enim universorum Homericorum quos de poësi, genere, aetate Homeri quaesivisse ait tres facere classes vidisti, primam antiquissimorum, grammaticorum tertiam, secundam eorum qui medii aetate fuerint inter grammaticos et antiquissimos Homericos. Ad mediam igitur classem illam transitum faciemus per Theocritum Syracusanum, poëtam bucolicorum nobilissimum, qui ipse grammaticus non fuit, cum grammaticis tamen vinculo quodam conjunctus esse videtur, communem quia habuit cum Zenodoto Ephesio praeceptorem Philetam Coum.

Theocrito legimus in vita Homeri 6 Homerum Chium fuisse nuncupatum. Idem Tzetzes testatur Exeg. Iliad. p. 7 versibus ipsis appositis. *Περὶ μὲν οὖν πατρίδος καὶ γένους Ὁμήρου πλαζομένην εὑρίσκομεν παραπολὺ τὴν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ ὁμοφώνως οἱ ἱστορικοὶ περὶ τούτου παραδιδόασιν· ἀλλ᾽ οἱ μὲν αὐτὸν Χῖον εἶναί φασιν, καθάπερ καὶ Πίνδαρος, προσέτι δὲ καὶ Θεόκριτος, φάσκων οὑτωσί· „καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδόν | ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μο-*

χθίζοντι." Qui versus leguntur in carmine Theocriti etiam hodie superstite, idyll. 7, 47. 48. Cfr. schol. Tzetz. Exeg. p. 130 sq. Sed praeter locum a Tzetza exscriptum prorsus eadem ratione, nomine ipso omisso, etiam idyll. 22, 218 *Χῖος ἀοιδὸς* Theocrito audit Homerus. Nominavit Theocritus Homerum idyll. 16, 20; ejusdem carminis versu 57 eum *Ἰάονος ἀνδρὸς* titulo designavit.

Praeter Theocritum mediae hujus classis poëta neque in vitis Homeri neque in patrum locis supra appositis nominatur. Nos novae et mediae comoediae poëtas quosdam infra perstringemus; nunc sequuntor philosophi. Peripatetici nominantur complures ab auctoribus illis, stoicorum unus Cleanthes Assius, aequalis fere Theocriti, Zenodoti, Arati, Euphorionis. Hunc vita Homeri octava cap. 2 testem producit de Homeri patre Maeone. Exstant praeterea Cleanthis emendationes et interpretationes locorum Homericorum nonnullae; vide de *λέσχη* (σ 329) Suid. s. v. *Λέσχαι*, de *χρυσῇ Ἀφροδίτῃ* (Γ 64 Ε 427 Ι 389 Τ 282 Χ 470 Ω 699 δ 14 θ 337. 342 ρ 37 τ 54) schol. Γ 64 BDL et in quibus pro *Ἀπλεάνθης* legendum *Κλεάνθης* Townl. Paris. 2556 Cram. Ann. Parr. 3, 281 (cfr. indicem p. 513); de *Ζεῦ πάτερ Ἴδηθεν μεδέων* Γ 276. 320 Η 202 Ω 308 et de *Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε* Π 233 Plutarchum De audiendd. poëtt. cap. 11; de *Ἄτλαντος ὀλοόφρονος* α 52 schol. α 52 Harl. Cram. Ann. Parr. 3, 416 Eustath. p. 1389, 57; de *μῶλυ* κ 305 Apollon. Lex. s. v. *Μῶλυ*. Leguntur ibi haec: *Κλεάνθης δὲ ὁ φιλόσοφος ἀλληγορικῶς φησι δηλοῦσθαι τὸν λόγον δι' οὗ μωλύονται αἱ ὁρμαὶ καὶ τὰ πάθη*. Hanc interpretationem vocabuli *μῶλυ* omneque Cleanthis, laboriosi illius hominis non ingeniosi Homericum studium perstrinxit Timon, quem Diogenes 7, 170 de Cleanthe perscripsisse narrat *Τίς δ' οὗτος κτίλος ὣς ἐπιπωλεῖται στίχας ἀνδρῶν, | μωλύτης, ἐπέων φίλος, Ἄσσιος, ὅλμος ἄτολμος*; Versus prior parodia est verborum Homeri Γ 196; in posteriori quae leguntur praeter *μωλύτης* et *ἐπέων φίλος*, eorum alterum, *Ἄσσιος*, procul dubio ad versum notissimum alludit *ἆσσον ἴθ' ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι* Ζ 143 Υ 429, quem versum de Asso urbe Cleanthis patria usurpatum esse docet Strabo 13, 610 (Eustath. Ζ 143 p. 630, 1). Vocabulum vero *ὅλμος* et ipsum Homericum

est, vid. *Α* 147. Ipsum Cleanthem Diogenes 7, 172 narrat quum aliquis Laco dixisset, laborem esse bonum, Homeri (*δ* 611) jecisse verba *αἵματος εἶς ἀγαθοῖο, φίλον τέκος.*

Librum jam si quaeris quo de Homero exposuerit Cleanthes, ecce in catalogo scriptorum ejus apud Diogenem Laertium 7, 174 sqq liber offertur *Περὶ τοῦ ποιητοῦ* inscriptus. Homerum enim *κατ' ἐξοχὴν* Graeci soliti erant vocare *τὸν ποιητήν*. Fuerunt autem qui conjicerent librum scriptum illum fuisse De officio poëtae; quod suadere videbatur Clemens Alexandrinus, qui Stromm. 5 p. 237 Sylb. versiculos quosdam de contemnenda vulgi sententia his verbis praemissis affert: *καὶ ἡ Κλεάνθους δὲ τοῦ στωικοῦ φιλοσόφου ποιητικὴ ὧδέ πως τὰ ὅμοια γράφει.* Sed *ἡ ποιητική* hoc loco Clementi idem valet *τῇ ποιήσει*; Homerice ille locutus adjectivum ponit pro substantivo; Cleanthes autem si De officio poëtae voluisset inscriptum esse librum, inscripsisset haud dubie *Περὶ τοῦ τί χρὴ ἐπιτηδεύειν τὸν ποιητήν*. Alium Cleanthis librum *Πρὸς Ἀρίσταρχον* inscriptum adversus Aristarchum Homericum tendere fuerunt qui conjicerent infelices saeculo Cleanthe inferiorem; librum compositum esse adversus Aristarchum Samium celeberrimum astrologum quippe qui terram docuisset moveri ex Plutarchi libello efficitur De facie in orbe lunae cap. 6. Quae vero de Pythagorae patria, genere, educatione ex Cleanthis Mythicorum libro quinto relata legimus in Porphyrii Vita Pythagorae § 1. 2, ea conjecturam excitare possent, de Homero quoque in Mythicis iisdem esse perscriptum a Cleanthe, nisi certum esset, pro *Κλεάνθης* ll. cc. legi debere *Νεάνθης* itidemque uno reliquo loco quo Cleanthis *Μυθικὰ* laudantur Athen. 13, 31. Nam quod in satis amplo Cleanthis scriptorum catalogo Diogenes Laert. nullam *τῶν Μυθικῶν* fecit mentionem, id solum quidem suspicionem movere non posset, quum Diogenes in aliis quoque ejusmodi catalogis quorundam oblitus esse videatur; sed accedit primum quod Cleanthis et Neanthis nomina alibi commutata esse a librariis constat; dein Neanthem Cyzicenum et *Μυθικὰ* scripsisse aliunde compertum habetur et de Pythagora et Pythagoreis quaesivisse, de quibus peculiarem scriptionem composuit, quum ab aliis tum ab ipso Porphyrio in eadem Pythagorae vita § 55. 61 adhibi-

tam; denique ea ipsa, quae in Porphyrio ex Cleanthe relata legimus, alii scriptores ex Neanthe referunt. Confer, si tanti est, Marquardti Cyzicum p. 164—169 et C. Muelleri HGF 3 p. 2—11.

In stoicis unum Cleanthem ne suspiceris Homericum exstitisse. Nam qui Cleanthis *διάδοχος* exstitit, Chrysippum Solensem pariter atque Zenonem Cittiensem, sectae auctorem, Cleanthis magistrum, ornasse scriptis Homerum constat. Et Zenonem quidem Diogenes Laert. 7, 4 *Προβλημάτων Ὁμηρικῶν* libros quinque confecisse testatur; Dio Chrysostomus orat. 53, 4 Zenonem *εἴς τε τὴν Ἰλιάδα* scripsisse ait *καὶ τὴν Ὀδύσσειαν καὶ Περὶ τοῦ Μαργίτου δέ· δοκεῖ γὰρ καὶ τοῦτο τὸ ποίημα ὑπὸ Ὁμήρου γεγονέναι νεωτέρου καὶ ἀποπειρωμένου τῆς αὑτοῦ φύσεως πρὸς ποίησιν.* Chrysippum Varro De l. l. 8 init. sex libros *Περὶ ἀνωμαλίας* tradit reliquisse, quibus Crates grammaticus contra analogiam atque Aristarchum sit nixus. Est procul dubio idem opus quod *Περὶ τῆς κατὰ τὰς λέξεις ἀνωμαλίας πρὸς Δίωνα* inscriptum quattuorque librorum legimus fuisse apud Diogenem 7, 192; codices Menagius narrat habere *α′ β′ γ′*. Quo opere ut uteretur adversus Aristarchum Crates Mallotes inde factum est, quia ipse hic stoicus philosophus fuit, qua de re videas Suidam s. v. *Κράτ.* et Wegenerum Aul. Attal. p. 110. 221 sqq. Quam rem qui accuratius perpenderit, ei dubium non esse poterit quin tota Pergamenorum doctrina Homerica sit profecta a stoicorum disciplina, quos grammaticis studiis plurimum tribuisse constat.

Similes rationes inter Arati studia Homerica et stoicorum doctrinam videntur intercessisse. Arati enim Zeno stoicus dicitur amicus in vita Arati 3 p. 58 West., praeceptor Dionysius Heracleota stoicus in vita 1 p. 54 et in 4 p. 60, aequalis idem in 2 p. 56, imitator idem a Diogene Laertio 7, 167, Persaeus Cittiensis stoicus sodalis in 3 p. 58, praeceptor in 4 p. 60; ibidem Persaeus in Macedoniam arcessitus ab Antigono Gonata Aratum secum deduxisse narratur; amicitiam intimam Antigono cum Persaeo fuisse et Zenone Diog. Laert. 2, 143. 4, 47. 7, 6. 9. 13. 36 et alii testantur scriptores ab interpretibus Diogenis indicati. Homerum vero etiam a Per-

saeo illustratum esse discimus ex Dione Chrysostomo orat. 53, 5; super Achille Homerico ejus fuisse idem atque Cratetis judicium declarat scholium *A* 62. Quibus cum testimoniis et indiciis vide quam egregie conveniat quod stoica doctrina a scholiastis in explicandis Arati Phaenomenis saepius ad partes vocatur. Neque etiam hoc casui tribuendum, quod et Aratus et Crates in eadem mundi regione erant nati ex qua plurimi stoici erant oriundi, Ciliciam dico cum adjacentibus tractibus.

Plura de stoicorum studiis Homericis imprimis Chrysippi congeri posse video, atque collegi ipse nonnulla, quae hoc quidem loco *ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ* omitto; properandum enim est ad peripateticos, qui in patria certe aetateque Homeri investiganda plus praestitisse videntur quam stoici. Reliquas ejusdem aevi philosophorum sectas non attingam, quae, quamvis *φιλόμηροι* complures in iis fuisse tradantur, elaborasse multum in Homero non videntur. Ex peripateticis autem ad partes vocantur in vitis Homeri et in patrum locis supra appositis Aristoteles, Heraclides, Chamaeleon, Megaclides. Iis aliunde addemus Dicaearchum, Aristoxenum, Demetrium Phalereum.

Aristoteles quanti Homerum fecerit ex libello De poëtica perspicitur optime, cujus imprimis conferenda capita ed. Buhl. minor. primum § 11. 18. 22. 24, secundum § 8. 9, quartum § 15, septimum § 9, octavum § 9. 12, nonum § 4 8, decimum § 9. 20, quartum decimum § 4. 5. 6. 8. 18. 19. 20. 21. 23. 27, quintum decimum § 8, sextum decimum § 14. Quos locos tractavit Rassow scriptione scholastica Ueber die Beurtheilung des Homerischen Epos bei Plato und Aristoteles Sedini 1850.

Epici cycli carmina Homero vulgo tributa abjudicasse ab illo Aristotelem, tribuisse autem eidem Margiten Poëticae loci docent. Margiten Homeri esse disertis verbis ille narrat Poët. 2, 8, quod judicium iteratur Ethic. Nicom. 6, 7 Ethic. Eudem. 5, 7. Nominatim epici cycli duo carmina, Cypria et Parvam Iliadem ab Homero aliena sese censere Aristoteles prodit Poët. 14, 5 et 6. Iliadem una et Odysseam omissis reliquis cycli carminibus apud eum ut Homeri carmina commemorata saepius reperies. Iliadis editionem in usum discipuli sui Alexandri

magni, qui quam maxime φιλόμηρος erat, Aristotelem confecisse Plutarchus narrat in vita Alexandri cap. 8: *καὶ τὴν μὲν Ἰλιάδα τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον καὶ νομίζων καὶ ὀνομάζων, ἔλαβε μὲν Ἀριστοτέλους διορθώσαντος ἣν ἐκ τοῦ νάρθηκος καλοῦσιν· εἶχε δ' ἀεὶ μετὰ τοῦ ἐγχειριδίου κειμένην ὑπὸ τὸ προσκεφάλαιον, ὡς Ὀνησίκριτος ἱστόρηκε.* Cur ἡ Ἐκ τοῦ νάρθηκος vocata sit editio ea, capite 26 indicat Plutarchus, ubi in praeda Persica repertum esse pretiosissimum κιβώτιον ait, cujus alium quum alii suasissent usum, Alexandrum in eo deposuisse Iliadis exemplum. Librorum Homeri custodiae Alexandrum unguentorum scrinium dedisse inter spolia Darii captum Plinius N. h. 7, 30 testatur; Aristotelem tamen is non commemorat. Similiter Eustathius hunc silentio praeterit ad Iliad. p. 1 ubi Alexandrum τὴν Ὁμηρικὴν βίβλον in expeditionibus suis secum duxisse narrat, et p. 6, 43 ubi cum aliis editionibus τὴν ἱστορουμένην ἀπὸ νάρθηκος recenset. Strabo editionem Ἐκ τοῦ νάρθηκος Aristotele non nominato ad Alexandrum ipsum refert opera adjutum Callisthenis et Anaxarchi 13 p. 594, ubi postquam dixit Alexandrum φιλόμηρον fuisse pergit *φέρεται γοῦν τις διόρθωσις τῆς Ὁμήρου ποιήσεως, ἡ Ἐκ τοῦ νάρθηκος λεγομένη, τοῦ Ἀλεξάνδρου μετὰ τῶν περὶ Καλλισθένη καὶ Ἀνάξαρχον ἐπελθόντος καὶ σημειωσαμένου τινά, ἔπειτα καταθέντος εἰς νάρθηκα, ὃν εὗρεν ἐν τῇ Περσικῇ γάζῃ πολυτελῶς κατεσκευασμένον.* Unum quantum scio Plutarcho testimonium accedit ex vetere illa quam Nunnesius publicavit Latina interpretatione vitae Aristotelis Graece scriptae, quam ipsam deperditam epitomenque tantum Graece scriptam servatam esse Westermann *Βιογρ.* p. XX monuit. Interpretis igitur Latina illius verba leguntur in ed. Buhl. vol. 1 p. 54 haec: „Aristoteles autem juvenis adhuc exsistens doctrinam eloquentiae docebatur, ut declarant Homerica commenta scripta ab eo, et Iliadis dictamen, quod dedit Alexandro, et dialogus De poëtis, et tractatus De poëtica, et Rhetorica“. Quem locum non commemorant qui nostris temporibus de editione Ἐκ τοῦ νάρθηκος disputaverunt, Lehrs Arist. p. 245 Osann An. Rom. p. 51 Quaestt. Homm. partic. 2 (Gissae 1852) p. 17

Editio igitur Homericae Iliadis utrum confecta fuerit ab Aristotele necne videtur esse incertum; sed si fuit, miserabi-

lem eam fuisse certum. Quae enim ex Aristotele proferuntur Homericorum locorum scripturae quasque ipse profert in libris suis servatis, ita comparatae sunt, ut codices quam maxime depravatos secutum esse liqueat hominem egregium, philosophis quidem magnum illum, philologis vero minus probatum. Imprimis commemorandum, quod spurios versus permultos et maximam quidem partem tales, quales Aristarchus ne scripsit quidem, Aristoteles Homeri esse credidit. Rem multi tetigerunt; nos unum certe exemplum proferemus. Apros tractans Animall. hist. 6, 25, 3 Aristoteles scribit haec: *τῶν δ' ἀρρένων [καὶ ἀγρίων] οἱ τομίαι μείζους γίγνονται καὶ χαλεπώτεροι· ὥσπερ καὶ Ὅμηρος ἐποίησεν· „θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον· οὐδὲ ἐῴκει | θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι“. γίγνονται δὲ τομίαι διὰ τὸ νέοις οὖσιν ἐμπίπτειν νόσημα κνησμῶδες εἰς τοὺς ὄρχεις· εἶτα ξυόμενοι πρὸς τὰ δένδρα ἐκθλίβουσι τοὺς ὄρχεις.* Locus Homeri est *I* 538 sqq, qui hodie sic legitur: *ἡ δὲ χολωσαμένη, δῖον γένος, ἰοχέαιρα | ὦρσεν ἔπι χλούνην σῦν ἄγριον ἀργιόδοντα, | ὃς κακὰ πόλλ' ἔρδεσκεν ἔθων Οἰνῆος ἀλωήν· | πολλὰ δ' ὅ γε προθέλυμνα χαμαὶ βάλε δένδρεα μακρά κτἑ.* Hunc igitur locum Aristotelem sine interpolationis suspicione ita vides legisse interpolatum, ut vocabulo *ἀργιόδοντα* in *οὐδὲ ἐῴκει* mutato versus totus interpositus esset *θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι*, ad exemplum loci *ι* 190 sqq ubi de Cyclope haec dicuntur: *καὶ γὰρ θαῦμ' ἐτέτυκτο πελώριον, οὐδὲ ἐῴκει | ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι | ὑψηλῶν ὀρέων, ὅτε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων.* Eustath. *I* 539 (535) p. 772, 46 *τὸ δὲ ὦρσε καὶ ἑξῆς εὕρηται παρὰ τῷ γεωγράφῳ „θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν“· παρ' ᾧ καὶ στίχος εὕρηται οὗτος ἐπηγμένος· „οὐδὲ ἐῴκει | θηρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι“. καὶ σημείωσαι καὶ τοῦτο εἰς τὸ περὶ στίχων λειπόντων ἐκ τοῦ Ὁμήρου. χλούνης δὲ κτἑ....* lin. 55 *καὶ Ἀριστοτέλης δὲ κατὰ τὸν γεωγράφον χλούνην σῦν τὸν τομίαν νοεῖ, δεχόμενος τὸ „θρέψεν ἐπὶ χλούνην σῦν ἄγριον“ καὶ τὸν ἑξῆς γραφέντα στίχον πρὸς πίστωσιν τοῦ ὅτι τῶν ἀρρένων καὶ ἀγρίων οἱ τομίαι μείζους γίνονται καὶ χαλεπώτεροι. γίνονται δέ, φησί, τομίαι ἀπὸ κνησμοῦ ἐμπίπτοντες τοῖς ὄρχεσι νοσηματικῶς, ὅθεν προσξυόμενοι τοῖς δένδροις ἐκθλίβουσι τοὺς ὄρχεις.* Per totum Strabonem locum

frustra quaesivi ab Eustathio indicatum; unde colligo in deperditis operis partibus eum lectum fuisse.

Quod juxta Iliadis illud dictamen Alexandro datum, editionem Iliadis intellige, in vita Latina Aristotelis memoratur opus „Homericorum commentorum" quale fuerit epitomes Graece scriptae docet locus parallelus. Est secunda Aristotelis vita apud Westermannum, in qua p. 399 leguntur haec: *ὁ μὲν οὖν Ἀριστοτέλης ἔτι νέος ὢν τὴν τῶν ἐλευθέρων παιδείαν ἐπαιδεύετο, ὡς δηλοῖ τὰ γεγραμμένα αὐτῷ Περὶ ποιητικῆς καὶ Περὶ ποιητῶν, ἔτι μέντοι τὰ Ὁμήρου προβλήματα καὶ αἱ Ῥητορικαὶ τέχναι.* Vitae ap. West. tertiae auctor in catalogo scriptorum Aristotelis p. 404 lin. 75 enumerat *Ἀπορήματα Ἡσιόδου ἐν α΄, Ἀπορήματα Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδου, Χοιρίλου ἐν βιβλίοις γ΄, Ἀπορημάτων ποιητικῶν α΄, Αἰτίας ποιητικάς, Προβλημάτων Ὁμηρικῶν ι΄.* Idem in eodem catalogo p. 403 *Περὶ μουσικῆς α΄, Πέπλον, Ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν ζ΄, Ἀπορημάτων θείων α΄, Ποιητικὸν α΄, Μνημονικὸν α΄, Φυσικῶν λη΄ κατὰ στοιχεῖον, Μεταφυσικὰ κ΄, Προβλημάτων ἐπιτεθεαμένων, Ἐγκύκλιον β΄, Μηχανικὸν α΄, Κύκλον περὶ ποιητῶν γ΄, Προβλημάτων Δημοκριτείων β΄.* Diogenes Laertius in catalogo scriptorum Aristotelis 5, 26 *Περὶ μουσικῆς α΄, Μνημονικὸν α΄, Ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν α΄ β΄ γ΄ δ΄ ε΄ ϛ΄, Ποιητικὰ α΄, Φυσικῶν κατὰ στοιχεῖον ὀκτὼ πρὸς τοῖς τριάκοντα, Ἐπιτεθεαμένων προβλημάτων α΄β΄, Ἐγκυκλίων α΄β΄, Μηχανικὸν α΄, Προβλήματα ἐκ τῶν Δημοκρίτου α΄β΄.* Hunc Diogenis locum simillimum esse apparet priori vitae 3 loco p. 403; atque accuratius comparanti universos catalogos fieri non potest quin catalogus vitae 3 in duos discedere videatur catalogos consultos, quorum prior, qui p. 404 lin. 73 desinit verbis *ἐλεγεῖα, ὧν ἀρχὴ „καλλιτέχνου μητρὸς θύγατερ"*, ex eodem fonte manaverit ex quo Diogenis catalogus. Quam rem quum fusius tractare hoc loco non attineat, in eo acquiescendum videtur, ut statuamus, *Ἀπορημάτων Ὁμηρικῶν* libros sex apud Diogenem obvios, libros septem in priori vitae 3 catalogo idem esse opus atque *Προβλημάτων Ὁμηρικῶν* decem libros in posteriori vitae 3 catalogo et *τὰ Ὁμήρου προβλήματα* in vita 2, „Homerica commenta" Latini interpretis. Numerum librorum *ζ* in priori vitae 3 catalogo, *α΄ β΄ γ΄ δ΄ ε΄ ϛ΄* apud

Diogenem aut utrumque esse corruptum aut alterumutrum negari non potest; nam horum duorum catalogorum idem est fons; numerus contra posterioris in vita 3 catalogi firmatur catalogo scriptorum Aristotelis Arabico qui apud Buhlium Latine expressus legitur vol. I p. 41 sq; nam ibi recensentur p. 42 ima „Quaestiones de Homeri versibus maxime reconditis, libri X“. Rescribendum igitur duco apud Diogenem α′ β′ γ′ δ′ ε′ ϛ′ ζ′ η′ ϑ′ ι′, in priori vitae 3 catalogo ι′ pro ζ′. Difficilior est quaestio de titulo operis, utrum *Προβλήματα Ὁμηρικά* fuerit inscriptum an *Ἀπορήματα*. Phrynichus s. v. *Βασίλισσα* ed. Lob. p. 225 Aristotelem excitat *ἐν τοῖς Ὁμήρου ἀπορήμασιν*, Antiatticista in Bekk. Ann. 1 p. 84 de eadem re s. v. *Βασίλισσα* Aristotelem *Ὁμηρικοῖς ἀπορήμασι*. Ruhnkenius in diss. De Longino § 14 Aristotelis *Ἀπορήματα Ὁμήρου* praeter alios laudare narrat grammaticum m. s. Sangermannensem: *Βασίλισσα· Ἀλκαῖος Γανυμήδει. Ἀριστοτέλης Ὁμήρου ἀπορήμασιν.* Quae ipsa verba sunt Antiatticistae, nisi quod in eo *Ὁμηρικοῖς ἀπορήμασιν* edidit Bekkerus.

In scholiis Homericis Aristoteles nominatur multis locis. Editio ἡ Ἐκ τοῦ νάρθηκος nusquam nominatur; sed proferuntur scripturae Aristotelis nonnullis locis, veluti *Φ* 252, ubi diplam *πρὸς Φιλητᾶν* fuisse nuntiavit Lehrs ap. Friedlaenderum; qui non praeterire debebat, eadem dipla etiam Aristotelem fuisse notatum. Verba ipsa Aristonici exstant in cod. B: *Ἀριστοτέλης „μελανόστου“ ἀναγινώσκει, τοῦ μέλανα ὀστᾶ ἔχοντος. ἀγνοεῖ δὲ ὡς οὐ δεῖ ἀπὸ τῶν ἀφανῶν ποιεῖσθαι τὰ ἐπίθετα.* Praefige *ἡ διπλῆ ὅτι.* Secuta sunt in fine annotationis quae ad Philetam. Multis locis scholiastae laudant Aristotelis *Ζώων ἱστορίαν*, nonnullis alia ejus scripta. Nonnullis quae respiciantur scripta incertum est. Sed longe maximus numerus eorum est locorum, qui ad *Προβλήματα* s. *Ἀπορήματα Ὁμηρικὰ* referuntur certissime. Et hi quidem loci aut omnes aut magnam certe partem per Porphyrium videntur in scholia venisse; disertis verbis Porphyrius de Aristotelis dubitationibus testis introducitur scholl. *Γ* 276. 441 *Δ* 296 *Z* 234 *H* 93. 228 *I* 17 *K* 153. 198. 252 *Ω* 15 ε 93. Quae dubitationes Homericae Aristotelis nomine in scholiis a Porphyrio prolatae Lehrsio adeo displicuerunt, ut Arist. p. 227 subditicio libro

usum esse conjiceret Porphyrium; quam sententiam firmari putavit eo, quod a commentatoribus Homericis reliquisque Homericas quaestiones tractantibus, ut Plutarcho, hic liber nunquam ad partes vocatus, a solo Porphyrio adscitus sit. Parum tamen Aristotelem in explicando Homero profecisse idem vir doctus in eodem libro docuit p. 48 sqq locis quibusdam nisus, quos non suspectos ei fuisse patet, Aristot. Poët. cap. 26, 16 sqq (15, 16 Buhl. ed. minor.), Aeliano H. ann. 15, 28, schol. *Λ* 385, ubi quae explicatur dipla ab Aristonico ea Aristotelem quoque tangit illi non nominatum, *Φ* 252, quem locum dipla *πρὸς Ἀριστοτέλην* fuisse notatum dixi, *ε* 334 et *κ* 136, quos locos ex *Ἀπορημάτων* libris desumptos esse res ipsa clamat. Plutarchus, quem Lehrs l. c. p. 227 Aristotelis *Ἀπορήματα Ὁμηρικὰ* nunquam ad partes vocasse autumat, in libello De audiendd. poëtt. cap. 12 ad partes vocavit Aristotelis versuum *Ψ* 297 sqq explicationem, quae quin in *Ἀπορημάτων* opere fuerit perscripta ne minima quidem est dubitatio. Reperitur eadem explicatio etiam in scholiis ad l. c. omisso tamen Aristotelis nomine. Idem Plutarchus in libello „Non posse suaviter vivi secundum Epicurum" inscripto cap. 12 *ἀλλ' ἔδει γε*, inquit, *τοὺς ἀπολαυστικούς, ὁρῶντας, ὅτι πολλὰς ἀφανίνει τῶν ἡδονῶν τὸ γῆρας, „ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται" κατ' Εὐριπίδην, ταύτας μάλιστα συνάγειν τὰς ἡδονὰς ὥσπερ εἰς πολιορκίαν ἄσηπτα σιτία καὶ ἄφθαρτα παρατιθεμένους, εἶτ' ἄγειν ἀφροδίσια τοῦ βίου καὶ μεθεόρτους καλὰς ἐν ἱστορίαις καὶ ποιήμασι διατρίβοντας, ἢ προβλήμασι μουσικοῖς καὶ γεωμετρικοῖς. οὐ γὰρ ἂν ἐπῆλθεν αὐτοῖς εἰς νοῦν βαλέσθαι τὰς τυφλὰς ἐκείνας καὶ νωδὰς ψηλαφήσεις καὶ ἐπιπηδήσεις τοῦ ἀκολάστου μεμαθηκόσιν, εἰ μηδὲν ἄλλο, γράφειν περὶ Ὁμήρου καὶ περὶ Εὐριπίδου, ὡς Ἀριστοτέλης καὶ Ἡρακλείδης καὶ Δικαίαρχος.* Quibus verbis Aristotelis *Προβλήματα* s. *Ἀπορήματα Ὁμήρου, Ἀπορήματα Ἀρχιλόχου, Εὐριπίδου, Χοιρίλου* respici quis est quin videat? Respiciuntur Aristotelis Quaestiones Homericae cap. 13 quoque ejusdem scriptionis: *κιθαρῳδῶν καὶ αὐλητῶν ἕωθεν ἀκροασόμενος εἰς τὸ θέατρον βαδίζεις, ἐν δὲ συμποσίῳ Θεοφράστου περὶ συμφωνιῶν διαλεγομένου, καὶ Ἀριστοξένου περὶ μεταβολῶν, καὶ Ἀριστοτέλους περὶ Ὁμήρου τὰ ὦτα καταλήψῃ ταῖς*

χερσὶ δυσχεραίνων καὶ βδελυττόμενος; Pro *Ἀριστοτέλους* legebatur perperam *Ἀριστοφάνους* quod correxit Nauck Aristoph. p. 24 not. 10.

Praeter *Προβλήματα Ὁμηρικὰ* in secundo vitae 3 catalogo unus Homericus Aristotelis liber nominatur, inscriptus *Εἰ δή ποτε Ὅμηρος ἐποίησε τὰς Ἡλίου βοῦς*. Quo libro videtur quaesitum esse, Homerus utrum fabulam de Solis bobus quae est in Odyssea finxerit ipse an traditam acceperit. Ansam fortasse quaestioni instituendae dedit Apolloniatarum Ionium mare accolentium sacer Soli ovium grex, de quo Herodotus 9, 93; vel Corinthiorum ipsorum Apolloniatarum *μητροπόλεως* antiquissimus Solis cultus. Quo ex cultu repetendam esse fabulae Homericae de Solis bobus et ovibus *μ* 127. 260 *λ* 104 *α* 7 *τ* 273 *ψ* 329 obviae originem non est quod ambigas. Aristotelem autem in Politiis et Corinthiorum et Apolloniatarum antiquitates tractasse constat. Ceterum cohaeret cum libro de quo verba facimus locus scholiorum *μ* 129, ex Aristotelis *Ἀπορήμασιν Ὁμηρικοῖς* ut videtur desumptus: *ἑπτὰ βοῶν ἀγέλαι: Ἀριστοτέλης φυσικῶς τὰς κατὰ σελήνην ἡμέρας αὐτὸν λέγειν φησὶ τν' οὔσας. τὸν γὰρ πεντήκοντα ἀριθμὸν ἑπταπλασιάσας εἰς τὸν τριακοστὸν πεντηκοστὸν περιεστάναι εὑρήσεις*. Eustath. *μ* 130 p. 1717, 32 *ἰστέον δὲ ὅτι τὰς ἀγέλας ταύτας καὶ μάλιστα τὰς τῶν βοῶν φασὶ τὸν Ἀριστοτέλην ἀλληγορεῖν εἰς τὰς κατὰ δωδεκάδα τῶν σεληνιακῶν μηνῶν ἡμέρας, γιγνομένας πεντήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις, ὅσος καὶ ὁ ἀριθμὸς ταῖς ἑπτὰ ἀγέλαις, ἐχούσαις ἀνὰ πεντήκοντα ζῷα. διὸ οὔτε γόνον αὐτῶν γίνεσθαι Ὅμηρος λέγει οὔτε φθοράν. τὸ γὰρ αὐτὸ ποσὸν ἀεὶ ταῖς τοιαύταις ἡμέραις μένει*. Idem ad vs. 139 p. 1717, 44 Apolloniatarum sacri gregis ab Herodoto commemorati mentionem fecit.

In exotericis Aristotelis scriptis dialogorum fuisse narratur multitudo, quorum nullus aetatem tulit. Multos in iis fuisse, quibus Homerus sit explicatus Dio Chrysost. narrat orat. 53 cap. 1, lectio si vera. Verba sunt haec: *καὶ δὴ καὶ αὐτὸς Ἀριστοτέλης, ἀφ' οὗ φασι τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν, ἐν πολλοῖς διαλόγοις περὶ τοῦ ποιητοῦ διέξεισι θαυμάζων αὐτὸν ὡς τὸ πολὺ καὶ τιμῶν· ἔτι δὲ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός*. Adnotat Emperius „*ἐν πολλοῖς*

διαλόγοις. ἐν πολλοῖς δὴ λόγοις (vel *ἐν πολλοῖς λόγοις* vel *ἐν πολλοῖς νὴ Δία λόγοις*) Reisk., *ἐν ὅλοις δέκα λόγοις* Geel." Conferenda videtur oratio secunda, qua fictum Dio sistit dialogum inter Alexandrum quondam et Philippum patrem *περὶ Ὁμήρου* habitum sive, ut initio cap. 1 declaratur, *περὶ βασιλείας*. Hujus dialogi cap. 15 Alexander praeceptorem suum Aristotelem cum Phoenice comparat Achillis praeceptore, cp. 79 vero Philippus de Aristotele *ὁ γὰρ ἀνὴρ ἄξιος πολλῶν καὶ μεγάλων δωρεῶν, εἰ τοιαῦτά σε διδάσκει περί τε ἀρχῆς καὶ βασιλείας, εἴ τε Ὅμηρον ἐξηγούμενος, εἴ τε καὶ ἄλλον τρόπον.*

De patria et aetate Homeri Aristoteles in iis, de quibus egi libris Homericis quaesivisse non videtur, sed solo in opere *Περὶ ποιητῶν* inscripto, de quo conferas C. Muelleri HGF vol. 2 p. 185 sqq. Oriundum fuisse Homerum ex insula Io secundum Aristotelem in vitae 2 B legimus cap. 2, in quinta, in sexta. Idem Gellius narrat 3, 11, 6: „Aristoteles tradidit ex insula Io natum (intell. Homerum)". Accedit Tzetzes qui Exeges. Iliad. p. 8 *τῷ δὲ σοφῷ Ἀριστοτέλει* inquit *Ἰήτης τάχα δοκεῖ* (int. *ὁ θειότατος Ὅμηρος*) *διὰ τὸ ἐν Ἴῳ τεθάφθαι.* Uberrimum Aristotelis fragmentum ipsum servatum est cap. 3 vitae 2 A, quo Homerus in Io insula natus esse traditur eo tempore, quo Neleus Codri filius Iones in Asiam deduxerit. Rem exposuisse legimus Aristotelem *ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ ποιητικῆς*. Aut ea verba C. Mueller l. c. p. 186 (cfr. 185) mutanda esse censet rescribendumque *ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ ποιητῶν* aut de Aristotele Cyrenaeo cogitandum, quem *Περὶ ποιητικῆς* scripsisse Diog. L. testetur 5, 35. Sed de Cyrenensi isto Aristotele veteres certe scriptores quos memoravi non cogitasse vel ea res docet, quod vitae 2 B et 5 auctores expresse *Ἀριστοτέλην τὸν φιλόσοφον* ad partes vocant, Tzetzes *τὸν σοφὸν Ἀριστοτέλην*, nudo reliqui nomine *Ἀριστοτέλην*; in quibus doctissimus Gellius. Nec magis placet emendatio a Muellero commendata; nam si reponendum *Περὶ ποιητῶν*, non *ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ ποιητῶν* videtur scribendum, sed *ἐν τῷ Περὶ ποιητῶν*, quibus verbis Aristotelis hoc opus excitatur a Diogene Laertio 8, 57 et ab Eudocia p. 170 et ab Athenaeo 11, 112. Quae verba si restitueris vitae Plutarcheae, pro iis corrupte primum credas scriptum *ἐν τῷ τρὶ Ποιητῶν*, mendose dein emendatum

ἐν τῷ τρίτῳ Ποιητῶν, ἐν τῷ τρίτῳ Ποιητικῆς, ἐν τῷ τρίτῳ Περὶ ποιητικῆς. Residet tamen de hac quoque emendatione scrupulus; ferri enim posse crediderim illud Περὶ ποιητικῆς. Opus suum Περὶ ζώων inscriptum Aristotelem ipsum τὴν Ζωικὴν ἱστορίαν vocare videmus in libro De partibb. animall. 3, 5. Quod si recte fecit ille, quidni opus Περὶ ποιητῶν inscriptum τὴν Ποιητικὴν ἱστορίαν dicat quis? Jam vero pro τὴν „Ποιητικὴν ἱστορίαν" τὸ „Περὶ ποιητικῆς ἱστορίας" recte dici certissimum est, cujus rei exempla inspicias collecta apud Fuhr. Dicaearch. p. 40 et Schneidewin. Heraclid. p. XXXIX. Itaque suo jure vitae auctor scripsisse videri potest ἐν τῷ Περὶ ποιητικῆς; unde repetitis perperam vocabulis τῷ περί ex τῷ περὶ τῷ περὶ ποιητικῆς converso priori περι in τρι natum fuerit τῷ τρίτῳ περὶ ποιητικῆς. Similis condicio est fragmenti ex eodem Περὶ ποιητῶν servati opere ap. Diog. L. 2, 46, ubi quod editur Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ Ποιητικῆς prorsus immutatum retineri potest. Scripsit etiam hoc loco Aristoteles de Homero, nec tamen data opera, quod in primo tantum operis libro factum apparet, sed occasione oblata: τούτῳ (int. τῷ Σωκράτει) τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ Ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντιόλοχος Λήμνιος καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος, ὡς Πυθαγόρᾳ Κύδων καὶ Ὀνάτας, καὶ Σάγαρις Ὁμήρῳ ζῶντι, ἀποθανόντι δὲ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος, καὶ Κέρκωψ Ἡσιόδῳ ζῶντι, τελευτήσαντι δὲ ὁ προειρημένος Ξενοφάνης, καὶ Πινδάρῳ Ἀμφιμένης ὁ Κῷος, Θάλητι δὲ Φερεκύδης, καὶ Βίαντι Σάλαρις Πριηνεύς, Πιττακῷ Ἀντιμενίδας καὶ Ἀλκαῖος, Ἀναξαγόρᾳ Σωσίβιος καὶ Σιμωνίδῃ Τιμοκρέων. Congruunt quae Aristoteles Politicc. 3, 9, 6 narrat: οἷον εἵλοντό ποτε Μυτιληναῖοι Πιττακὸν πρὸς τοὺς φυγάδας, ὧν προειστήκεσαν Ἀντιμενίδης καὶ Ἀλκαῖος ὁ ποιητής. Quod ad vindicandum Aristoteli hoc Περὶ ποιητῶν s. Ποιητικῆς ἱστορίας opus facit. Tertius ejusdem operis locus quo Homerus commemoratur apud Diogenem L. 8, 57 (Eudociam p. 170) exstat: ἐν δὲ τῷ Περὶ ποιητῶν φησιν (intell. ὁ Ἀριστοτέλης), ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι (ἐπιτάγμασι Eud.) χρώμενος. Qua cum narratione optime quadrant quae Aristo-

teles in Poëticae cap. 1, 11 dicit: *οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον. δι' ὃ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν.* Cfr. Poët. 12, 11.

Addere possem multos locos, quibus Homerica Aristotelis studia illustrantur; veluti Tzetzae schol. ad Exeg. Iliad. p. 126, ubi in catalogo eorum, qui Homericam etymologiam tractarint, primi ponuntur *Πλάτων καὶ Ἀριστοτέλης οἱ φιλόσοφοι.* Universos Aristotelis locos Homericos qui volet congerere, ei cavendum est a confusione quae in mss. reperitur nominum *Ἀρίσταρχος*, *Ἀριστοφάνης*, *Ἀριστοτέλης*. Sic apud Plutarchum pro *Ἀριστοφάνους* restituisse Nauckium vidimus *Ἀριστοτέλους*; sic schol. κ 136 pro *Ἀρίσταρχος* legendum esse *Ἀριστοτέλης*, contra quae schol. Theocrit. 1, 34 leguntur, Aristotelem π 176 pro *ἐθειράδες* scripsisse *γενειάδες*, in iis pro *Ἀριστοτέλης* legendum esse *Ἀρίσταρχος* Lehrs monuit Arist. p. 50 not. 2, quam emendationem verissimam eorum qui his temporibus libros edunt aut ignoraverunt nonnulli aut adeo spreverunt ut ne verbo quidem ducerent commemorandam. Cavendum etiam a Cyrenensi illo Aristotele et a tertio quodam ejusdem nominis scriptore, qui *Περὶ Ἰλιάδος πεπραγματευμένος* dicitur Laertio 5, 35.

Heraclidem Ponticum, Heraclea Ponti oriundum, Aristotelis discipulum et Platonis, in locis Homerica Aristotelis studia illustrantibus bis cum illo vidimus laudatum: a Plutarcho Non posse suaviter 12, ubi *Περὶ Ὁμήρου* et *Περὶ Εὐριπίδου* scripsisse *Προβλήματα* ut Aristoteles ita Heraclides indicatur, et a Dione orat. 53, 1, qui postquam Aristoteli Homerum illustratum fuisse multis dialogis dixit, Heraclidem subjungit: *ἔτι δὲ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Ποντικός.* Dialogos Heraclidem composuisse multos constat, quam rem veterum testimoniis firmatam videas apud Deswertum Dissert. de Heraclide Pontico (Lovanii 1830) p. 32 sqq. Commemorat dialogos etiam Diogenes Laertius in scriptorum Heraclidis catalogo 5, 86 sqq proposito; cujus catalogi talis est confusio ut parum liqueat dialogi num fuerint opera tria Homerica quae § 87. 88 recensentur. Eorum duo grammatica vocantur, alterum *Περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἡλικίας α' β'*, alterum *Περὶ Ἀρχι-*

λόγου καὶ Ὁμήρου α΄ β΄; tertium vero, *Λύσεων Ὁμηρικῶν* α΄ β΄, in musicis Heraclidis scriptis positum est. Cum hoc opere, quod ad similitudinem Ἀπορημάτων Aristotelis Ὁμηρικῶν proxime videtur accessisse, in musicis libri recensentur *Περὶ τῶν παρ᾽ Εὐριπίδῃ καὶ Σοφοκλεῖ* α΄ β΄ γ΄ et *Περὶ τῶν τριῶν τραγῳδοποιῶν* α΄; verissime igitur Plutarchum l. c. de Heraclide perhibuisse apparet. De Homero dedita opera sine dubio Heraclides etiam in scriptione egit *Περὶ ποιητικῆς καὶ τῶν ποιητῶν* α΄ a Diogene 5, 88 nominata, ad exemplum, opinor, Aristotelis magistri composita; qua in scriptione de Homeri patria et aetate disputatum fuisse quamvis probabile dixeris, ea tamen, quae in vita sexta ex Heraclide proferuntur, *Ἡρακλείδης μὲν πρεσβύτερον* (int. τὸν Ὅμηρον) *Ἡσιόδου λέγει*, ex libris *Περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἡλικίας* profluxisse ultro concedes.

Eustratius ad Aristot. Eth. Nicom. lib. 3 cap. 1 p. 40 Aldin. (locum transscripsit Deswert p. 109) de Aeschylo Athenis propter profanata in scena mysteria in judicium vocato Heraclidem Ponticum ad partes vocat *ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ Ὁμήρου*. Quo titulo quod opus ex tribus illis a Diogene recensitis designetur incertum est. Sed ex eodem certe opere hausta videntur esse quae Diog. Laert. 2, 43 refert: *ὁ μὲν οὖν* (int. ὁ Σωκράτης) *ἐξ ἀνθρώπων ἦν. Ἀθηναῖοι δ᾽ εὐθὺς μετέγνωσαν, ὥστε κλεῖσαι καὶ παλαίστρας καὶ γυμνάσια. καὶ τοὺς μὲν ἐφυγάδευσαν· Μελίτου δὲ θάνατον κατέγνωσαν. Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπείῳ, Λυσίππου ταύτην ἐργασαμένου. Ἄνυτόν τε ἐπιδημήσαντα αὐθημερὸν ἐξεκήρυξαν Ἡρακλεῶται. οὐ μόνον δὲ ἐπὶ Σωκράτους Ἀθηναῖοι πεπόνθασι τοῦτο, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πλείστων ὅσων. καὶ γὰρ Ὅμηρον (καθά φησιν Ἡρακλείδης) πεντήκοντα δραχμαῖς ὡς μαινόμενον ἐτίμησαν, καὶ Τυρταῖον παρακόπτειν ἔλεγον, καὶ Ἀστυδάμαντα πρῶτον τῶν περὶ Αἰσχύλον ἐτίμησαν εἰκόνι χαλκῇ.* De ultimis, quae corrupta esse patet, conferendi interpretes. Heracleotas illos quos Diogenes dicit Heracleotas Ponti esse Heraclidis nostri cives ex orat. 20 Themistii p. 239 C constat, a quo, poenas attingente accusatoribus Socratis impositas, *οἱ Ἡρακλεῶται οἱ ἐν τῷ Πόντῳ* Anytum lapidibus obruisse dicuntur. Prorsus incer-

tum ex quo opere petita sint quae Plutarchus vit. Alex. cp. 26 exhibet, Heraclide auctore Alexandriae incolas narrare, Homerum Alexandro per quietem visum versibus δ 354. 355 recitatis locum indicasse quo condenda esset Alexandria urbs. E libro Heraclidis *Περὶ ἡδονῆς* Athen. 12, 5 locum profert, quo voluptatem summum bonum esse demonstratur et aliis argumentis prolatis et Odysseae loco ι 5 sqq formulaque Homerica *θεοὶ ῥεῖα ζώοντες*. Quam rem ut recte spectes, tenendum quod Diogenes 5, 88 scribit, librum *Περὶ ἡδονῆς* fuisse *κωμικῶς πεπλασμένον*, ita ut recte conjecisse videatur Deswert p. 59, dialogum fuisse illum librum, quo aliquem ex Epicureis (qui ei infensissimi erant) introduxerit Heraclides doctrinam istam qui defenderet. Insigne de historia Homeri Heraclidis testimonium servavit Plutarchus De musica cap. 3 ex libro quem vocat *Συναγωγὴν τῶν ἐν μουσικῇ*, de quo videndus Deswert p. 135. In eo igitur opere Terpandrum Lesbium dixit, citharoedum celeberrimum ineuntis septimi a. Chr. saeculi, *τοῖς ἔπεσι τοῖς ἑαυτοῦ καὶ τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσιν*. Res perquam credibilis iis firmatur, quae de *μελοποιίᾳ* Terpandri Clemens Al. Stromm. 1, 78, de Terpandro Homeri imitatore Alexander ap. Plutarchum De mus. cap. 5, Plutarchus ipse cap. 6 de Terpandro prooemiis praeludente Homericis versibus produnt. Conferas etiam Proclum apud Phot. Bibl. p. 320 Bk. Sed eodem illo fragmento Heraclides, vetustam ut videtur secutus poëtarum et musicorum *ἀναγραφὴν* Sicyone asservatam (iterum memoratam a Plutarcho cp. 7) inter vetustissimos Graeciae poëtas Homero antiquiores, Amphionem, Linum, Anthen, Pierium, Philammonem, Thamyrin rettulit Demodocum Corcyraeum, qui composuerit *Ἰλίου πόρθησιν* et *Ἀφροδίτης καὶ Ἡφαίστου γάμον*, et Phemium Ithacensem, cujus carmen fuerit De reditu *τῶν ἀπὸ Τροίας μετ' Ἀγαμέμνονος ἀνακομισθέντων*; ad citharam autem vetustos illos omnes cecinisse carmina sua. Quam rem quamvis ingeniose disputasse videatur Heraclides (nam verissimum hoc est, Homerum quidem quos introducit epica recitantes carmina ad citharam eos omnes facere canentes, ipsius vero Homeri carmina a rhapsodis non ad citharam esse cantata sed *ἐπὶ ῥάβδῳ* recitata): Demodocum tamen

istum et Phemium cum carminibus suis ex Odysseae locis α 325 ϑ 266. 499 temere esse effictos patet. Ita vero comparati Heraclidis, quem Cicero alio loco virum doctum, alio virum doctum in primis vocavit, omnes videntur fuisse libri, ut bonae frugis essent pleni iidemque referti puerilibus fabellis. Cfr. Deswertum p. 34 sqq. Similem in explicando Lini vatis nomine locoque Σ 570 Heraclides arguitur ex Photio s. v. *Λινόν* errasse errorem dipla notatum ab Aristarcho Σ 570, ubi Aristonicus quidem Heraclidem non nominat. Addenda forsitan esset Heraclidis de Cimmeriis Homericis sententia (λ 14), pluribus ea si exstaret exposita quam quae leguntur Etymol. m. s. v. *Κιμμερίους*. Explicationes quasdam vocabulorum Homericorum admodum leves, petitas ex opere Pontici ut videtur Heraclidis *Περὶ ἐτυμολογιῶν* vel *Περὶ ἐτυμολογίας*, apud Deswertum p. 115 reperies et Osannum Quaestt. Homm. part. 3 (Gissae 1853) De Heraclide Homeri carminum diorthota p. 8 sqq. Ad *Λύσεων Ὁμηρικῶν* libros pertinere credas non solum *λύσιν* illam schol. ν 119 pluribus expositam quae Pontico adscribitur Heraclidi, sed etiam quae scholl. β 51. 63 Β 649 Γ 236 Heraclidis esse dicuntur Pontici non addito cognomine. Praeterea leguntur permulta fragmenta Homerica Heraclidis nomine insigniti quum apud alios tum apud Eustathium, quae intacta mitto, quum quid a nostro profectum sit Heraclide, quid ab aliis ejus nominis scriptoribus, Heraclide Pontico Didymi *τοῦ πάνυ* discipulo nostri cive (Diog. L. 5, 93 Suid. s. vv. *Ἡρ. Ποντ. Ἀντέρως. Λέσχαι*), Heraclide Milesio (schol. Θ 178 Eustath. Θ 178 p. 705, 61 Cram. Ann. Oxx. 1, 95), aliis, non possit paucis dijudicari. Cfr. Deswertum p. 28. 178 sqq Osannum Quaestt. Homm. part. 3 et part. 4 (Gissae 1854).

Carminum Homericorum editionem confectam fuisse ab aliquo Heraclide, non vetere illo Pontico sed recentiori nescio quo qui saeculo p. Chr. n. primo vixerit, Osann part. 3 p. 4 sq part. 4 p. 17 sq collegit ex Eustathio μ 325 p. 1724, 32 sqq (Phavorin. ed. Dindorf. Gramm. Graecc. 1 p. 80), ubi leguntur haec: *λέγει δὲ* (int. *ὁ Ἡρακλείδης*) *τοιοῦτον ἁμάρτημα εἶναι καὶ ἐν τῷ χηρῶσται* (Phav. *χηρωσταί*)· *τοῦ γὰρ ῥήματος ὄντος περισπωμένως* (Phav. *περισπωμένου*) *χηρῶ τοὔνομα οὐκ*

ὀξυτονεῖται, ἅμα δὲ τοῦτο καὶ περισσὸν ἔχει τὸ σ· καὶ σημαίνει (Phav. σημείωσαι) τὸ τοιοῦτον καινῶς (Phav. καινὸν) παραδοθὲν ὑπὸ τοῦ Ἡρακλείδου· ἡ γὰρ Ἰλιὰς, διορθωθεῖσα ὡς ἔοικεν ὕστερον, οὐ γράφει χηρῶσται προπερισπωμένως, ἀλλ' ὀξύνει, οἷον „χηρωσταὶ δὲ διὰ κτῆσιν δατέυνται". His quod Osann 4 p. 18 praedicat planum et indubitatum testimonium exhiberi de editione Heraclidis id concedi nullo modo potest. Accedunt loci plurimi et Eustathii et aliorum, quibus ejusdem haud dubie Heraclidis memorantur scripturae et explicationes Homericae, editionis tamen nec vola nec vestigium apparet. Heraclidem istum prout Cratetem et Tyrannionem Homericorum commentariorum opus liquet confecisse *Διορθώσεως* vel *Διορθωτικῶν* inscriptum titulo.

Falso nonnulli ad veterem Ponticum Heraclidem olim referebant H e r a c l i t i Allegoriarum Homericarum libellum, quem codicibus a Cobeto accuratius excussis 1851 Lugd. Bat. edidit E. Mehler; *Λύσεων Ὁμηρικῶν* a Diogene commemoratarum libros fuerunt qui hanc haberent scriptionem. Cautius pronuntiandum de frustulis illis *Ἐκ τῶν Ἡρακλείδου Περὶ πολιτειῶν* inscriptis accurate primum a Schneidewino editis 1848 Gottingae, post Schneidewinum in Muelleri HGF vol. 2 p. 197 sqq. Schneidewin excerpta esse de excerptis contendit Politiarum Aristotelis; prioris epitomatoris (aliunde non noti) Heraclidis nomen praefixum. Mueller nomine Heraclidis praefixo Ponticum nostrum designari censet; etenim excerpta de excerptis Heraclidis Pontici Politiarum (aliunde non notarum) fundum farraginis esse, cui superinjecti sint panni ex Aristotele et aliis deprompti. Quae lis Homeri tangit historiam, quoniam in fragmentis istis tribus de Homero agitur locis, Polit. Lacedd. 2, Cretenss. 2, Cephall. 3; quorum ultimo, Cephall. 3, qui Welckero Ep. Cycl. 1 p. 189 not. 280 ex Heraclidis opere *Περὶ Ὁμήρου* ab Eustratio laudato vel ex alio Heraclidis opere Homerico excerptus videbatur, ex Tyrrhenia in Cephalleniam et Ithacam pervenisse narratur Homerus quo tempore ex morbo caecus sit redditus; primo vero, Lacedd. 3, Lycurgus Samum quum pervenisset Homeri carmina ibi a posteris accepisse Creophyli, Samii poëtae illius vetusti, cujus mentionem supra injeci, primusque in Peloponnesum transtulisse traditur. Qui

locus insignis, si Muellerum audimus p. 207 totam Lacedaemoniorum Politiam ab ipso Heraclide repetentem, Heraclidis Pontici, non Aristotelis est. Ad Heraclidem Cretensium quoque Politiam refert Mueller, cujus frustulo 2 Homerus et Archilochus indicare dicuntur vetustissimam politiarum esse Creticam. De Archilocho etiam Pariorum pol. 2 et Magnett. pol. 1 agitur. Hos tres de Archilocho locos et duos de Homero, Cretenss. pol. 2 Cephall. 3 ex opere Heraclidis Pontici *Περὶ Ἀρχιλόχου καὶ Ὁμήρου* esse depromptos fuerunt qui conjicerent. Poterat etiam de opere *Περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου ἡλικίας* cogitari; namque Cumaeorr. pol. 4 versus profertur Hesiodi, quo Cumam ejus fuisse patriam efficiatur. Simili ratione memorantur Alcman poëta Lacedd. 2, Terpander Lacedd. 6, Simonides Rheginorr. 5, Xenocritus Locrus poëta caecus cum Erasippo nescio quo Locrorr. 1, Aesopus Samiorr. 5 Magnett. 2, Pherecydes Syrius cum Pythagora Samiorr. 4.

In Plutarchi loco supra proposito Non posse suaviter 12 qui de Homero et de Euripide scripserint Aristoteli et Heraclidi tertius additur D i c a e a r c h u s, Aristotelis ille discipulus Messenae Siciliae urbe natus. Nec desunt scriptorum aliorum loci, qui in utroque poëta praetereaque in Hesiodo, Alcaeo, Sophocle, aliis insignem operam positam esse a Dicaearcho confirmare videantur. Plurimos collegit tractavitque Maximil. Fuhr libri quo Dicaearchi fragmenta complexus est editi Darmstadii 1841 capite sexto, quod est De scriptis quae literas et artes earumque historiam spectaverint. Nonnulla quae post Fuhrii labores innotuerunt addita reperies in Muelleri Dicaearcheorum collectione HGF 2, 225 exhibita, cujus imprimis conferas p. 245 sqq, et apud Osannum An. Rom. p. 5. 280. Tenendum vero est, praeter librum *Περὶ Ἀλκαίου* commemoratum ab Athenaeo 11, 4. 15, 2. 7 et in Scholl. Aristoph. Pac. 1243 opera certa, quibus Dicaearchus de Homero reliquisque illis poëtis quos nominavi egerit a veteribus non indicari, nominarique juxta Messenium a Suida (et Eudocia p. 133) alium quendam Dicaearchum, ad quem nonnulla nudo quae Dicaearchi nomine traduntur referri posse dicas, Lacedaemonium natione, grammaticum, Aristarchi discipulum (*ἀκροατήν*). Sunt autem qui Aristarcheum hunc Dicaearchum, incertum

Aristarchi discipulum quem supra dixi, fuisse in rerum natura negent; quem si e medio sustuleris, Homerica omnia Dicaearchi nomine tradita Aristotelio tribuas necesse erit. Litis versari discrimen certum est non tam in Lacedaemonii memoria apud Suidam obvia (nam quod Suidae saepius evenisse constat, ut unum virum doctum in duas quasi distraheret personas, id ei in Dicaearcho Lacedaemonio secernendo a Messenio facillime evenire potuisse collato Fuhrio p. 60 vel Muellero 2, 225. 246 vix negabis): quam in loco memorabili Apollonii Dyscoli De pronomine p. 60 Bekk. Quo loco compluribus librariorum mendis foedato sive leges *φασὶ δὲ καὶ τὸν Ἀρίσταρχον ἀσμένως τὴν γραφὴν τοῦ Δικαιάρχου ἀναδέξασθαι*, quod exhibet codex, sive *παραδέξασθαι*, quod posuit Bekker, *γραφὴν* autem Dicaearchi sive ad versum praepositum *ν* 52 pertinuisse censebis, quod secure fecerunt nonnulli, e. g. gravissimus Bernhardy in annot. ad Suid. s. v. *Δικ. Λακ.*, sive ad *Γ* 244, quod Bekker in annot. coll. De syntaxi p. 159 (157 Bk.) et schol. Iliad. praetulit quodque vero est similius: erunt tamen quae Aristarchi discipulum intelligi Dicaearchum suadeant, erunt quae antiquum illum Messenium, discipulum Aristotelis. Similis est dubitatio de memorabili Anecdoti Romani loco editi ab Osanno p. 5 *τὴν δὲ ποίησιν ἀναγινώσκεσθαι ἀξιοῖ Ζώπυρος ὁ Μάγνης Αἰολίδι διαλέκτῳ· τὸ δ' αὐτὸ καὶ Δικαίαρχος*. Persuaserant scilicet sibi nonnulli genere Aeolensem fuisse Homerum, non Ionem, indeque explicabant Aeolicae quidquid reperiretur dialecti in carminibus Homericis, quod fecisse e. g. Hellanicum chorizontem arguit schol. *O* 651. Anecdoti locus Fuhrio incognitus longius progressos esse docet Zopyrum Magnetem et Dicaearchum, quisquis ille fuerit Dicaearchus; qui carmina Homeri tota (*τὴν ποίησιν*) ad leges Aeolicae dialecti redigenda mutandaque omnia esse autumaverunt quae Aeolica non essent. Messenius Dicaearchus videtur esse quem de origine saltationis *τῆς διὰ τῆς σφαίρας* *ζ* 100 sqq obviae egisse indicat Athenaeus 1, 25. Versus *B* 684 *Μυρμιδόνες δὲ καλεῦντο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἀχαιοί* in fragmento magno explicatur quod ad opus Dicaearchi Messenii praestantissimum vulgo referunt *Ἑλλάδος βίον* inscriptum; Fuhr. p. 147. 389 Mueller p. 230. 264. Aperte

Messenium auctorem prodit *τῆς παρ' Ὁμήρῳ Πηνελόπης* vituperatio Dicaearcho adscripta schol. *α* 333 in Cram. Ann. Parr. 3 p. 422.

Conjunctissimus Dicaearcho inter Aristotelis auditores videtur fuisse Aristoxenus Tarentinus, doctissimus musicus, aequalis illius et condiscipulus. Vide Suid. s. v. *Ἀριστόξενος* Cicer. Tusc. 1 cp. 18 Epist. ad Attic. 8, 4. 13, 32 Phot. Suid. s. v. *Σκολιόν* schol. Lucian. Jacob. p. 116. Libros Aristoxenus quum de aliis rebus tum de musica scripsit multos. Fragmenta collegit Guilelmus Mahne, cujus Diatribe de Aristoxeno peripatetico inserta est Thesauri critici novi Lips. 1802 editi tomo 1. Supplementa dederunt Mueller HGF vol. 2 p. 268 sqq et Osann Anecd. Rom. p. 301 sqq, deductus hic ad Aristoxenum eo, quod in loco anecdoti quem modo tetigimus verba de Zopyro et Dicaearcho Aristoxeni antecedit mentio. Discimus autem inde, in primo libro operis *Πραξιδαμαντίων* inscripti titulo ducto a Praxidamante musico (Suid. s. v. *Χιάζειν*) Aristoxenum narravisse, nonnullos iis, qui vulgo leguntur initio Iliadis versibus substituisse hos: *Ἔσπετε νῦν μοι, Μοῦσαι, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι, | ὅππως δὴ μῆνίς τε χόλος θ' ἕλε Πηλείωνα, | Λητοῦς τ' ἀγλαὸν υἱόν· ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς κτἑ.* Conferendae sunt explicationes locupletissimae Osanni p. 5. 275 sqq 301 sqq: qui tamen non respexit locum Procli in Platon. Tim. p. 192 Adrastum de Dicaearcho dicere asserentis *ὅτι οὐ πάνυ τὸ ἦθος ἀνὴρ ἐκεῖνος μουσικός, ἀλλ' ὅπως ἂν δόξῃ τι καινὸν λέγειν πεφροντικώς.* Quod judicium quam egregie confirmetur anecdoti loco, quo prooemium Iliadis a vulgari prorsus recedens detexisse et primus in medium protulisse arguitur Aristoxenus non est quod multis exponamus. Poterat Osann Procli locum apud Muellerum legere ab eo non commemoratum HGF 2, 270.

In Praxidamantiis de Musaeo quoque poëta, quem Homeri atavum dicebant, Aristoxenum disputasse testatur Harpocratio s. v. *Μουσαῖος*. Omnino vero multorum poëtarum per libros suos mentionem fecisse illum et per se consentaneum est et fragmentorum docet farrago. Iis, qui etymologiam tractarint Homericam, Aristoxenum adnumerat Tzetzes schol. Exeg. Iliad. p. 126, quod recte Tzetzam fecisse loci

nonnulli confirmant. Vide Ammon. Diff. vocc. s. vv. *Αἰδώς καὶ αἰσχύνη* et *Ῥύεσθαι καὶ ἐρύεσθαι*, et Muellerum frgm. 40. 78 Osann. p. 306. 307. In loco Eustathii *N* 359 afferendo fallitur Mueller.

Venio nunc ad peripateticos duos, quos Tatianus de poësi, genere, aetate Homeri quaesivisse scribit, Megaclidem et Chamaeleontem. Eorum alter, Chamaeleo Heracleae natus fuit Ponti urbe ideoque cognominatus ὁ *Ποντικός*, prout Heraclides Ponticus, civis ejus atque aequalis, quem teste Diogene Laertio 5, 92 *τὰ παρ᾽ ἑαυτῷ κλέψαντα* insimulavit *τὰ Περὶ Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου γράψαι*. Quod quam vere dictum fuerit hodie dijudicari quidem nequit; quamquam hoc sane videmus, de Artemone periphoreto Plutarchum Pericl. 27 ex Heraclide Pontico idem proferre quod ex Chamaeleonte Athenaeum 12, 46. Docemur autem insimulatione illa, Chamaeleontem non de solius Homeri vita scripsisse, sed etiam de Hesiodi. Accedunt aliorum scriptorum loci plurimum operae in historia poëtarum elucubranda Chamaeleontem consumpsisse efficientes. Nam qui diserte nominantur ejus libri, in iis multi sunt de poëtis, pauci philosophici; atque ex his paucis unum, librum *Περὶ ἡδονῆς*, Theophrasto vindicaverunt alii; fragmenta vero incertae sedis fere omnia de poëtis sunt rebusve musicis. Ad partes vocatur Chaemaeleo libro non nominato praeter locos quosdam scriptis ejus Homericis vindicandos Athen. 1, 39 de Aeschylo et Sophocle, 9, 43 de musicae inventione, 10, 35 de Alcaeo, 13, 75 de Alcmane deque Archyta Harmonico, 14, 18 de Clinia Pythagoreo musices amantissimo, 14, 25 de Aristophane et Platone comicis deque saltatione, Diog. L. 3, 46 de Hyperide et Lycurgo Platonis discipulis, Bekk. Ann. 1, 233 de Thalete Milesio, Eustath. Prooem. Commentarr. Pindaricc. cap. 27 de Pindaro. Chamaeleon aut Theophrastus laudatur *ἐν τῷ Περὶ ἡδονῆς* Athen. 6, 105 de Smindyrida Sybarita, 8, 39 de Aeschylo, Chamaeleon *ἐν τῷ Περὶ μέθης* Athen. 10, 29 de Cleomene Laced. rege Scytharum more bibente, 11, 4 de vetustissimorum Graecorum more bibendi, Clem. Al. Stromm. 1, 170 de Zaleuco Locro, *ἐν τῷ Περὶ θεῶν* Clem. Al. Stromm. 1, 60 de Thalete Milesio, *ἐν τῷ Προτρεπτικῷ* Athen. 4, 84 de tibicinio, *ἐν τῷ Περὶ*

Αἰσχύλου Athen. 9, 17. 10, 33, *ἐν τῷ Περὶ Ἀνακρέοντος* Athen. 12, 46, *ἐν τῷ Περὶ Θέσπιδος* Phot. Suid. s. v. *Οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον* Apostol. 13, 42, *ἐν τῷ Περὶ Λάσου* Athen. 8, 20, *ἐν τῷ Περὶ Πινδάρου* Athen. 13, 32, *ἐν τῷ Περὶ Σαπφοῦς* Athen. 13, 72, *ἐν τῷ Περὶ Σιμωνίδου* Athen. 10, 84. 13, 92. 14, 73, *ἐν τῷ Περὶ Στησιχόρου* Athen. 14, 12, *ἐν ἕκτῳ Περὶ κωμῳδίας* Athen. 9, 16, *ἐν ἕκτῳ Περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας* Athen. 9, 72, *ἐν τῷ Περὶ σατύρων* Suid. s. vv. *Ἀπώλεσας*, *Ἀρίστιος* Apostol. 3, 60 Arsen. p. 71 Walz.

In scholiis Iliacis Chamaeleontem nominatum repperi *M* 231 *T* 62 *Ψ* 94. 454. Prioribus tribus locis Chamaeleontis afferuntur scripturae; *Ψ* 94 dipla eum ab Aristarcho notatum tradidit Aristonicus; *M* 231 periestigmene est, quam cum Zenodoto Chamaeleontem tangere Didymus docet. Omnes vero hi loci referendi sunt ad opus *Περὶ Ἰλιάδος*, cujus titulus occurrit in Scholl. Apollon. Rhod. 2, 904, ubi Parisiensia Chamaeleontem laudant *ἐν τῷ Περὶ Ἰλιάδος*, vulgata eundem *ἐν πέμπτῳ Περὶ Ἰλιάδος*. Pertinent quae proferuntur e Chamaeleonte ad explicationem loci *Z* 133. In iisdem ad Apollonium Scholiis 1, 139 quoque Chamaeleontis facta est mentio referenda illa ad explicationem versus *Α* 69. Etiam *Περὶ Ὀδυσσείας* Chamaeleontis fuisse opus comparatis intelligitur schol. *ε* 334 et Eustathio *ε* 334 p. 1543, 52, a quibus Chamaeleo cum Aristotele in Odysseae loco nominato pro *βροτὸς αὐδήεσσα* legisse traditur *οὐδήεσσα*. Ex Iliadis locis supra indicatis duo sunt, quibus scholia secutus Eustathius Chamaeleontem memorat, *Ψ* 94 p. 1290, 28 *Ψ* 455 p. 1310, 30.

In reliquarum scriptionum Chamaeleontis fragmentis duo exstant, quibus Homerus respicitur, alterum ex libro *Περὶ μέθης* Athen. 11, 4, ubi propter neglectos vel non recte intellectos locos *Λ* 632 sqq *ι* 345 sqq Athenaeus illum vituperat, alterum Athen. 14, 12 *Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ Περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου, ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου*. Quod testimonium supra illis propositis accedit, quae Terpandrum Homero *μέλη περιθεῖναι* docent.

Cum Chamaeleonte ut aequalem ejus Tatianus recenset M e g a c l i d e m peripateticum. Ejus studia Homerica etiam

scholia *K* 274 *Π* 140 *X* 36. 205 *ζ* 106 testantur, et Athenaeus 12, 6. 7, et Suidas s. v. *Ἀθηναίας*, et Hesychius s. v. *Ἀθηνᾶ*, cujus interpretes Phavorinum quoque excitant, quem inspicere non licuit; porro Eustathius *A* 197 p. 84, 18, ubi quod editur *Μετακλείδης* corrigendum esse e Suida, Hesychio, Phavorino Suidae atque Hesychii annotaverunt interpretes; cfr. Bernhardyum ad Suid. s. v. *Μετακαλοῦντες*, Westermannum ad Voss. Histt. Graecc. p. 465 not. 6, Heinrichium in praef. ad Hesiodi scutum p. 62, Muellerum HGF 4, 443. Maxime insignia Megaclidis fragmenta sunt ea quae Athenaeus, scholl. *X*, schol. *ζ* servaverunt. Eorum locorum ultimo versum *ζ* 106 *ἀγρονόμοι* (int. *νύμφαι*) *παίζουσι· γέγηθε δέ τε φρένα Λητώ* Megaclidem docemur sic legisse transformatum: *ἀγρόμεναι παίζουσιν ἀνὰ δρία παιπαλόεντα.* Quae scholl. *X* 36. 205 e Megaclide proferuntur, repetenda sunt e magistri doctrina Aristotelis; vide Poët. 14, 21 sqq 15, 8 Buhl. ed. min. Athenaeus 12, 6 de Hercule qualem Homerus depingat cum Hesiodo Xanthoque *τῷ μελοποιῷ*, qualem depingant Stesichorus reliquique recentiores poëtae Megaclidem introducit disputantem; cap. 7 eundem de loco Odysseae *ι* 2 sqq. Ex uno eodemque opere Homerica quaecunque exstant Megaclidis fragmenta videntur derivata esse, cujus titulus qui fuerit Suidas docet s. v. *Ἀθηναίας*, ubi *Μεγακλείδης ἐν τοῖς Περὶ Ὁμήρου* laudatur. Corrigenda inde verba schol. A *Π* 140 *Μεγακλείδης ἐν δευτέρῳ Ὁμήρου* legendumque *ἐν δευτέρῳ Περὶ Ὁμήρου*, quo loco simul apparet, uno libro opus non fuisse absolutum.

Peripateticorum agmen claudito Demetrius Phalereus, non ipsius Aristotelis auditor, sed Theophrasti Eresii, qui Aristotelis fuit successor. Demetrio, qui ab anno 317 usque ad annum 307 a. Chr. Athenis fuit praefectus a Cassandro, Macedoniae rege, Cicero De legg. 2 cp. 26. 3 cp. 6 Rabir. Post. cp. 9 De republ. 2 cp. 1 Brut. cp. 9 suo jure vertit laudi quod et doctrinae studiis et regenda civitate fuerit princeps. Grammaticorum probatissimum Tertullianus Apologet. 18 Demetrium Phalereum dicere non dubitavit; plurimos eundem conscripsisse libros Diogenes Laertius 5, 80 et Suidas s. v. *Δημήτρ.* testantur; quorum maximam partem in Aegypto patria pulsus ad Ptolemaeum Lagi quum se contulisset scripsisse

Demetrium Cicero prodit De Finibb. 5 cp. 19. Et Homero quidem docte tractando plurimum sane illum praestitisse certum est eo, quod Alexandrini Musei, ut supra monui, condendaeque bibliothecae regi exstitit suasor et auctor; nec defuerunt tamen ipsius lucubrationes poëtae. Librorum Demetrii in catalogo a Diogene L. 5, 81 tria exhibentur opera Homerica: *Περὶ Ἰλιάδος α' β'*, *Περὶ Ὀδυσσείας α' β' γ' δ'*, *Ὁμηρικός α'*. Fragmenta exstare videntur paucissima, inter quae memorabilis locus est apud Athen. 5, 4 et Eustath. *B* 409 p. 247, 14, quo versum *B* 409 ut *ἀλλότριον τῆς ποιήσεως* ille rejicit; memorabilis etiam apposita ad vs. *γ* 267 in Scholl. Buttm. Preller. Eustath. p. 1466, 55 narratio de vetustis poëtis Demodoco Lacone, Automede Mycenaeo, Perimede Argivo, Licymnio Buprasiensi, Sipia Doriensi, Pharida Lacone, Probolo Spartiata, quos temporibus belli Troici vixisse autumat; reliquorum magistrum fuisse Perimedem Argivum; Demodocum praeterea etiam Automede usum esse magistro; lyram eo tempore maxime fuisse usitatam; poëtas summo fuisse in honore; Automedem primum cecinisse bellum Amphitryonis adversus Teleboas et rixam Cithaeronis et Heliconis; Demodocum vicisse Pythia quum Menelaus et Ulixes Delphicum oraculum adirent Troici belli exitum quaesituri; Demodocum ab Agamemnone Mycenas esse arcessitum uxorique datum custodem; Demodocum igitur esse poëtam illum, quem Homerus memorat *γ* 267. Quam narrationem referunt nonnulli ad opus *Περὶ ποιητῶν*, quod Demetrium scripsisse ex Diogene L. 5, 80 et Suida s. v. *Δημ. Φαλ.* evincere student. Non liquet tamen revera opus *Περὶ ποιητῶν* fuisse Demetrii. Nam Diogenes et Suidas hoc solum testari videntur, circa poëtas occupata fuisse Demetrii studia; atque revera ut scripserit ille Aristotelis nimirum ad exemplum opus *Περὶ ποιητῶν*, fragmentum illud ad *γ* 267 servatum nihilo secius e libris *Περὶ Ὀδυσσείας* repetendum. Alia quaestio est de Tzetz. Proll. Lycophr. p. 259, ubi inter *ἀσματογράφους* s. *ἀοιδούς*, h. e. poëtas ad citharam vel aliud ejusmodi instrumentum musicum canentes carmina Demetrius Phalereus rettulisse narratur Automeden et Demodocum et Chaerin Corcyraeos, Ithacesium Phemium, alios. Hujus fragmenti sedes diversa fuisse censenda est ab iis, quae ad *γ* 267 pro-

feruntur. Accedit autem utrumque fragmentum ad similitudinem eorum, quae Heraclidem Ponticum de poëtis nonnullis narrasse vidimus Homero antiquioribus; quae ficta fuisse non est quod dubitemus. Quamquam exstitisse ante Homerum multos poëtas et res ipsa clamat et gravissimi auctores statuerunt, e. g. Herodotus 2, 23 et Aristoteles Poët. 2, 8 Buhl. min. Atque traduntur nomina plurima, Orphei, Lini, Musaei, Philammonis, aliorum; quos fictos esse omnes vix crediderис.

Mitto frustulum Homericum ad Demetrium Phalereum relatum ap. Stobaeum Floril. 5, 59 (de versu ψ 296) et si quae alia sunt ejusmodi. Notabile vero est quod Demetrius primus instituisse novum recitationis carminum Homericorum genus narratur apud Athen. 14, 12 *οὐκ ἀπελίποντο δὲ ἡμῶν τῶν συμποσίων οὐδὲ ῥαψῳδοί. ἔχαιρε γὰρ τοῖς Ὁμήρου ὁ Λαρήνσιος ὡς ἄλλος οὐδὲ εἷς, ὡς λῆρον ἀποφαίνειν Κάσανδρον τὸν Μακεδονίας βασιλεύσαντα, περὶ οὗ φησι Καρύστιος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν, ὅτι οὕτως ἦν φιλόμηρος, ὡς διὰ στόματος ἔχειν τῶν ἐπῶν τὰ πολλά· καὶ Ἰλιὰς ἦν αὐτῷ καὶ Ὀδύσσεια ἰδίως γεγραμμέναι. ὅτι δ' ἐκαλοῦντο οἱ ῥαψῳδοὶ καὶ Ὁμηρισταί, Ἀριστοκλῆς εἴρηκεν ἐν τῷ Περὶ χορῶν. τοὺς δὲ νῦν Ὁμηριστὰς ὀνομαζομένους πρῶτος εἰς τὰ θέατρα παρήγαγε Δημήτριος ὁ Φαληρεύς. Χαμαιλέων δ' ἐν τῷ Περὶ Στησιχόρου καὶ μελῳδηθῆναί φησιν οὐ μόνον τὰ Ὁμήρου, ἀλλὰ καὶ τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου ἔτι δὲ Μιμνέρμου καὶ Φωκυλίδου.* Eustath. Ω 486 p. 1360, 32 *εἰκότως οὖν ὁ ποιητὴς ἐφιλεῖτο τοῖς γε τὸ καλὸν εἰδόσιν. ἱστοροῦνται γοῦν φιλόμηροι μάλιστα μὲν ὁ μέγας Ἀλέξανδρος, ἤδη δὲ καὶ Κάσανδρος, ὁ καὶ αὐτὸς Μακεδόνων βασιλεύς, οὕτω φιλῶν Ὅμηρον, ὡς διὰ στόματός, φασιν, ἔχειν τῶν ἐπῶν αὐτοῦ τὰ πολλά. ἦν δὲ τοιοῦτος καὶ ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος, ὃς πρῶτος εἰς θέατρον παρήγαγέ, φασι, ῥαψῳδοὺς τοὺς καὶ Ὁμηριστὰς καλουμένους, οἳ ἐμελῴδουν τὰ τοῦ Ὁμήρου, καθάπερ ἄλλοι τὰ Ἡσιόδου καὶ Ἀρχιλόχου καὶ ἑτέρων.* Referenda est res procul dubio ad ea tempora, quibus Athenas Demetrius gubernabat. C a s s a n d r i exemplum Iliadis atque Odysseae *ἰδίως γεγραμμένον*, utut illud *ἰδίως* explicueris, componendum videtur cum Alexandri magni Iliadis exemplo *τῇ Ἐκ τοῦ νάρθηκος*.

Ab Aristotelis discipulis converto me ad historicos quarti

a. Chr. n. saeculi. Eorum in numerum referuntur sine dubitatione quattuor scriptores ex iis, qui in vitis et apud patres nominantur, Ephorus, Theopompus, Anaximenes, Philochorus; probabili coniectura ad medium fere saeculum quartum refertur Euthymenes; addo incertos scriptores Archemachum, Timomachum, Pyrandrum, Calliclem, Democritum Troezenium, de quorum aetate certi quidem nihil edicere licet nisi hoc, superiores eos quarto a. Chr. saeculo non fuisse; quos tamen, hariolari si licet, aut omnes aut plerosque ad finem fere quarti a. Chr. saeculi rettulerim.

D e m o c r i t i T r o e z e n i i ne nomen quidem certum est. Nam in vitae octavae (Certaminis) editionibus iis quidem, quas ad manum habeo, Hesiod. ed. Heinsii 1603 p. 320, Goettlingiana priori Hesiodi p. 242 posteriori p. 314, Westerm. *Βιογρ.* p. 34, nulla lectionis varietate indicata exstat scriptum *Δημόκριτος δὲ Τροιζήνιος Δαήμονα ἔμπορον* (int. *τὸν Ὁμήρου πατέρα λέγει*); sed Menagius ad Diog. L. 8, 74 et Jonsius Scriptt. hist. phil. 1, 4, 2 (p. 28 Dorn.) teste Agone Hesiodi et Homeri a Demetrio Troezenio Homeri patrem Daemonem dici ajunt de varia lectione nihil addentes. Veram autem lectionem esse in Certamine *Δημήτριος* adeo illi persuasum habuerunt, ut ipso hoc Certaminis loco nisi et Athenaeo 4, 17 p. 139 ubi *Δημήτριος ὁ Τροιζήνιος* testis ad partes vocatur de Didymo grammatico, apud Diogenem Laertium l. c. 8, 74 legendum censerent *Δημήτριος δὲ ὁ Τροιζήνιος ἐν τῷ Κατὰ σοφιστῶν βιβλίῳ*. Varia enim ibi est lectio, *Δημήτριος δὲ ὁ Τροιζήνιος*, *Δημόκριτος δὲ ὁ Τροιζήνιος*. Demetrium Troezenium Athenaeus etiam 1 p. 29 cap. 52 commemorat. Ab hoc Athenaei Demetrio Troezenio Demetrium illum Troezenium apud Diogenem Laertium 8, 74 obvium diversum esse judicat Mueller HGF 4, 383. Equidem crediderim facile, non solum in vita 8 legendum esse *Δημόκριτος δὲ Τροιζήνιος*, sed etiam apud Diogenem L. 8, 74 praeferendam scripturam *Δημόκριτος δὲ ὁ Τροιζήνιος*, intelligendumque utroque loco eundem hominem. Certe Demetrium suum Troezenium Athenaeus de Homero testantem non fecit; ille vero sive Demetrius sive Democritus quem Laertius 8, 74 introducit, Homericus videtur fuisse. Verba Diogenis sunt haec: *Δημήτριος* (*Δημόκριτος*)

δὲ ὁ Τροιζήνιος ἐν τῷ Κατὰ σοφιστῶν βιβλίῳ φησὶν αὐτὸν (int. Empedoclem) καθ' Ὅμηρον „ἁψάμενον βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο κρανείης | αὐχέν' ἀποκρεμάσαι, ψυχὴν δ' Ἄϊδόσδε κατελθεῖν.“

Juxta Democritum Troezenium in vita 8 Callicles nominatur, qui patrem Homeri dixerit Dmasagoram. Idem procul dubio Callicles est, qui in vita 6 Homerum Salaminium natione dixisse narratur. Sed quis hic Callicles fuerit incertissimum videtur esse.

In vita sexta medium inter Heraclidem et Hypsicratem nomen exstat Pyrandri. Is ibi et Hypsicrates Homerum dixisse narrantur Hesiodi aequalem. Esse probabile duco eundem Pyrandrum atque illum, cujus ex quarto *Πελοποννησιακῶν* libro in Plutarchi Parall. minorr. 37 relatum legimus, Ilio capto Agamemnonem cum Casandra necatum esse, Orestem vero apud Strophium educatum poenas repetivisse patris a percussoribus. Idem Pyrander juxta Theopompum historicum redit apud Tzetz. Lycophr. 1439, ubi Olympiadis genus, matris Alexandri magni a Pyrrho Achillis et ab Heleno Priami filio deduxisse fertur. Pyrrhander *ἐν τῷ Περὶ αὐλητῶν* excitatur ab Athenaeo 14 p. 634 D cp. 35, quem non diversum esse statuit Mueller HGF 4, 486.

Timomachum una cum Aristotele commemorat vitae 6 auctor, utrique dicens Homerum genere visum esse Jetam. Est haud dubie idem Timomachus, de quo Athenaeus 14, 638 *Τιμόμαχος δ' ἐν τοῖς Κυπριακοῖς Στήσανδρον λέγει τὸν Σάμιον ἐπὶ πλεῖον αὐξῆσαι τὴν τέχνην, καὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς κιθαρῳδῆσαι τὰς καθ' Ὅμηρον μάχας, ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς Ὀδυσσείας.*

Ab Euthymene et Archemacho Clemens refert Stromm. 1, 117 aequalem Hesiodi dictum esse Homerum natumque in Chio insula Athenis Acasto regnante circa ducentesimum annum p. Tr. c.; sic Archemachum *ἐν Εὐβοϊκῶν τρίτῳ*, Euthymenem narrasse *ἐν τοῖς Χρονικοῖς*. Hunc Euthymenem Mueller HGF 4, 408 diversum censet esse ab Euthymene Massiliensi, quem iter in Atlantico Oceano fecisse deque eo librum scripsisse constat ex Menippi Peripl. ed. Hoffm. p. 157 Senec. Quaestt. natt. 4, 2, 21 Lyd. De mensibb. 4, 68 p.

262 Lips. Athenaeo 2, 87 Plutarcho De placitt. philoss. 4, 1 Aristid. orat. 48 p. 353. 356. Sententiae suae nec Mueller rationes substruxit neque ego vidi quae substrui possint. Itaque, quum nullum equidem noverim veteris auctoris locum, unde colligere liceat, fuisse praeter Massiliensem Euthymenem alium ejusdem nominis scriptorem, quum hoc aliunde satis constet, floruisse Massiliae studia Homerica, quum id ipsum quod affirmasse narratur Massiliensis Euthymenes, profluere Nilum ex Oceano, Homericum sit atque haustum ex versibus Φ 194 sqq, de quibus infra ubi ad Herodotum deduxero narrationem meam pluribus agam: Clementis Euthymenem accurate illum referentem de Homero in Chronicis suis eundem esse persuasum habeo atque Massiliensem geographum. Hunc Ukert Geogr. 1, 1 p. 113 aequalem fuisse dicit Pytheae Massiliensis, celeberrimi geographi, qui Alexandri magni fere temporibus vixit; qua in re testimonium Aristidis eodem loco a se de aliis laudati non adhibuit, orat. 48 p. 353 Ephorum Euthymenis Massiliensis fecisse mentionem dicentis. Contra quos testes de Euthymenis aetate producit Ukert, Aristotel. Meteorol. 1, 13 Athen. 2, 90, eorum apud alterum tempus indicatum non repperi, apud alterum, Aristotelem, ne nomen quidem legi nominatum Euthymenis. Sed Aristotelem Meteorol. 1, 13 et ante Ukertum nonnulli et post eum testem esse scripserunt de Euthymene; quos omnes non ipsum locum legisse sed, quem morem doctissimi scito cujusque esse, libro Aristotelis non collato loci notam ex aliorum scriptis indubitanter transscripsisse patet. Ukert autem in eo quoque erravit, quod 2, 1, 47 apud schol. Apollon. Rhod. 4, 269, ubi sententia Democriti τοῦ φυσικοῦ fuisse illa narratur, profluere Nilum ex Oceano, pro Δημόκριτος legendum censuit Εὐθυμένης. Qua emendatione elegantissima atque facillima non opus est; nam Democritum quoque ἄκρως Ὁμηρικὸν fuisse cognitum. Fuhrii et Letronnii scriptiones a Muellero l. c. laudatas non vidi; non laudavit Mueller librum Poloni Lelewel de Pythea scriptum, cujus p. 18 ed. Hoffmann. quod legitur eodem anno 340 a. Chr. Euthymenem et Pytheam Massilienses itinera sua esse ingressos unde Lelewel resciverit nescio. Welckeri opinionem, prolatam Ep. Cycl. 1, 177, Euthymenem Clementis eundem esse atque Hy-

permenem illum, quem *ἐν τῷ Περὶ Χίου* de Homero ejusque famulo Scindapso quaedam narrasse dicit Ptolemaeus Hephaestio ap. Phot. Bibl. cod. 190 ed. Bekk. p. 152 B 20, in Jahnii Annall. 67, 4 p. 384 perstrinxi. Spernendum duxit Welcker Euthymenis de Homero testimonium propterea quod Hypermenes, quem eundem esse censuit atque Euthymenem, levis fuerit auctor. Quod ut in medio relinquam, Hypermenes utrum levis fuerit necne, poterat Welcker, qui Euthymenem Clementis eundem esse censuit atque Massiliensem, ad veteres nonnullos scriptores provocare, qui Massiliensem Euthymenem levem sese praebuisse in itinere suo describendo insimulant. Sed Welcker de Massiliensi Euthymene unum proferre maluit locum Menippi (Artemidori), qui honorifice Euthymenem commemorat. Aliorum judicia, qui levitatem arguere sibi videntur Euthymenis, hoc loco dijudicare longum; quod si faceremus, prorsus diversa fortasse ratione de itinere Euthymenis atque fide ejus judicandum esse appareret. Ut tamen in itinere describendo fabulas nonnullas immiscuerit auctor, inde non sequitur, Chronica sua eadem eum scripsisse levitate, testimoniumque ejus insigne de Homero esse spernendum. Quod testimonium firmatur ab Archemacho, qui in eandem in quam Euthymenes abiit sententiam. Welcker autem, quod notavi loco indicato, consensum Archemachi et Euthymenis tacuit, Euthymenis solius sententiam eam esse diserte affirmans.

A r c h e m a c h u s Clementis est ille, qui Euboensis natione fuisse dicitur a Plutarcho De Iside et Osiride cap. 27 et Strabone 10 p. 465; praeter Euboica a Clemente et aliis commemorata Metonymias eum scripsisse constat ex Apoll. Rhod. schol. 4, 262. Probata haec sunt Muellero HGF 4 p. 314 sqq; qui eodem jure, quo Euthymenes duos diversos esse statuit, Metonymiarum scriptorem alium, alium Euboicorum, alium Euboensem Archemachum dicere poterat. Scholium ad *B* 542, quod Mueller p. 316 ex solis Crameri Ann. Parr. 3, 376 (leg. 372, 28) profert, legitur etiam in Bekkerianis et Bachmannianis.

P h i l o c h o r u s A t h e n i e n s i s, *μάντεως καὶ ἱεροσκόπου* munere quem functum tradunt iis temporibus, quibus Demetrius Phalereus Athenis fuit expulsus, ex octo illis est historicis, quos communi nomine Atthidum vocant scriptores, prop-

terea quod scriptionibus peculiaribus Atticas res adhibita arte critica fusius enarraverunt. Dissertationem de iis fragmentorumque collectionem post Lenzium, Siebelisium, Boeckhium exhibuit Th. Mueller HGF 1, LXXXI sqq 359 sqq. Praeter opus primarium, Atthidem, Atthidum scriptores plerosque cognitum est alios confecisse libros; plurimi nominantur Philochori, qui doctissimus omnium videtur fuisse: *Ἐπιγράμματα Ἀττικά*, scriptio *Περὶ μυστηρίων τῶν Ἀθήνησι*, *Περὶ τῶν Ἀθήνησιν ἀγώνων βιβλία ιζ΄*, *Περὶ ἑορτῶν*, *Περὶ θυσιῶν α΄*, *Περὶ μαντικῆς δ΄*, *Περὶ καθαρμῶν*, *Περὶ Ἀλκμᾶνος*, *Περὶ τῶν Σοφοκλέους μύθων βιβλία ε΄*, *Περὶ Εὐριπίδου*, alia. De Homeri igitur patria atque aetate quo in opere egerit Philochorus incertum videri potest; neque enim titulus ab ullo veterum proditur. Refert tamen haud cunctanter rem Mueller (qui frgmt. 52 sqq p. 392 sq singula veterum testimonia parum accurate tractavit) ad Atthidem ipsam et ad secundum quidem ejus librum. In eo enim libro historia Atticae a Cecrope usque ad Creontem archontem Ol. 24, 3 deducta videtur fuisse (Muell. p. 385), Homeri autem *ἀκμὴν* a Philochoro constat ad quadragesimum post Ionicam migrationem, centesimum octogesimum p. Tr. c. annum esse relatam, quo tempore archon Atheniensium fuerit Archippus. Sic Philochori sententiam dilucide expressit Tatianus, cui notationem anni quadragesimi post Ionicam migrationem, omissam in libris, restituendam esse ex Eusebii Praeparatione vidimus supra. Pro *Ἀρχίππου* Euseb. Praep. mendose *Ἀρξίππου*. De Chronicis Eusebii, Hieronymo, Syncello supra egi. Quae Clemens Stromm. 1, 117 narrat, ea cum Tatiano quadrant, praeterquam quod a Troicis hic ad Homeri *ἀκμὴν* 180 annos elapsos esse perhibet, Clemens ad Homeri *γένεσιν*. Patria Homerus Philochoro non quod exspectares Atheniensis fuisse visus est sed Argivus, teste auctore vitae sextae. Cujus sententiae caussae latent. Hesiodum Gellius 3, 11 scribit a Philochoro minorem natu quam Homerum esse habitum; quacum narratione congruunt quae Proclus ad Hesiodi Opp. 263 annotavit, secundum Philochorum Hesiodi filium fuisse Stesichorum. Carminum Homericorum locos in scriptis suis raro Philochorus videtur respexisse. Versus *Π* 234 sqq eum tractasse crediderim eo loco, quem Strabo 7,

328 adhibuit. Scholiastae Homeri Philochorum excitant ad explicandos locos *υ* 155 *Α* 594 *Ζ* 136 *Σ* 570 (vid. praeter Bekk. etiam Cramer. Ann. Pariss. 3, 289 et quem Mueller fr. 188 omisit Eustath. p. 1163, 58). De vocabulo *θυηλαί*, quod semel legitur apud Homerum *Ι* 220, disseruisse Philochorum constat ex Etym. m. s. v. *Θυηλαί* et Cram. Ann. Oxonn. 2, 448. Tenendum vero est, his locis omnibus et aliis similibus qui Homerum attingunt, Philochori verbis nominari Homerum nequaquam. Ad aliorum interdum poëtarum vetustorum testimonia nominatim provocantem deprehendimus illum; Archilochi proferentem videmus locos duos, Hesiodi tres, Orphei unum, Musaei unum. Hesiodi adhibitis versibus quibusdam explicationem eum vocabuli *ῥαψῳδός* tentasse Scholia Pindari Nem. 2, 1 produnt.

De Anaximene Lampsaceno fere omnia occupata sunt in volumine 1846 apud Didotum edito, quo Fr. Duebner Arrhiani Anabasin et Indica, reliqua Arrhiani et ceterorum de rebus Alexandri magni scriptorum fragmenta publicavit C. Mueller (p. 33 section. 2). Aetate paullo superior Philochoro et Demetrio Phalereo, Aristotele paullo inferior Anaximenes videtur fuisse. Philippi Macedonum regis familiarem eum fuisse narrant, familiarem, comitem, praeceptorem Alexandri magni, cujus res gestas peculiari perscripsit opere *Τοῖς περὶ Ἀλέξανδρον*. Quocum opere duo alia, *τὰ Φιλιππικά* s. *Τὰ περὶ Φίλιππον* quibus de Philippo, Alexandri magni patre egit, et *τὰ Ἑλληνικά*, quibus antiquiorem et Graecorum et Barbarorum historiam est complexus ab initiis ad Epaminondae mortem, arctissime conjunxit ita ut Hellenicorum libri (fuerunt numero 12) *αἱ πρῶται* quoque nominarentur *ἱστορίαι*, Philippica (libri 8) *αἱ δεύτεραι*, *Τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* (quorum laudatur liber secundus) *αἱ τρίται*. Praeterea nonnullos alios Anaximenes confecit libros, ex quibus hoc loco unus commemorandus est quo Homerum tractavit. Dionys. Hal. De Isaeo 19 *Ἀναξιμένην δὲ τὸν Λαμψακηνόν* (intell. *παρέλιπον ἑκών*), *ἐν ἁπάσαις μὲν ταῖς ἰδέαις τῶν λόγων τετράγωνόν τινα εἶναι βουλόμενον· καὶ γὰρ ἱστορίας γέγραφε, καὶ περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεις καταλέλοιπε, καὶ τέχνας ἐξενήνοχεν, ἧπται δὲ καὶ συμβουλευτικῶν καὶ δικανικῶν ἀγώνων κτἑ.* Ex his *Περὶ τοῦ ποιητοῦ συντάξεσιν* hau-

sta esse patet quae in vita σ ex Anaximene proferuntur, Homerum patria fuisse Chium. Praeterea unum tantum quod sciam Anaximenis exstat fragmentum Homericum e *Πρώταις ἱστορίαις* desumptum ab Athenaeo 6, 19; quo de Eriphylae agitur *ὅρμῳ* λ 326 commemorato. Sed quod ad sententiam illam Anaximenis, Homerum fuisse Chium, non omitti debet quod inimicitia intercessisse traditur Anaximeni cum duobus scriptoribus natione Chiis, Theocrito (Athen. 1, 38 cfr. Stob. Floril. 36, 20) et Theopompo (Pausan. 6, 18, 3 cfr. Dionys. Hal. A. R. 1 prooem. ubi cum Muellero p. 34 B not. 2 pro *Ἀναξίλαος* scribendum videtur *Ἀναξιμένης*). Cujus rei ratione habita conjecturam, quam Mueller p. 33 A not. commemorat, Anaximenem per aliquod tempus in ipsa Chio insula vitam degisse, a vero non multum abesse dixeris. Itaque Nitzschius Histor. Homer. 2 p. 88 recte statuisse videri potest, Anaximenem illum, qui Chius vocatur a Luciano Herodot. 3 nostrum esse Lampsacenum; nisi forte praeferenda Muelleri ratio, qui apud Lucianum pro *Ἀναξιμένης ὁ Χῖος* l. l. censet legendum *Ξενομήδης ὁ Χῖος*.

Ephorus Cumaeus, cujus vitam et fragmenta post Marxium C. Mueller HGF illustravit 1, LVII sqq 234 sqq, aetate aut paucis annis superior fuit Philippo Macedonum rege aut ejus aequalis. Condidit Ephorus, qui inter clarissimos numeratur historicos, opus maximum, historiarum complectens libros triginta, quibus res Graecorum et Barbarorum inde a reditu Heraclidarum usque ad annum 341 a. Chr. n. narratae fuerunt. In eo opere Ephorum argumenta ab Homero tractata saepissime attigisse Homerumque introduxisse testem fragmenta docent apud Muellerum 9 A. 21. 23. 27. 28. 38. 43. 45. 54. 57. 62. 63. 64. 68. 70. 74. 76. 80. 87. 104. 155. Adde locum Eustathii ζ 185 p. 1556, 59, omissum in fragmentis a Muellero, commemoratum p. LXI not. 2 et Addendd. vol. 4 p. 642 B, quo utroque loco versus ζ 149 indicatur falso. Nonnullis locis a Strabone, qui plurima servavit ejus fragmenta, Ephorus reprehenditur quod non assecutus sit Homeri sententiam, quod detorserit ejus testimonium, quod rationem ejus habuerit nullam. Vide fragmt. 28 (Strab. 10, 462), 76 (Str. 7, 303), 87 (12, 550 cfr. Steph. Byz. *Ἁλιζῶνες*. *Ἀλόπη* Eustath.

B 856 p. 363, 24. 39). Suam ut firmaret sententiam Homerici loci scripturam improbe mutasse arguit eum Strabo loco eo quem posui ultimum, 12, 550. Versus enim *B* 856 sq *αὐτὰρ Ἁλιζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον* | *τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη* Ephorus mutato vocabulo *Ἀλιζώνων* in *Ἀμαζώνων* de Amazonibus esse accipiendos contenderat, quae inter Mysos, Cares, Lydos mediae sedes collocassent non procul a Cyme, sua ipsius patria, quam celebrare ubique nisus est; vide e. g. Steph. Byz. *Βοιωτία* Strab. 13, 623. Jam hoc statui posse concedit Strabo, habitasse Amazones in illa olim regione. Quo concesso *ἡ δὲ Ἀλύβη*, pergit, *ἢ ὥς τινες Ἀλόπη ἢ Ἀλόβη πῶς ἂν ἐν τοῖς τόποις τούτοις ἐξητάζετο; πῶς δὲ τηλόθεν; πῶς δ' ἡ τοῦ ἀργύρου γενέθλη; ταῦτα μὲν ἀπολύεται τῇ μεταγραφῇ· γράφει γὰρ οὕτως· „αὐτὰρ Ἀμαζώνων Ὀδίος καὶ Ἐπίστροφος ἦρχον,* | *ἐλθόντ' ἐξ Ἀλόπης, ὅθ' Ἀμαζονίδων γένος ἐστίν." ταῦτα δ' ἀπολυσάμενος εἰς ἄλλο ἐμπέπτωκε πλάσμα· οὐδαμοῦ γὰρ ἐνθάδε εὑρίσκεται Ἀλόπη, καὶ ἡ μεταγραφὴ δὲ παρὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων τῶν ἀρχαίων πίστιν καινοτομουμένη ἐπὶ τοσοῦτον σχεδιασμῷ ἔοικεν.* Detorti non sunt qui praeterea in fragmentis Ephori leguntur Homeri versus, fr. 38 (Strab. 1, 33), 45 (Str. 5, 244), 54 (Str. 7, 327), 63 (Str. 10, 476), 76 (Str. 7, 302).

Vitam quoque Homeri ipsius attigit in Historiarum libris Ephorus; Cretensium certe *πολιτείαν* illustrando atque cum Spartana comparando ad Lycurgum deductus hunc narravit secundum nonnullorum sententiam in Chio insula cum Homero ibi degente esse congressum, fragmt. 64 (Strabo 10, 482). Uberiorem Ephorum de Homeri patria atque genere narrationem *ἐν συντάγματι τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἐπιχωρίῳ* exhibuisse vitae 2A testatur auctor cap. 2. Quod *σύνταγμα* libri Historiarum quinti caput fuisse suspicatur Mueller p. LXI. Possis tamen eodem jure statuere, libellum fuisse peculiarem, quo res Cumaeorum tractarit solas. Quod utut sit, hoc contendisse certum est Ephorum, et Homerum et quem consanguineum ejus fuisse sibi persuasit Hesiodum genere fuisse Cumaeos. Apellam, Maeonem, Dium fratres fuisse teste vitae auctore laudatae Ephorus narravit genere Cumaeos; Dium, aere alieno de-

mersum Cumis emigrasse in Boeotiam sedemque collocasse Ascrae, ubi Hesiodum procreaverit; Apellam Cumis quum moreretur filiam reliquisse Critheidem; eam gravidam factam a Maeone nupsisse Phemio Smyrnaeo ludimagistro. Smyrnae dein enixam eam esse Homerum ad Meletem fluvium; inde Homerum vocatum Melesigenem; nomen Homeri postea inditum, quod caecus esset redditus; *ὁμήρους* enim caecos vocari apud Cumaeos et Iones. Qua cum narratione congruunt quae leguntur vitae 2 B cap. 1 *Ἔφορος δὲ ὁ ἱστορικὸς Κυμαῖον* (int. *Ὅμηρον ἔφη γενέσθαι*). Item vita 5 *κατὰ δ' Ἔφορον καὶ τοὺς ἱστορικοὺς Κυμαῖος* (int. *Ὅμηρος ὁ ποιητὴς ἦν τὸ γένος*). Legendum esse *Ἔφορον τὸν ἱστορικόν* monui in Jahnii Anall. 67, 3, 265. Supplementum narrationis, omissum a Muellero (fr. 164) suppeditat vita sexta: *Ἱππίας δ' αὖ καὶ Ἔφορος Κυμαῖον* (int. *τὸν Ὅμηρον ἀποφαίνονται*)· *ὁ δ' Ἔφορος καὶ εἰς Χαρίφημον ἀνάγει τὸ γένος αὐτοῦ· ὁ δὲ Χαρίφημος οὗτος Κύμην ᾤκισε.* Tatianus satis habuit in iis Ephorum enumerasse, qui de poësi, genere, aetate Homeri quaesiverint. De Hesiodo secundum Ephorum Homeri consanguineo et contemporaneo cum vita 2 A consentit Syncell. p. 173 *Ἡσίοδός τε ἐγνωρίζετο, ὃν Ἔφορος ἀνεψιὸν καὶ σύγχρονον Ὁμήρου φησί.* Mueller Addendd. vol. 4 p. 642 B tentavit *οὐ Ἔφορος ἀνεψιὸν καὶ οὐ σύγχρονον Ὅμηρόν φησι.* Syncello non adversatur Gellius 3, 11, qui ad Ephori mentem accuratissime „Alii minorem (int. Homerum quam Hesiodum natu fuisse scripserunt); in quis L. Attius poëta et Ephorus historiae scriptor.“ De caussa, quare Cumas reliquisse Ephorus contenderit Hesiodi patrem diversa Proclus ad Hesiodi Opp. vs. 633: *Ἔφορος δέ φησι τοῦτον εἰς Ἄσκρην ἐλθεῖν οὐ δι' ἐμπορίαν, ἀλλὰ φόνον ἐμφύλιον ἐργασάμενον.* Homerum in Chio insula degisse ibique Lycurgum vidisse Strabone teste Ephorus, ut indicavi, in Historiarum libris narravit. Suppletur notatio Strabonis Stephani B. loco hoc: *Βολισσός· πόλις Αἰολικὴ ἐπ' ἄκρου Χίου πλησίον, Θουκυδίδης Βολίσκον αὐτὴν καλεῖ ἐν ὀγδόῃ. καί φασιν ὅτι Ὅμηρος ἐν τούτῳ τῷ πολισματίῳ τὰς διατριβὰς ἐποιεῖτο, ὡς Ἔφορος.* Aeolicam a Stephano urbem vocari Bolissum est mirum; etenim sitam fuisse constat eam in ipsa Chio insula, in qua Aeolenses nunquam consederunt. Situm

igitur Bolissi ignorasse videtur Stephanus; in terra continenti is collocatam videtur illam putasse qua Aeolis proxime distat a Chio. Verba scilicet *πλησίον Χίου* per se et de urbe Chio et de insula possunt accipi. Similes vero errores Stephanus saepius commisit, e. g. s. v. *Χυτόν*, ubi Meineke edidit *Χυτόν, χωρίον ἠπείρου. Ἔφορος ἐννεακαιδεκάτῳ· „οἱ δ' ἐκ Κλαζομενῶν κατῴκισαν τῆς ἠπείρου τὸ Χυτὸν καλούμενον"*. Scribendum *χωρίον Ἠπείρου, τῆς Ἠπείρου*. Nam quod situm fuit prope Clazomenarum insulam in continenti oppidum, id Ephoro male intellecto Stephanus in Epiro situm fuisse sibi persuasit. Thucydidis locus, quem s. v. *Βολισσός* Stephanus respicit, libri 8 est caput 24, ubi *ἐν Βολίσσῳ* legi Meineke annotat, non *ἐν Βολίσκῳ*. Restat ut de temporibus quaeramus, ad quae Homerum Ephorus rettulerit. Lycurgum vidisse Homerum ille statuit. Lycurgi vitam ab Ephoro ad finem fere decimi a. Chr. saeculi esse relatam demonstrari potest; sed accuratius quominus tempus definiatur sunt quae obstare videantur. Parum accurate *Ἐκλογὴ ἱστοριῶν* Cramer. Ann. Pariss. 2 p. 227 *οὗ* (int. *τοῦ Σαοὺλ*) *τρισκαιδεκάτου ἔτους ἐνεστῶτος, γίνεται ἡ τῶν Ἡρακλειδῶν κάθοδος ἐν Πελοποννήσῳ, ληξάντων τῶν Πελοπιδῶν. ἐν τούτοις τοῖς χρόνοις καὶ Ὅμηρον τὸν ποιητὴν τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν ἐκθέσθαι. οὐκ ἀγνοοῦμεν οὖν ὡς Ἔφορος καί τινες ἄλλοι τῶν συγγραφέων πολλαῖς γενεαῖς ὑστερεῖν αὐτόν φασιν· οὐδ' ὡς ἔνιοι γεγράφασιν Ἡσιόδῳ τῷ ποιητῇ συνηκμακότα· οὐ μὴν ἡμεῖς γε τούτοις συγκατατιθέμεθα, καθὼς Διόδωρος ἀποδείκνυσι τοῦτον πρὸ τῆς Ἡρακλειδῶν καθόδου τετελευτηκότα.* Res ad liquidum foret perducta, si pro certo habere liceret, apud Hieron. ed. Scal. p. 106 (Euseb. ed. Rom. p. 321) nomen „Euphorbus" („Euphorbius" ed. Rom.) cum Scaligero, Meinekio (Anall. All. p. 27), aliis, mutandum esse in „Ephorus". Quod si constaret, Lycurgum cum Homero congressum anno 900 a. Chr. n. putasse Ephorum sciremus. Vide quae disputavi in Jahnii Annall. 67, 4, 381 sq. Sed mutatio nominis illa extra dubium non videtur posita esse. Mueller in vita Ephori 1, LVII annot. et in Add. 4, 642 Ephori nomen ponendum duxit.

Reliquum est ut de Theopompo pauca addantur. De hoc imprimis Wichers bene meruit, qui fragmenta ejus colle-

git vitamque narravit libro 1829 Lugd. Bat. edito. De vita et scriptis C. Mueller disseruit HGF 1 p. LXV (Add. 4 p. 626), fragmenta exhibuit 1, 278 (Add. 4, 643). Natione Theopompus erat Chius, aetate Ephori aequalis. Libros scripsit plurimos; nominanda duo opera majora, primum *Ἑλληνικῶν* libri duodecim, qui Thucydidis libro octavo continuati erant resque Graecorum per 17 annorum spatium gestas usque ad pugnam navalem apud Cnidum commissam exhibuerunt; dein *Φιλιππικῶν* libri 58, quibus Philippi Macedonis res narratae fuerunt praemissa brevi expositione historiae Macedonum anterioris, digressionibus intextis crebris. Ut ad reliquorum poëtarum testimonia rarissime ita ad Homerum Troicaque tempora rarius quam Ephorus delatus est Theopompus. Versus Homeri appositos reperies Muelleri fragmt. 184 (*I* 404. 405. Diod. 16, 56), 264 (*B* 523. Strab. 9, 424); nominatum Homerum habes fr. 126 (Athen. 12, 41). Praeterea res in Iliade atque in Odyssea narratas attigit fr. 62 (Harpocr. *Πύγελα*), 111 (Phot. Bibl. cod. 176 p. 120 Bekk.), 112 (schol. *B* 135), 114 (Tzetz. Lycophr. 806), 232 (Tzetz. Lycophr. 1439), 233 (Justin. 12, 2), 249 (Polyb. 8, 11), 262 (Diodor. 16, 87). Confer etiam in Addendd. vol. 4 p. 644 fragmt. 109 A (Strab. 8, 374). Non reticendum autem, fragmenta 112. 114. 184. 233. 262 non certo referri ad Theopompum historicum. Homeri sententiam praeclare illam a Glauco expositam *M* 322 Theopompus suam fecit fragmt. 77 (Clem. Al. Stromm. 6, 21); Homerici versus *λ* 122 *ψ* 269 parodiam ut ab Arcadione Achaeo profectam extulit frgmt. 235 (Athen. 6, 55). Ad explicandum Homeri nomen fortasse scripsit quae leguntur fragmt. 318 (Harpocrat. s. v. *Ὁμηρεύοντας* Suidas s. v. *Ὅμηρον*). Locus quo de aetate Homeri egit solus est apud Clementem ille quem initio hujus dissertationis apposui, frgmt. 221 B, ex Philippicorum libro 43; quo quingentis annis inferior fuisse Homerus narratur iis, qui Ilium oppugnaverint. De patria Homeri quid senserit Theopompus quum traditum non reperiatur, hoc certe affirmari posse arbitror, Theopompo, quamvis ipse fuerit Chius, Chium visum non esse Homerum. Primum enim cives suos ille admodum invisos habuit, de qua re vide e. g. Suidam s. vv. *Ἔφορος* et *Θεόκριτος Χῖος*; cujus rei caussa principalis fuisse videtur, quod adolescens cum patre

in exsilium ejectus est, ex quo aetatis demum anno quadragesimo quinto rediit non a Chiis sed ab Alexandro Macedone restitutus. Vide Mueller. 1 p. LXV sqq. Accedit quod supra memoravi Theopompum fuisse adversarium Anaximenis Lampsaceni; huic enim Homerum fuisse vidimus Chium.

Theopompum rhetorem fuisse constat multasque composuisse orationes. Quo factum est ut historiam quoque scripserit rhetorice. Magistro usus ille est Isocrate Atheniensi celeberrimo rhetore, quo tempore hic in Chio insula Theopompi patria habuit scholas. Vide Plutarch. vitt. X oratt. Isocrat. *Βιογρ.* Westerm. lin. 29 Photium cod. 260 p. 486 B Bekk. Muellerum p. LXVI. Una cum Theopompo ab Isocrate institutus fuit Ephorus; atque hinc explicari videtur posse, qui factum sit ut Ephorus, quamvis patriis Cumaeorum partibus studeret adeo, ut Homerum ipsum Cumaeum fuisse autumaret, in Chio tamen insula Bolissi illum degisse cumque Lycurgo in Chio congressum esse concederet.

Ad scholam Isocrateam Anaximenes quoque Lampsacenus pertinet. Hic enim teste Suida s. v. *Ἀναξιμέν.* (Eudocia p. 51) praeceptorem habuit Zoilum Amphipolitanum, *τὸν Ὁμηρομάστιγα*, de quo supra monui; Zoilus vero Isocrateus fuit teste Porphyrio schol. B *K* 274 *Ζωΐλος ὁ κληθεὶς Ὁμηρομάστιξ γένει μὲν ἦν Ἀμφιπολίτης, τοῦ δὲ Ἰσοκρατικοῦ διδάσκαλος, ὃς ἔγραψε τὰ Καθ' Ὁμήρου γυμνασίας ἕνεκα, εἰωθότων καὶ τῶν ῥητόρων ἐν τοῖς ποιηταῖς γυμνάζεσθαι.* In his *τὸ Ἰσοκρατικόν* est schola Isocratis, *διδάσκαλος τοῦ Ἰσοκρατικοῦ* rhetorices magister e schola Isocratea. Adversatur Porphyrio nec Suidas s. v. *Ζωΐλος* (Eudoc. p. 203) qui libellum *κατὰ Ἰσοκράτους* scripsisse narrat Zoilum, nec Aelianus V. h. 11, 10, ubi discipulum Zoilum fuisse legimus Polycratis, de quo homine, rhetore et sophista, natione Atheniensi, Oratorr. Atticorum videas editionem Turicensem vol. 2 p. 220 sqq. Una cum Zoilo Polycratem componunt etiam Dionys. Hal. De Isaeo 20 De vi Demosth. 8 Suid. s. v. *Δημοσθένης*. Hunc igitur Polycratem alio tempore, alio Isocratem videtur sectatus esse Zoilus, eo vero tempore, quo Polycratem sectaretur, scripsisse adversus Isocratem. Sic Antisthenes primum Gorgiae discipulus fuit, dein Socratis, quem quum audiret, libel-

lum scripsit adversus Gorgiam. Adversus Polycratem scripsisse Isocratem constat Busirin suum: vid. Busirid. § 1 et Argumenti indicem ejusdem declamationis Graece scriptum ed. Tur. Orr. Att. vol. 1 p. 231. Etiam Helenae encomium illud quod exstat ed. Tur. Orr. Att. vol. 1 p. 226 sqq Isocratem adversus Polycratis scriptionem cognominem scripsisse statuit Spengel *Συναγωγ. τεχν.* p. 71 sqq; Polycratis enim esse statuit quae exstat Gorgiae nomine inscripta Helenae laudatio (Orr. Att. Tur. ed. 2 p. 132); hanc ipsam vero ob oculos habere censet Isocratem in Helena sua. Fuisse qui adversus Polycratis Helenam scriptam esse Isocrateam contenderent annotavit Hypothesis Hel. Isocr. auctor ed. Tur. Orr. Att. 2 p. 8 B 2 (cfr. Polycr. fragmm. p. 221 A); sed is auctor ipse Polycratem potius Helenam suam adversus Isocratis Helenam scripsisse censet, Isocratem autem Helenam suam aut adversus Gorgiae Helenam aut adversus Anaximenem Lampsacenum, qui et ipse Helenae confecerit laudationem (vid. Orr. Att. ed. Turic. 2 p. 321 A).

Jam quattuor nominavi Helenae laudationes, Gorgiae, Polycratis, Isocratis, Anaximenis; vides quam vere dixerit Porphyrius loco modo proposito rhetores solitos fuisse *γυμνάζεσθαι ἐν τοῖς ποιηταῖς*. Sed Isocratis praeter Helenae encomium Homerica ejusmodi exercitatio videtur fuisse nulla; nam deperditas declamationes *Κλυταιμνήστρας ἐγκώμιον*, *Πηνελόπης ἐγκώμιον*, *Νεοπτόλεμον*, scriptor vitae Isocratis 3 lin. 132 West. (p. 258) suppositas cum multis aliis fuisse ait. Cfr. Oratt. Att. ed. Tur. vol. 2 p. 224 sqq. In Helenae illa laudatione unus locus est quo Homerus nominatur § 65. Hic postquam narravit Stesichorum poëtam lyricum, quum in aliquo carmine Helenae maledixisset, obcaecatum fuisse, oculorum tamen aciem palinodia composita recepisse, sic pergit auctor: *λέγουσι δέ τινες καὶ τῶν Ὁμηριδῶν ὡς ἐπιστᾶσα τῆς νυκτὸς Ὁμήρῳ προσέταξε ποιεῖν περὶ τῶν στρατευσαμένων ἐπὶ Τροίαν, βουλομένη τὸν ἐκείνων θάνατον ζηλωτότερον ἢ τὸν βίον τὸν τῶν ἄλλων καταστῆσαι· καὶ μέρος μέν τι διὰ τὴν Ὁμήρου τέχνην, μάλιστα δὲ διὰ ταύτην οὕτως ἐπαφρόδιτον καὶ παρὰ πᾶσιν ὀνομαστὴν αὐτοῦ γενέσθαι τὴν ποίησιν.* Hunc locum illustravit Harpocratio s. v. *Ὁμηρίδαι*, qui quod

innuit apud Isocratem Ὁμηριδῶν vocabulum accipiendum esse de gente ab Homero ducente genus in eo falli videtur; nam designavit haud dubie Isocrates Homeridarum nomine Homeri laudatores vel eos, qui in Homericis studiis operam ponerent. In reliquis Isocratis scriptis sex locos repperi quibus Homerus nominatur, Ad Nicocl. § 48 Advs. sophistt. § 2 Panegyr. § 159 Panathen. § 18. 33. 263. Tres in his locis sunt e quibus nihil fere aliud erui posse videatur nisi hoc, magni Homerum factum esse ab Isocrate, Nicocl. 48, Sophist. 2, Panath. 263, ubi omnes reliquos poëtas epicos longe ab Homero superari legimus. Majoris momenti altera pars locorum. Nam Panathen. 18. 33 sophistas exagitavit Isocrates eos qui in Lyceo Homerum tractarent et Hesiodum Isocrati utrumque despectum esse autumantes. Hi sophistae nulli alii videntur fuisse quam philosophi peripatetici, Aristotelis *γνώριμοι*, quorum in Lyceo colloquia quotidiana omnes habent cognita. Aristoteles ipse eo tempore, quo scriptus esse videtur Panathenaicus, Athenis non commoratus est. Sed cum eo scholaque ejus jam longo tempore ante Panathenaicum scriptum Isocrati intercessisse constat inimicitiam acerbissimam, de qua re conferas Stahrium Aristotell. 1 p. 63. Restat septimus Isocratis locus Homericus Panegyr. 159, ubi antiquitus Athenis et in puerorum educatione et in certaminibus musicis insignem fuisse locum prodit Homeri: *οἶμαι δὲ καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν μείζω λαβεῖν δόξαν, ὅτι καλῶς τοὺς πολεμήσαντας τοῖς βαρβάροις ἐνεκωμίασε, καὶ διὰ τοῦτο βουληθῆναι τοὺς προγόνους ἡμῶν ἔντιμον αὐτοῦ ποιῆσαι τὴν τέχνην ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις καὶ τῇ παιδεύσει τῶν νεωτέρων, ἵνα πολλάκις ἀκούοντες τῶν ἐπῶν ἐκμανθάνωμεν τὴν ἔχθραν τὴν ὑπάρχουσαν πρὸς αὐτούς, καὶ ζηλοῦντες τὰς ἀρετὰς τῶν στρατευσαμένων τῶν αὐτῶν ἔργων ἐκείνοις ἐπιθυμῶμεν.*

Quae hoc loco de certaminibus dicuntur ea ex alius oratoris Attici Lycurgi loco lucem accipiunt, Advs. Leocrat. § 102 *βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τὸν Ὅμηρον παρασχέσθαι ἐπαινῶν. οὕτω γὰρ ὑπέλαβον ὑμῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶναι ποιητήν, ὥστε νόμον ἔθεντο καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, ἐπίδειξιν ποιούμενοι πρὸς τοὺς Ἕλληνας ὅτι τὰ κάλλιστα τῶν*

ἔργων προῃροῦντο. εἰκότως· οἱ μὲν γὰρ νόμοι διὰ τὴν συντομίαν οὐ διδάσκουσιν ἀλλ' ἐπιτάττουσιν ἃ δεῖ ποιεῖν, οἱ δὲ ποιηταὶ μιμούμενοι τὸν ἀνθρώπινον βίον, τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων ἐκλεξάμενοι, μετὰ λόγων καὶ ἀποδείξεων τοὺς ἀνθρώπους συμπείθουσιν. Ἕκτωρ γὰρ τοῖς Τρωσὶ παρακελευόμενος ὑπὲρ τῆς πατρίδος τάδε εἴρηκεν· „ἀλλὰ μάχεσθ' ἐπὶ νηυσὶ διαμπερές. ὃς δέ κεν ὑμέων | βλήμενος ἠὲ τυπεὶς θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ, | τεθνάτω. οὔ οἱ ἀεικὲς ἀμυνομένῳ περὶ πάτρης | τεθνάμεν· ἀλλ' ἄλοχός τε σόη καὶ νήπια τέκνα, | καὶ κλῆρος καὶ οἶκος ἀκήρατος, εἴ κεν Ἀχαιοί | οἴχωνται σὺν νηυσὶ φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.“ τούτων τῶν ἐπῶν ἀκούοντες, ὦ ἄνδρες, οἱ πρόγονοι ὑμῶν καὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἔργων ζηλοῦντες οὕτως ἔσχον πρὸς ἀρετήν, ὥστε οὐ μόνον ὑπὲρ τῆς αὑτῶν πατρίδος ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Ἑλλάδος ὡς κοινῆς ἤθελον ἀποθνήσκειν. οἱ γοῦν ἐν Μαραθῶνι παραταξάμενοι τοῖς βαρβάροις τὸν ἐξ ἁπάσης τῆς Ἀσίας στόλον ἐκράτησαν. In his maximi momenti sunt quae de lege narrantur, ex qua Athenis olim in Panathenaeorum festis diebus solus Homerus fuerit recitatus; nec tamen negligendae scripturae versuum sex illorum Homeri qui leguntur *O* 494—499. Ut minores discrepantias mittam, versu 494 editio Iliadis Bekkeriana exhibet νηυσὶν ἀολλέες, versu 497 παῖδες ὀπίσσω. In versu 499 Lycurgi libri inter se non conspirant; reperiuntur variae scripturae οἴχωνται (ἤικχωνται) ἵκωνται (ἥκωνται, ἤικωνται).

Multo longior Homeri locus legitur apud tertium oratorem Atticum, A e s c h i n e m, qui Homerum nominat septies, Timarch. § 128. 133. 141. 142. 147 Ctesiph. § 185. 231. Cohaerent inter se loci Timarcheae 133. 141. 142. 147. Timarchi enim libidines ut excusarentur aliquem defensorem ejus provocaturum fuisse legimus 132. 133 ad Homerum amoremque Achillis et Patrocli ab eo cantatum. Amatorem Homero Achillem Patrocli fuisse A r i s t a r c h u s negavit; docent quae Aristonicus de notis narrat positis ad *Π* 97—100 *Ψ* 94 *Λ* 786 *K* 37 *X* 229, de quibus vid. Lehrs Aristarch. p. 187 sq. Recentiores vero poëtae, quos maxime spectant notae illae, Homero male intellecto Achillem amatorem Patrocli perhibere non dubitaverunt. Sic Aeschines quoque amorem fuisse Achil-

lis et Patrocli concedit, id tantum tenens, honestum eum fuisse amorem, non libidinosum. Qua in re ut demonstret quae intercesserint rationes inter Achillem et Patroclum, ex Homero, quem § 142 *ἐν τοῖς πρεσβυτάτοις καὶ σοφωτάτοις τῶν ποιητῶν* numerari ait, versus profert § 144 sex Σ 324—329, § 148 tres Σ 333—335, § 149 decem et octo Ψ 77 sqq, § 150 quinque Σ 95—99. Deinceps ab Homero ad Euripidem pergit orator *οὐδενὸς ἧττον σοφὸν τῶν ποιητῶν*, qui arbitratus fuerit *ἕν τι τῶν καλλίστων εἶναι τὸ σωφρόνως ἐρᾶν*, quod versibus ejus nonnullis appositis demonstrat. In quattuor illis locis ex Homero prolatis nullus est sine scripturae discrepantia; maxime insignes autem loci Ψ 77 sqq Σ 95—99. Apud Bekkerum versus Σ 97. 98. 99. 100 sic leguntur: *τὴν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς | αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ | κτεινομένῳ ἐπαμῦναι· ὁ μὲν μάλα τηλόθι πάτρης | ἔφθιτ', ἐμεῖο δὲ δῆσεν ἀρῆς ἀλκτῆρα γενέσθαι.* Aeschines sic: *τὴν δ' αὖτε προσέειπε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς· | αὐτίκα τεθναίην, ἐπεὶ οὐκ ἄρ' ἔμελλον ἑταίρῳ | κτεινομένῳ ἐπαμῦναι, ὅ μοι πολὺ φίλτατος ἔσκεν.* Versum igitur 100 *ἔφθιτο* fortasse ne legit quidem Aeschines in suo codice. Sed statui potest, in eo vocabulum *ἔφθιτο* novae periodi fuisse initium, vel interpositos fuisse ante vs. 100 nonnullos alios versus. Sic in altero illo loco Ψ 77 sqq versus reperies nonnullos apud Aeschinem, qui in nostris editionibus ne leguntur quidem. A versu 80 in Bekkeriana leguntur haec: *καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ, | τείχει ὕπο Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι. | ἄλλο δέ τοι ἐρέω καὶ ἐφήσομαι, αἴ κε πίθηαι· | μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ', Ἀχιλλεῦ, | ἀλλ' ὁμοῦ, ὡς ἐτράφημεν ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν, | εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος | ἤγαγεν.* Eundem locum Aeschines sic: *καὶ δὲ σοὶ αὐτῷ μοῖρα, θεοῖς ἐπιείκελ' Ἀχιλλεῦ, | τείχει ὕπο Τρώων εὐηγενέων ἀπολέσθαι, | μαρνάμενον δηίοις Ἑλένης ἕνεκ' ἠυκόμοιο. | ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν· | μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀστέ' Ἀχιλλεῦ, | ἀλλ' ἵνα πέρ σε καὶ αὐτὸν ὁμοίη γαῖα κεκεύθῃ, | χρυσέῳ ἐν ἀμφιφορεῖ, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ. | ὡς ὁμοῦ ἐτράφεμέν περ ἐν ὑμετέροισι δόμοισιν, | εὖτέ με τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος | ἤγαγεν.* Desinit Aeschi-

nes in versu 91 ὥς δὲ καὶ ὀστέα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι. Hoc igitur loco non legisse videtur versum qui est in Bekkeriana 92 χρύσεος ἀμφιφορεύς, τόν τοι πόρε πότνια μήτηρ, quem in antecedentibus eum exhibere vidisti. Versum 92 Aristarchus scripsit, sed ut spurium notavit, cujus notationis rationes explicatas legimus apud Aristonicum. Hunc igitur versum si non habuit Aeschinis codex, vitio ei non vertendum. Sed in antecedentibus eundem versum et duos alios spurios exhibere interpositos Aeschinem vides, de quibus quae fuerunt Aristarchi notationes interciderunt. Hi igitur versus interpolati et reliqua lectionis discrepantia ingens quae reperitur et in hoc loco et in versibus Σ 95 sqq commonstrant liquido Homeri libros quibus temporibus Aeschines scripsit medio saeculo quarto a. Chr. admodum fuisse depravatos. Quam eandem librorum depravationem jam supra attigimus, ubi de Aristotele agebamus. Testatur fortasse etiam quintus ille Timarcheae locus Homericus, § 128, ubi de fama Timarchi disserens Aeschines καὶ οὕτως ἐναργές ἐστι, inquit, καὶ οὐ πεπλασμένον ὃ λέγω, ὥσθ' εὑρήσετε καὶ τὴν πόλιν ἡμῶν καὶ τοὺς προγόνους φήμης ὡς θεοῦ μεγίστης βωμὸν ἱδρυμένους, καὶ τὸν Ὅμηρον πολλάκις ἐν τῇ Ἰλιάδι λέγοντα πρὸ τοῦ τι τῶν μελλόντων γενέσθαι „φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε", καὶ πάλιν τὸν Εὐριπίδην κτἑ. Locutio „φήμη δ' εἰς στρατὸν ἦλθε" in Iliade hodie nusquam legitur. Quae difficultas, quantum video, ratione solvi potest duplici; aut enim statuendum, in Aeschinis exemplari Iliadis compluribus locis illum versum fuisse interpositum, aut non Iliadem quam dicimus Aeschinem respexisse, sed Iliadem parvam, Ἰλιάδα τὴν μικράν, quod carmen vulgo ad Homerum relatum fuisse narravi. Prorsus diversa de caussa insignis Ctesiphonteae alter est locus § 185. Ibi enim narrat Aeschines tempore belli Medici qui Medos vicissent ad Stry monem fluvium Athenienses a populo Atheniensium inscriptionibus tribus esse laudatos, e quibus tertia haec fuerit: Ἔκ ποτε τῆσδε πόληος ἅμ' Ἀτρείδῃσι Μενεσθεὺς | ἡγεῖτο ζάθεον Τρωικὸν ἂμ πεδίον, | ὅν ποθ' Ὅμηρος ἔφη Δαναῶν πύκα χαλκοχιτώνων | κοσμητῆρα μάχης ἔξοχον ἄνδρα μολεῖν. | οὕτως οὐδὲν ἀεικὲς Ἀθηναίοισι καλεῖσθαι | κοσμητὰς πολέμου τ' ἀμφὶ καὶ ἠνορέης. Respiciuntur versus Homeri B 553 sqq.

Ex reliquis oratoribus Atticis unus nominandus est, Demosthenes, non quod testimonia de Homero prodiderit (nam λόγος Ἐπιτάφιος, cujus § 29, et Ἐρωτικός, cujus § 25 nominatur Homerus, spurii videntur esse), sed quia a multis imitator dicitur fuisse Homeri, e. g. a Dionysio Halicarnassensi Comp. verbb. 24 Art. rhetor. 10, 19, a Longino Subl. 14. 36, ab Hermogene Walz. Rhett. Graecc. vol. 3 p. 166. 260. 374. 400. 418. 424. 437. 439. Imitationem autem Homeri veteres grammatici in Demosthenis orationum singulis locis diligenter notasse videntur, quarum notationum hodie in scholiis nonnulla exstant vestigia, veluti in scholl. ad orat. De corona § 215 ed. Tur. vol. 2 p. 82 B 16, scholl. Zenothem. § 27 ed. Tur. vol. 2 p. 123 B 41, scholl. Boeot. 2 § 48 ed. Tur. vol. 2 p. 124 B 36. Quae pleniora sunt quam scholia oratorum Homerica in iis frequentior Demosthenis mentio occurrit quam in illis Homeri; diplae tamen servatae πρὸς Δημοσθένην non exstant, quantum video. In ceteris autem oratoribus Atticis similes atque in Demosthene, si scholiorum reliquiis fides, a grammaticis factae videntur esse notationes.

Sed enim de his rebus olim accuratius agendum erit alio loco quam nunc commode fieri potest. Itaque cursu peragrato oratorum campo latissime Homericis patente ad sophistas nos convertimus quinti a. Chr. n. saeculi, quorum a doctrina oratores Attici sunt profecti. Isocratem, patrem illum eloquentiae, oratorum magistrum, praeceptoribus usum esse Prodico Ceo, Gorgia Leontino, Tisia Syracusano, Theramene, Socrate, Ergino, Protagora Abderita narrant; plurimi Gorgiam dicunt, quem inter alios Quinctilianus 3, 1 praeoptavit. „Clarissimus“, inquit, „Gorgiae auditorum Isocrates, quamquam de praeceptore ejus inter auctores non convenit. Nos autem Aristoteli credimus“. In matrimonium duxisse Isocrates narratur Plathanen, quam Plutarch. Vitt. X oratorr. Westerm. Βιογρ. lin. 140 (cfr. lin. 71) Hippiae sophistae antea uxorem fuisse perhibet, vitae Isocr. tertiae apud Westerm. auctor lin. 5 ejusdem Hippiae ἀπογεννωμένην, pro quo Baiterus in edit. Oratorr. Atticorr. Turic. vol. 2 p. 175 A in Corrigendd. et Addendd. legendum esse censet ἀπογενομένην. Socrates inter praeceptores Isocratis videtur relatus esse (vid. vit. Isocr. 3

ap. West. lin. 7) propter locum Platonis Phaedr. p. 278 E Steph. (cfr. vitae laudatae lin. 87). Jam de reliquis illis praeceptoribus utut statuas, sophistarum doctrina imbutum fuisse Isocratem liquet. Ad hos igitur nos convertimus; nominantur in vitis Homeri Alcidamas, Gorgias, Hippias.

Sed de Hippia video dubitari posse et a viris doctis esse dubitatum. Namque ex iis, quibus Hippiae nomen fuit, praeter sophistam celeberrimum natione Eleum duo nobis objiciuntur scriptores qui in censum venire possint, Hippias Erythraeus et Hippias Thasius. Thasii emendationes duas Aristoteles Poëtic. cap. 15, 18 Iliadis locorum affert, ubi nulla idonea caussa sunt qui vocabulum *Θάσιος* cum *Ἠλεῖος* mutare velint, ut nullus omnino fuisse Thasius Hippias censendus sit. Prodit vero se legisse *Θάσιος* Alexander Aphrodis. ad Aristot. Sophist. elench. 4, 8; hoc enim loco Aristoteles emendationes istas repetit auctore non indicato, Alexander vero annotat, in Poëtica Aristotelem ipsum auctorem perhibere Thasium Hippiam. Conf. Pacii dissertationem edit. Buhl. vol. 3 p. 645 insertam et quae Osannus profert Anecdot. Rom. p. 258 not. 10.

Erythraeus Hippias, Erythris oriundus, Ioniae urbe, Chio insulae vicina, res patriae perscripsit, cujus ex operis libro secundo quaedam transtulit Athenaeus 6, 258 F. Hoc in opere fieri non potuit quin de Homero ageretur. Homerus enim Erythras pervenisse dicebatur, atque exstant in vita Pseudoherodotea cp. 17—19 de itinere in Erythraeam faciendo, de Erythraeae solo, de nautis quibusdam Erythraeis versiculi nonnulli, quorum auctorem Homerum ipsum habebant. Quod ut concedamus falso esse factum, nihilo minus inde concludere licet, floruisse admodum vetustis temporibus Erythris poëseos Homericae studium, id quod etiam Diodori poëtae docet memoria Erythraei, quem Parvam Iliadem, carmen illud vulgo Homero attributum confecisse ajebant, uti legere est in scholio ad Euripid. Troadd. 822 conferendo illo cum Tzetzae Exeges. Iliad. p. 45.

Restat tertius Hippias Eleus, sophista. Hic sese Homeri carmina tractasse profitetur apud Clement. Al. Stromm. 6 p. 265 Sylb., quocum loco conferenda quae Cicero narrat

De orator. 3 cap. 32, et dialogus Platonicus quem Hippiam appellant minorem. Hippias enim quum in Hippia majori p. 286 Steph. orationem de studiis quibus adolescentis sit incumbere, Lacedaemone sese habuisse dicat habiturumque sese esse eandem orationem triduo post Athenis, in minoris Hippiae exordio recens ab ea oratione Athenis introducitur iterata p. 363 Steph. diciturque a Socrate disseruisse multa quum de aliis poëtis tum de Homero. Quo ex loco, quum auctorem dialogi, sive is Plato sit sive alius nescio quis, rem prorsus effinxisse nemini facile persuadeatur, fuisse talem Hippiae orationem qua quum de aliis poëtis tum maxime de Homero disseruerit, suo jure viri docti collegerunt.

Vides jam tres Homericos fuisse nomine Hippiae nominatos. Eorum quemvis eligere licet ad quem referas quae vita 6 ex Hippia profert, Homerum genere fuisse Cumaeum.

Ab Hippia priusquam progrediar ad Gorgiam, leviter perstringendus est Protagoras Abderita, qui ipse *σοφιστὴν* vocavit sese teste Platone Protagor. p. 348 E sq 311 C sqq, quum Gorgias *ῥήτωρ* mallet audire quam sophista, ab aliis autem vocabatur *σοφία* (Diog. L. 9, 50) et *λόγος* (Aelian. V. h. 4, 20 scholl. Platon. reipubl. 10 p. 938 A 17 Tur.). Protagoram Aristoteles Poët. 11, 8 Buhl. min. narrat Homero vitio vertisse, quod *εὔχεσθαι οἰόμενος* (scil. *Ὅμηρος*) *ἐπιτάττει εἰπὼν „Μῆνιν ἄειδε θεά“. τὸ γὰρ κελεῦσαί φησι ποιεῖν τι ἢ μὴ ἐπίταξίς ἐστι.* Cfr. Spengel. *Συναγωγ. τεχν.* p. 44. Initium Odysseae expresse utrum simul vituperarit Protagoras an non nescimus; certum autem quod exposui Aristonicc. p. 3 dipla apposita ad *α* 1 notatum fuisse ab Aristarcho, imperativum *ἔννεπε* non jubentis esse sed precantis; cujus notationis vestigia manifesta sunt in scholiis *α* 1 et *Α* 1. Notatum fuisse versum *Α* 1 Friedlaender non indicavit; ego notationem *α* 1 factam adversus Protagoram fuisse l. c. debebam addere. Librum si quaeris in quo Protagoras suam doctrinam de versibus *Α* 1 *α* 1 protulerit, apposite offertur a Diogene Laertio 7, 55 inter alia illius scripta *λόγος Προστακτικός*. Simili ratione aliis in libellis Homerum attigisse Protagoram consentaneum est, e. g. in scriptione *Περὶ τῶν ἐν Ἅιδου* memorata illa apud Diogenem Laertium l. c.

De Gorgia Leontino peculiarem librum edidit Foss Halis Sax. 1828, quocum conferenda quae disseruerunt Spengel *Συναγωγῆς* p. 63 sqq et Baumstark Realencyclopaed. d. class. Alterthumsw. 3 p. 906 sqq. Quae Gorgiae nomine hodie exstant inscriptae declamationes duae, *Ἀπολογία Παλαμήδους* et *Ἐγκώμιον Ἑλένης* quamvis pro spuriis habendae videantur, tamen docere quodammodo possunt qua fere ratione sophistae illius aevi et rhetores tractaverint Homerum. Scilicet lectionem sive spectes constituendam sive explicationem verborum poëtae, narrationis, sententiarum, morum quales fuerint antiquitatis Homericae, sive quaestionem de patria atque aetate Homeri: ex his dico quidvis spectes, sophistae non tam in explorando vero operam suam collocasse videntur quam in ostentanda sua ipsorum elegantia sermonis atque sententiarum. Homerica sibi illi sumpserunt argumenta ad disputandum, ut in eo maxime ingenia exercerent quem ut primum poëtam universa coleret Graecia. Quo factum est ut avidissime arriperent ubicumque occasio videretur offerri contraria iis defendendi quae Homerus exposuerat. Helenam laudabant ab illo vituperio affectam, Ulixem ab illo laudatum vituperabant, Palamedem, adversarium Ulixis, defendebant. Helenae laudationes varias sophistarum et rhetorum supra memoravi, ubi Anaximenem, Isocratem, Gorgiam, Polycratem in eo argumento elaborasse vidimus. Paridem laudasse et defendisse quod jure suo rapuerit Helenam Polycrates sophista videtur Zoili ille praeceptor; vide Orr. Att. ed. Tur. vol. 2 p. 223 A. Idem Polycrates a Quinctiliano 2, 17, 4 laudationem edidisse traditur Clytaemnestrae. In Polyphemum Cyclopem *ἐγκώμιον* scriptum fuisse a Zoilo Homeri vituperatore testatur schol. Platon. Hipparch. p. 923 A 31 Turic. Quae conferantur digna sunt Philodemi verba quae transscribo ex ed. Orr. Att. Turic. 2 p. 221 B *ἀλλ᾽ οἱ ῥητορικοὶ σοφισταὶ Βουσίριδας καὶ Πολυφήμους καὶ τοιούτους ἄλλους ἐγκωμιάζοντες τὰ τῶν ἀγαθῶν ἔπαθλα κοινοποιοῦσι καὶ πολλοὺς εἶναι πονηροὺς προτρέπονται καὶ προκρίνοντες ἐν ταῖς συμβλήσεσι τῆς Πηνελόπης Κλυταιμνήστραν καὶ τὸν Πάριν Ἀλέξανδρον Ἕκτορος ἀφανίζουσι τὰς ἀρετὰς τῶν ἀγαθῶν ὅσον ἐφ᾽ αὐτοῖς*. Haec recte dicta esse nemo negabit; sed sophistae nimirum laudem

sibi comparasse videbantur maximam ubi disputassent ita, ut Homerum omnium principem et summum auctorem erroris arguisse viderentur, vel ratiunculis adhibitis et omnis generis artificiis docuissent res perverti posse in eum modum ut erroris argui ille posset. Quod tamen non ita accipiendum, quasi in omnibus adversari studuerint Homero sophistae. Neque enim Homerum omnibus probatum vituperare propositum iis erat, sed id tantum egerunt ut novitatem quaererent ingenii et exercendi et ostentandi caussa. Ita Achillem ab Homero summis laudibus elatum a Gorgia quoque esse laudatum perhibet Aristoteles Rhetorr. 3, 17 (Foss. p. 48. 77); sed nova ratione Achillem Gorgias laudavit. Neque etiam hoc concludendum, omnes quae traduntur sophistarum sententias de Homero propositas esse falsas. Gorgiam quidem Leontinum quod in vita 3 Proclus narrat genus Homeri a Musaeo derivasse minime absurdum est. Nec desunt aliorum testimonia quae eodem redeant. Quo libro de Homeri genere disputaverit Gorgias non extrico. Cfr. Fossium p. 48. Idem vir doctus p. 78 locum tractavit scholl. V *Δ* 450, quo Gorgias Homeri locutionem quandam transtulisse in suos usus indicatur. Similiter Plato in Gorgia dialogo cap. 3 Gorgiam Homeri verbis utentem facit. Cfr. etiam quae Spengel p. 70 not. 92 e codice Monacensi protulit.

Qui sunt e schola Gorgiae praeter Isocratem ex iis duos nomino Alcidamantem et Licymnium, cujus explicatio loci *B* 101 sqq enarratur in scholio BL *B* 106. Evolve scholia tu et vide qualem ad explicandum Homerum sophistae viam sint ingressi. Ceterum de Licymnio, qui non diversus videtur esse a Licymnio Chio dithyramborum poëta, conferendi qui laudantur in Encyclopaedia Paulyana s. v. Licymnius, Spengel *Συναγωγ. τεχν.* p. 88 sqq, Schneidewin Goetting. Gel. Anz. 1845 no 112 sqq, Bergk Poëtt. Lyrr. p. 839 (ed. 2 p. 985), M. Schmidt Dithyrambb. poëtt. p. 84 sqq. Gorgiae discipulum Licymnium rhetorem fuisse testatur Dionysius Hal. Lysiae jud. cp. 3, quocum conferendi loci Dionysii ep. 2 Ad Amm. cap. 2 De Thucyd. jud. cap. 24, schol. Platon. Phaedr. ed. Turic. p. 965, Suidas s. v. *Πῶλος*, alii.

Alcidamas Elaites, filius Dioclis, qui teste Suida

(Eudoc. p. 56) s. v. Ἀλκιδάμ. Musica scripsit, Gorgiae discipulus, a Spengelio tractatur Συναγ. p. 172 sqq (cfr. 76 not.), a Fossio Gorg. p. 61. 81 sqq, in Fabricii Biblioth. ed. Harl. 2 p. 776, in Oratorum Atticorum edit. Tur. vol. 2 p. 154 sqq. Quae ex eo referuntur in vita 8 de Hesiodo sunt, non de Homero; Homericum autem eum fuisse ea docent, quae Aristoteles Rhetorr. 3, 3. Ibi enim Aristoteles Alcidamanti objicit, quod prosariam orationem ad poëticae leges inepte traduxerit, vocabulis poëtice conformatis et glossis utens, epitheta saepius justo adspergens, metaphoras adhibens minus aptas; in exemplis autem sunt quae Homericae ad dictionis proprietatem sermonem suum conformasse Alcidamantem dilucide commonstrent. Sic κυανόχρων τὸ τῆς θαλάσσης ἔδαφος Alcidamantem dixisse Aristoteles narrat; quod vocabulum illum conformasse patet ad similitudinem Homericorum κυανοχαίτης, κυανόπρωρος, κυανοπρώρειος γ 299, κυανῶπις μ 60, κυανόπεζαν Λ 629, nisum loco μ 243, ubi de charybdi Homerus locutus ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκεν | ψάμμῳ κυανέῃ (vel κυανέη). Sic in glossis quae ad prosarium sermonem transtulerit Alcidamas numeratur Homerica ἀτασθαλία, de cujus metalepsi, si tanti est, videas Aristonn. p. 7. 8. Sic quod non ἱδρῶτα dixerit Aristoteles exprobrat Alcidamanti, sed epitheto adjecto ὑγρὸν ἱδρῶτα, prout Homerus ὑγρὸν ἔλαιον dixit Ψ 281 ζ 79. 215 η 107 et ὑγρὸν ὕδωρ δ 458. In metaphoris denique tribus quas adhibuisse Alcidamas narratur l. c. duae sunt Homericae. Altera haec est „οὐδὲν τοιοῦτον ἄθυρμα τῇ ποιήσει προσφέρων“, in quibus primum ipsum vocabulum ἄθυρμα est Homericum (O 363 ο 416 σ 323), universam enunciationem autem de Homeri poësi dictam esse Fossius recte statuit p. 83 aliena illa a fucato nitore. Petita autem verba Alcidamantis esse Foss conjicit e Museo, ex qua scriptione de Hesiodo sese profitetur hausisse Certaminis auctor. Altera metaphora ab Aristotele l. c. notata Odysseam spectat, quam Alcidamas dixisse traditur καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον. De Homeri patria fragmentum Alcidamantis est apud Aristotelem Rhetorr. 2, 23 καὶ ὡς Ἀλκιδάμας „ὅτι πάντες τοὺς σοφοὺς τιμῶσι· Πάριοι γοῦν Ἀρχίλοχον καίπερ βλάσφημον ὄντα τετιμήκασι· καὶ Χῖοι Ὅμηρον, οὐκ ὄντα πολίτην· καὶ Μιτυληναῖοι Σαπ-

φῶ, καίπερ οὖσαν γυναῖκα κτἑ. Duarum quae ad nostram pervenerunt aetatem orationes Alcidamantis nomine inscriptae altera est Homerica Ὀδυσσεύς ἢ Κατὰ Παλαμήδους προδοσίας. Vide Oratt. Graecc. ed. Turic. 2, 156.

A sophistis transitum facio ad eos qui sunt a Socrate philosophi, e quibus duo illustrandi hoc loco, Plato et Antisthenes Athenienses. Et Antisthenes quidem prior tractator; hic enim teste Diogene L. 6, 1 antequam Socratem audivit Gorgiae de cujus schola modo egimus in discipulis erat. Socraticus dein quum factus esset, adversus Gorgiam eum scripsisse docet Athen. 5, 63.

Antisthenis operum (συγγραμμάτων) decem tomis comprehensorum recensum sistit Diogenes Laertius 6, 15 sqq; quae tomum nonum is comprehendisse ait § 17. 18, omnia sunt Homerica: τόμος θ', ἐν ᾧ Περὶ Ὀδυσσείας, Περὶ τῆς ῥάβδου (Circae puta κ 238. 293. 319. 389, Mercurii Ω 343 ε 47 ω 2, Minervae ν 429 π 172. 456), Ἀθηνᾶ ἢ Περὶ Τηλεμάχου, Περὶ Ἑλένης καὶ Πηνελόπης, Περὶ Πρωτέως, Κύκλωψ ἢ Περὶ Ὀδυσσέως, Περὶ οἴνου χρήσεως ἢ Περὶ μέθης ἢ Περὶ τοῦ Κύκλωπος, Περὶ Κίρκης, Περὶ Ἀμφιαράου (ο 244 sqq), Περὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ Πηνελόπης, καὶ Περὶ τοῦ κυνός (Argi ρ 291 sqq). Quibus accedunt ex tomo octavo nonnulla: τόμος η', ἐν ᾧ Περὶ μουσικῆς, Περὶ ἐξηγητῶν (Homeri opinor), Περὶ Ὁμήρου, Περὶ ἀδικίας καὶ ἀσεβείας, Περὶ Κάλχαντος, Περὶ κατασκόπου (De Dolone? Alii conjiciunt τερατοσκόπου), Περὶ ἡδονῆς. Et ex tomo primo: πρῶτος, ἐν ᾧ Περὶ λέξεως ἢ Περὶ χαρακτήρων, Αἴας ἢ Αἴαντος λόγος, Ὀδυσσεύς ἢ Περὶ Ὀδυσσέως, Ὀρέστου ἀπολογία κτἑ. Ex tomi primi scriptionibus duae exstant, Αἴας et Ὀδυσσεύς, quas legere est apud Winkelmannum in editione fragmentorum Antisthenis (Turic. 1842) p. 38 sqq. Non dissimulandum autem esse qui spuriam utramque judicent, vid. Winkelm. p. 12 not. 2 p. 40 not. Fragmenta Homericorum Antisthenis librorum apud interpretes Homeri repperi ad Λ 637 (Cram. Pariss. Ann. 3 p. 16, 16; schol. BL Leydens. 636 ap. Bekk. perperam Ἀντιφάνης), Ο 123 (Bekk. Bachm.), Ψ 65 (Bekk. 65 Eustath. 66 p. 1288, 9), α 1 (Buttm. p. 9 (bis) cfr. Addendd. p. 562 Cram. Ann. Pariss. 3 p. 412, 7), ε 211 (Buttm.), η 257 (Buttm. Preller.), ι 106 (Prel-

ler.), ι 525 (Buttm. Preller. ι extr. fasc. 2 p. 31). Dipla quam Aristonicus ad *Λ* 636 explicat cum aliis Antisthenem notatum esse liquet. Ad *Ψ* 66 dipla videtur fuisse adversus Antisthenis et Chrysippi sententias eas quae proferuntur scholl. Bekk. vs. 65 Eustath. vs. 66 p. 1288, 9. Porro α 1 diplam fuisse πρὸς Ἀντισθένην de vocabulo πολύτροπον indicavi Aristonn. p. 4. 5, ubi addere poteram, eandem notationem simul ad Hippiam Eleum pertinuisse, cujus de interpretatione vocabuli πολύτροπος vide Platon. Hipp. minor. cap. 3 ed. Tur. p. 178 A 6 sqq. Adversus Antisthenem fortassis etiam ad ε 209 Aristarchus diplam posuit, et ad η 257; sed hoc incertum; ι 106. 525 illum respexisse Aristarchum pro explorato habeo. Alcibiadem cum Achille ab Antisthene esse comparatum scribunt Proclus et Olympiodorus quorum verba apposuit Winkelm. p. 18. Apponentem Olympiodorus facit Antisthenem duos Homeri versus *Β* 673 sq. Sed similia si quae latent apud alios scriptores frustula nunc colligere omnia non vacat; Winkelmann certe non omnia collegit quae poterat. Quod ne confidentius dixisse videar quam verius unum proferam a Winkelmanno omissum Dionis Chrysostomi locum insignem, in orat. 53 (Περὶ Ὁμήρου) § 5 ὁ δὲ Ζήνων οὐδὲν τῶν τοῦ Ὁμήρου ψέγει, ἅμα διηγούμενος καὶ διδάσκων, ὅτι τὰ μὲν κατὰ δόξαν, τὰ δὲ κατὰ ἀλήθειαν γέγραφεν, ὅπως μὴ φαίνηται αὐτὸς αὑτῷ μαχόμενος ἔν τισι δοκοῦσιν ἐναντίως εἰρῆσθαι. ὁ δὲ λόγος οὗτος Ἀντισθένους ἐστὶ πρότερον, ὅτι τὰ μὲν δόξῃ, τὰ δὲ ἀληθείᾳ εἴρηται τῷ ποιητῇ· ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐξειργάσατο αὐτόν, ὁ δὲ καθ' ἕκαστον τῶν ἐπὶ μέρους ἐδήλωσεν. ἔτι δὲ καὶ Περσαῖος ὁ τοῦ Ζήνωνος κατὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν γέγραφε καὶ ἄλλοι πλείους. ὁ δὲ Πλάτων κτἑ. Cum his bene quadrant quae ex Juliani or. 7. 215 praeeunte Lobeckio Aglaoph. 1 p. 378 et ex Convivio Xenophontis 3, 6 (collato 4, 6) in medium protulit p. 23 Winkelmann; quae scilicet docent, allegoricam Homeri carmina interpretandi rationem placuisse Antistheni. Est vero Dionis locus maximi momenti propterea quod ex eo discimus, ut in reliqua doctrina sua ita in Homeri explicatione stoicos vestigia pressisse cynicorum, quorum auctorem scis Antisthenem fuisse; quare Diog. L. de Antisthene 6, 14 δοκεῖ δὲ καὶ τῆς ἀνδρωδεστάτης στωικῆς κατάρ-

ξαι. Cfr. eundem § 15. 19. Jam vero memineris velim eorum, quae supra ubi de stoicorum studiis Homericis pauca quidem exposui sed pro consilio hujus libelli legisti scholae Pergamenae doctrinam Homericam continuatam fuisse stoicorum Homericis studiis ipsumque Cratetem caput Pergamenorum fuisse stoicum philosophum. Nunc jam intelligis triplicem fuisse seriem Homericorum sese excipientium cynicorum atque Antisthenis, stoicorum (Zenonis, Persaei, Chrysippi, Cleanthis), Pergamenorum qui sunt a Cratete.

Minoris sane momenti sed digna tamen quae paucis perstringatur necessitudo est quam obtinuisse arbitror inter Antisthenis Homerica studia et sophistarum rhetorumque. Gorgiae discipulum fuisse monui Antisthenem; a Gorgia Isocrates quoque fuit institutus, ab Isocrate et Polycrate Zoilus, a Zoilo Anaximenes Lampsacenus. Hunc Anaximenem Suidas s. v. Ἀναξιμένης (Eudoc. p. 51) non solum a Zoilo sed etiam a Diogene cynico edoctum fuisse perhibet, quae narratio Diogenis Laertii loco 6, 57 confirmari videtur; Diogenem autem cynicum discipulum fuisse scis Antisthenis; et Zoilus ipse aliquo tempore ad sectam cynicorum pertinuisse videtur, siquidem teste Aeliano V. h. 11, 10 vocabatur κύων ῥητορικός. Sed ut concedamus hunc ob solam impudentiam vocatum videri posse canem relinquendumque eum esse solorum rhetorum disciplinae, Polycratis et Isocratis, Diogenem cynicum certe Homericum fuisse Laertius in vita ejus (lib. 6 cap. 2) ostendit crebro eum Homericis versibus utentem faciens. In catalogo scriptorum Diogenis 6, 80 septem tragoediae enumerantur in quibus nonnullae sunt quarum argumenta dicas ex Homero petita; sed eas omitto, quum recte Sosicrates et Satyrus quod refert Laertius l. c. edixisse videantur Diogenem cynicum nullum scripsisse librum. Nominatim tragoedias illas Diogeni abjudicat Phavorinus ap. Laert. 6, 73. Antisthenis autem librorum Homericorum titulos modo propositos qui percurrat eum vix facere posse crediderim quin conjiciat plurimos ex iis similitudinem quodammodo rettulisse libellorum istorum Homericorum a sophistis et rhetoribus conscriptorum de Helena, Paride, Clytaemnestra, Polyphemo, multis aliis

haud dubie personis Homericis. Quamquam hoc probe video interesse inter Antisthenem et rhetoricos sophistas, quod ille non ἐγκώμια scripsisse dicitur Circae, Telemachi, reliquorum, sed Περὶ Κίρκης, Περὶ Τηλεμάχου cett.

Ab Antisthene quo modo alteram grammaticorum scholam celebrem Pergamenorum derivarim eodem modo erunt fortasse qui alteram scholam Alexandrinorum atque Aristarchi, Cratetis qui adversarius fuit, a Platone contendant derivandam esse Antisthenis adversario. A Platone scilicet profectum esse dicent Aristotelem, inter Aristotelem autem atque Alexandrinos grammaticos intercessisse rationes quasdam haud ita parvi faciendas. Atque esse re vera quandam ingeniorum Aristotelis Platonisque cum Alexandrinis affinitatem vix est quod ambigas. Antisthenem hominem acutum magis quam eruditum fuisse Cicero ait Epist. ad Att. 12, 38; quod judicium in totam fere cynicorum sectam et stoicorum et Crateteorum cadere videtur. Contra Alexandrinos, Aristotelem, Platonem et acutos fuisse et eruditos nemo facile negabit. Porro hoc certum est, praeivisse Platonem in Homericis multa Alexandrinae scholae, uti mox videbimus, plurimique Aristarchum et Aristarcheos fecisse operam a Platone Homero impensam. Sed Aristoteles in Homericis quidem nonnullis ita sensit ut Alexandrini et Plato, in aliis tamen iisque gravissimis a Platone recessit, quem Alexandrini postea sequi maluerunt. Itaque Alexandrinos Homericos qui dixerit esse a Platone adversantem me non habebit; sed si Aristotelem immiscuerit aliquam διαδοχὴν doctrinae fuisse statuens a Platonis temporibus per peripateticos ad Aristarchum vel antecessores ejus Aristophanem et Zenodotum, vehementer equidem refragabor.

Plato, philosophorum Homerus Panaetio dictus ap. Cicer. Tuscull. 1 cap. 32 (cfr. Longin. frgmt. 3 p. 69 Egger.), Antisthenis adversarius (vid. Athen. 5, 63 Winkelm. Antisth. p. 35 not. 37 not. 48 not. 50 not.), quamvis non peculiares, ut Antisthenes, de Homero scripserit libros, Homericus tamen fuit si quis alius. Quod docere possunt vel tituli librorum scriptorum de rationibus quae intercedant inter Homerum et Platonem; quorum sat magnus est numerus. Tu recentiorum scriptiones huc pertinentes vide enumeratas a Lauero in Historia

poëseos Homericae p. 6 not. 7, ubi addendus Rassowii libellus quem supra indicavi ubi de Aristotele agebam. Veterum opera Lauer indicavit quattuor, nominata a Suida (s. vv.), Aristoclis Messenii *Πότερον σπουδαιότερος Ὅμηρος ἢ Πλάτων*, Dionis Chrysostomi *Ὑπὲρ Ὁμήρου πρὸς Πλάτωνα δ´*, Sarapionis Aelii *Εἰ δικαίως Πλάτων Ὅμηρον ἀπέπεμψε τῆς πολιτείας*, Telephi Pergameni *Περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας*. His quintus accedit de quo monui in Jahnii Annall. 67, 3, 249 Ammonii Aristarchei liber *Περὶ τῶν ὑπὸ Πλάτωνος μετενηνεγμένων ἐξ Ὁμήρου*, nominatus a Didymo *I* 540. Indicavit Lauer Maximi Tyrii dissertationem 23 *Εἰ καλῶς Πλάτων Ὅμηρον τῆς πολιτείας παρῃτήσατο*. E republica illa, quam animo sibi finxit ut optimam descripsitque libris *Περὶ πολιτείας*, Homerum Plato expulit, quia poëseos totius indoles a moribus civium quales in illa *πολιτείᾳ* esse deberent aliena visa est; quod non impedivit eundem quominus Homerum admiraretur summopere imitareturque ipse. Vide primum Maximum Tyr. 23, 4 Dionys. Hal. ep. Ad Pompej. cap. 1 Dionem Chrysost. or. 53 cap. 5, dein Platonis rempublicam ipsam, imprimis 1 p. 334 A Steph. (424 A 45 Tur.) 2 p. 363 A Steph. (436 B 27 Tur.), 364 D (437 A 37), 377 D (442 B 35), 378 D (443 A 27), 379 C (443 B 15), 381 D (444 A 45), 383 A (445 A 11), librum tertium ab initio, 4 p. 424 B (462 A 23), 5 p. 468 C (480 A 13), 7 p. 516 D (498 A 17), librum decimum ab initio, ubi quae leguntur dilucide declarant quid vituperet quid laudet auctor in Homero quaeque rationes ipsi cum illius carminibus intercesserint inde a puero. E ceteris locis, quibus laudes Homeri habet Plato, mittendi videntur nonnulli, quibus summam Homeri auctoritatem esse affirmat, quoniam ibi non sine ironia dici licet contendere, veluti Theaetet. 153 A (74 B 43). Huc etiam tales laudes pertinent quales Theaetet. 194 E (96 A 13) *ὁ πάντα σοφὸς ποιητής*, Phaedon. cap. 43 p. 48 A 17 Tur. *Ὁμήρῳ θείῳ ποιητῇ*, Ion. cap. 1 p. 254 A 19 *Ὁμήρῳ τῷ ἀρίστῳ καὶ θειοτάτῳ τῶν ποιητῶν*, Legg. 6 p. 776 E (609 A 44) *ὁ σοφώτατος τῶν ποιητῶν*. Diversa est ratio ejus quem indicavi loci, Rpbl. 10 initio p. 595 C (529 A 15), ubi de Homero dicitur *ἔοικε μὲν γὰρ τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν τραγικῶν πρῶτος διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γε-*

νέσθαι. Similiter Rpbl. 10 p. 598 D (530 B 27 Tur.) Plato Homerum appellat τὸν τῆς τραγῳδίας ἡγεμόνα; 10 p. 607 A (534 A 35) idem concedendum esse dicit Homerum ποιητικώτατον esse καὶ πρωτον τῶν τραγῳδοποιῶν, Theaetet. p. 152 E (74 B 36) Homerum et Epicharmum τῶν ποιητῶν τοὺς ἄκρους ille vocat τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμον, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρον. Redeo ad locum libri Rpbl. 10 init., ubi verbis quae proposui antecedunt haec (p. 595 B = 529 A 13): καίτοι φιλία γέ τίς με καὶ αἰδὼς ἐκ παιδὸς ἔχουσα περὶ Ὁμήρου ἀποκωλύει λέγειν. Hoc ante oculos habuisse videtur Maximus Tyrius 32, 3 quum scriberet Platonem θρέμμα τῆς Ὁμήρου ᾠδῆς esse. Pergit autem is ita: κἂν γὰρ ἐξομόσηται τόνδε διδάσκαλον, ὁρῶ τὰ γνωρίσματα, καὶ συνίημι τῶν σπερμάτων· „κείνου τοι τοιοίδε πόδες, τοιαίδε τε χεῖρες, | ὀφθαλμῶν τε βολαί, κεφαλή τ' ἐφύπερθέ τε χαῖται (δ 149 sq)“, ὥστε καὶ ἐπιτολμήσαιμι ἂν εἰπεῖν ἔγωγε, ἐμφερέστερον εἶναι Πλάτωνα Ὁμήρῳ μᾶλλον ἢ Σωκράτει, κἂν τὸν Ὅμηρον φεύγῃ, κἂν διώκῃ τὸν Σωκράτην. In libro De sublimitate Longini nomine inscripto cap. 13 Ὁμηρικώτατος omnium Plato nuncupatur. Adscribam loci eam partem, quae maxime est memorabilis: μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο; Στησίχορος ἔτι πρότερον ὅ τε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων, ἀπὸ τοῦ Ὁμηρικοῦ ἐκείνου νάματος εἰς αὑτὸν μυρίας ὅσας παρατροπὰς ἀποχετευσάμενος. Videntur autem sex potissimum fuisse caussae, cur Homericum Platonem haberent veteres, quas breviter recensere juvat.

Primum igitur dogmata quaedam sua Platonem ex Homero derivasse illi censebant. Exemplo ex multis unus esto Themistii locus 15 p. 189, ubi quod Plato δικαιοσύνην μετὰ φρονήσεως ὁμοίωσιν esse contendat πρὸς τὸν θεὸν ex versibus τ 109 sqq is didicisse perhibetur. Atque hoc quidem omnibus fere philosophis Graecis contigit ut quae decrevissent ipsi ea ex Homero hausisse putarentur. Platonem vero in eo quoque simillimum esse Homero autumabant, quod placita sua non proferret e sua ipsius persona defenderetque sed dialogorum forma adoptata efficeret ut personarum colloquiis quasi ante oculos legentium reperiri viderentur quae essent vera; cui generi disputandi vis quaedam propria inesset depin-

gendi vivide atque demonstrandi. De hac caussa dignus est qui legatur Dionysius Hal. Art. rhetor. 10, 2. Venio ad tertium argumentum, quod totam sermonis Platonici indolem atque colorem Homericum esse dicebant. Huc primum pertinet quod Olympiodorus vit. 1 Platon. Westerm. *Βιογρ.* lin. 13 sqq apes infanti Platoni os implevisse narrat melle, *ἵνα ἀληθὲς περὶ αὐτοῦ γένηται „τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή"*. Dein conferendus Dionysius Hal. De compos. verborr. cap. 24, qui postquam tria esse compositionis genera declaravit, austerae, politae floridaeque, communis mediaeque, hujus perfectissimae *μεσότητος* exemplum summum atque auctorem primum contendit Homerum exstitisse; a quo longe superari quorum idem sit character, e lyricis Stesichorum et Alcaeum, e tragicis Sophoclem, ex historicis Herodotum, ex oratoribus Demosthenem, e philosophis Democritum, Platonem, Aristotelem. *τούτων γάρ*, inquit, *ἑτέρους εὑρεῖν ἀμήχανον ἄμεινον κεράσαντας τοὺς λόγους.* Et hoc quidem loco socios addi vides e philosophis Platoni Democritum et Aristotelem; sed in libro *Περὶ τῆς Δημοσθένους δεινότητος* cap. 41 idem Dionysius *τῆς τρίτης ἁρμονίας* (quae illa ipsa est *μεσότης*) *κράτιστον μὲν γενέσθαι κανόνα* dicit *τὸν ποιητὴν Ὅμηρον, ζηλῶσαι δ' αὐτὸν πολλοὺς ποιητάς, συγγραφεῖς τ' ἀρχαίους καὶ φιλοσόφους καὶ ῥήτορας· τῶν δ' ἐν λόγοις δυναστευσάντων, οὓς αὐτὸς κρατίστους εἶναι πείθεται, δύω παρασχέσθαι ἀρκέσει μόνους, συγγραφέων μὲν Ἡρόδοτον, φιλοσόφων δὲ Πλάτωνα· καὶ γὰρ ἀξίωμα καὶ χάρις αὐτῶν ἐπιτρέχει ταῖς ἁρμονίαις.* Cum Platone et Homero Demosthenem composuit Dionysius Art. rhetor. 10, 19 et Longinus De sublim. 36; cum Platone et Homero Demosthenem et Thucydidem Longinus De subl. 14; cum Platone et Homero Thucydidem Dionysius Art. rhetor. 11, 2. Sequitur quartum argumentum syntacticum illud, Platonem in multis Homerice verba construere. Sic e. g. quod tractavi Aristonn. p. 10 sqq 23. 25, Homerum saepissime *περιττῶς* addere *τὸν σύνδεσμον „καί"* Alexandrini et maxime Aristarchus observaverunt; idem illi observaverunt in Platone. Schol. Alcibiad. 1 cap. 1 ed. Tur. p. 916 B 33 *οὗ σὺ τὴν δύναμιν καὶ ὕστερον πεύσει: οὐχ ὡς καὶ πρότερον αὐτοῦ πεπυσμένου, ἀλλὰ παραπληρωματικός ἐστιν ὁ „καί" σύνδεσμος, ὡς καὶ παρ'*

Ὁμήρῳ· „ᾧ καὶ τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν (B 827)“. Videnda quae de hoc ipso Homeri versu scripsi l. c. p. 11 sq. Alcibiadem priorem autem si forte spurium judicas, sexcenta alia exempla tibi porrigi possunt, veluti Rpbl. 1 p. 331 A Steph. (423 A 17 Tur.) *ὡς καὶ Πίνδαρος λέγει*. Rpbl. 2 p. 364 D (437 A 38) *τὸν Ὅμηρον μαρτύρονται, ὅτι καὶ ἐκεῖνος εἶπε „λιστοὶ δέ τε καὶ θεοὶ αὐτοί“ κτέ.* In scriptione modo indicata p. 14. 29 Homericum tetigi *παθητικῶς* dicendi morem, quo medium verbi genus prorsus eodem sensu quo activum ponitur; idem usus medii in Platone notatus fuit ab Alexandrinis, e. g. Timaei p. 22 D Steph. (707 A 1 Tur.) „*λυόμενος*“ *ἀντὶ τοῦ* „*λύων*“; vide scholl. p. 947 B 35 Tur. Homerum saepissime *παραλλήλως* dicere notavit Aristarchus, de qua re conf. Aristonn. p. 4 sq; idem in Platone notatum esse v. c. Timaeus docet Lex. Platon. p. 979 B 23 Tur. *Αὔην καὶ ξηράν* (Legg. 6 p. 761 C Steph. 602 B 41 Tur.): *παραλλήλως εἶπεν. ἔστι δὲ ταὐτόν.* Transeamus ad quintum argumentum, glossarum Homericarum usum, cujus exempla sunto *Ἁμόθεν* Legg. 7 p. 798 B (618 B 43 Tur.) cfr. Aristonn. p. 10 et Tim. Glossar. Platon. p. 974 B 26 Tur. *Ἀρνυμένους* Legg. 7 p. 813 E (625 B 42) et Rpbl. 1 p. 346 C (429 B 16) cfr. scholl. p. 926 B 37 Tur. *ἄρνυσθαι* Protagor. cp. 33 p. 170 A 24 Tur. cfr. Aristonn. p. 7 Tim. Glossar. p. 978 B 12 Tur. *Ἰδίειν* Tim. p. 990 B 5 Tur., cfr. not. *Ἰνδαλλόμενον* Legg. 12 p. 959 B (689 A 25) *ἰνδαλλόμενοι* Rpbl. 2 p. 381 E (444 B 8) *ἰνδάλλεται* Theaetet. p. 189 E (93 B 16) cfr. Tim. p. 990 B 28 Tur. *Μαρμαρυγῆς* Rpbl. 7 p. 518 A (498 B 26) *μαρμαρυγάς* Rpbl. 7 p. 515 C (497 B 6) Tim. p. 68 A (725 A 44) Critiae p. 116 C (747 B 36) *Μέρμερος* Hipp. maj. p. 290 E (823 A 20) cfr. scholl. 965 B 18 Tur. Tim. Lex. p. 995 A 28 Tur. *Συνερίθοις* Rpbl. 7 p. 533 D (504 B 41) *συνέριθοι* Legg. 10 p. 889 D (658 B 17) cfr. scholl. p. 944 A 26 Tur. Tim. Lex. p. 1003 A 22 Tur. *Σφεδανόν* Tim. Lex. p. 1003 A 30 Tur. Innumerabilia ut in ceteris ita in hac re addere possem exempla; rem a veteribus accurate fuisse tractatam vel Maximus Tyr. 32, 3 docet. Reliquum est sextum hoc ipsum de quo Ammonium librum scripsisse peculiarem monui quodque Dio Chrysost. or. 53, 2 commemorat, ubi postquam Democriti, Aristarchi, Cratetis, Aristotelis, Heraclidis Pontici tetigit studia Homerica

pergit *τούτων δὲ πρότερος Πλάτων πανταχοῦ μέμνηται* (intell. *Ὁμήρου*), *τὴν μὲν ἡδονὴν καὶ χάριν τὴν τῶν ἐπῶν ἐκπληττόμενος, πολλάκις γε μὴν ἐπιμεμφόμενος ἐν τοῖς περὶ θεῶν μύθοις τε καὶ λόγοις κτέ.* Verissime dictum illud *πανταχοῦ μέμνηται*; nam ubique sane Plato Homeri rationem habuit, saepissime versus integros transscribens, saepe aut nominato aut non nominato Homero alludens ad eum. Atque hoc tam arcte cum usu illo glossarum Homericarum de quo modo egi cohaeret ut haud raro vix discernas utrum alludere ad Homerum voluerit Plato an non. Jam ut alludendi quoque hoc genus exemplis nonnullis illustretur haud ambiguis videas Phaedon. cap. 44 (p. 48 A 32 Tur.): *ἀλλὰ δὴ ταῦτα μὲν τῷ θεῷ μελήσει, ἡμεῖς δὲ Ὁμηρικῶς ἐγγὺς ἰόντες πειρώμεθα εἰ ἄρα τι λέγεις.* Gorg. cap. 3 p. 214 B 4 Socrates Gorgiam interrogans *ῥήτορα ἄρα χρή σε καλεῖν*; respondet Gorgias *ἀγαθόν γε, ὦ Σώκρατες, εἰ δὴ ὅ γε εὔχομαι εἶναι, ὡς ἔφη Ὅμηρος, βούλει με καλεῖν.* Protagor. cap. 26 p. 166 A 43 Tur. excitatis Homeri versibus Φ 308 sq ita pergitur *ἀτὰρ καὶ ἐγὼ σὲ παρακαλῶ, μὴ ἡμῖν ὁ Πρωταγόρας τὸν Σιμωνίδην ἐκπέρσῃ.* Protagor. cap. 7 p. 156 A 34 Tur. nominatis nonnullis dialogi personis narratur *τὸν δὲ μετ᾽ εἰσενόησα, ἔφη Ὅμηρος, Ἱππίαν τὸν Ἠλεῖον, καθήμενον ἐν τῷ κατ᾽ ἀντικρὺ προστῴῳ ἐν θρόνῳ· περὶ αὐτὸν δ᾽ ἐκάθηντο ἐπὶ βάθρων Ἐρυξίμαχος — καὶ Φαῖδρος — καὶ Ἄνδρων — καὶ ἄλλοι τινές.* Qui quid egerint postquam indicatum, pergit narrator p. 156 B 1 Tur. *καὶ μὲν δὴ καὶ Τάνταλόν γε εἰσεῖδον. ἐπεδήμει γὰρ ἄρα Πρόδικος ὁ Κεῖος κτέ.* Alludi vides ad λ 601. 582. Ad λ 634 alluditur Sympos. p. 198 C Steph. (781 A 1 Tur.) *καὶ γάρ με Γοργίου ὁ λόγος ἀνεμίμνησκεν, ὥστε ἀτεχνῶς τὸ τοῦ Ὁμήρου ἐπεπόνθη· ἐφοβούμην μή μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίου κεφαλὴν δεινοῦ λέγειν ἐν τῷ λόγῳ ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πέμψας αὐτόν με λίθον τῇ ἀφωνίᾳ ποιήσειε.* Versus Homeri quos integros Plato transscripsit omnes recepti videntur esse in eum quem editio Turicensis p. 1062 sqq exhibet indicem. Hos versus intextos dialogis Platonicis tractavisse Ammonius Aristarcheus eo consilio censendus est ut examinaret *πῶς Πλάτων προφέρεται*, i. e. quo modo ille legisset eos, *τίνας γραφὰς* vel praeoptasset vel novisset solas. Quod operae pretium

erat quam maxime examinare; nam ad ipsum Platonis aevum referendae videntur antiquissimae ex editionibus, vetustissimi ex codicibus Homeri quibus Alexandrinis grammaticis uti licuit. Sed de ea re infra videbimus; nunc non praetermittendum, in plerisque a Platone firmari eas *γραφάς*, quae in Bekkeriana Homeri editione receptae sunt, reperiri tamen non pauca diversa. Sic e. g. versus *ϱ* 322 sq ita Bekker *ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς* | *ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν*. Plato Legg. 6 p. 777 A (609 B 1) *ἥμισυ γάρ τε νόου ἀπαμείρεται εὐρύοπα Ζεύς* | *ἀνδρῶν οὓς ἂν δὴ κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν*. Quod non falsum memoria Platonem scripsisse apparet sed usum codice qui scripturas *νόου*, *ἀπαμείρεται*, *ἀνδρῶν οὓς ἂν δή* exhibebat. Ammonii consilium amplificans Trypho grammaticus, quem una fere aetate inferiorem Ammonio fuisse probabile duco, non Platonis solius sed omnium fere antiquiorum scriptorum Graecorum Homericos locos excussisse scripturasque eorum conjunctas proposuisse videtur in opere *Περὶ τῆς ἀρχαίας ἀναγνώσεως* quod memoratur scholl. *Γ* 122 *Ε* 299.

In vita quotidiana ut alii permulti ita Plato quoque versibus Homericis videtur usus esse, cujus rei exemplum est in vita 1 Plat. West. lin. 77 vit. 2 lin. 116 Diog. L. 3, 5. Quibus locis narratum simul hoc reperies, Platonem antequam philosophiae se dedit fuisse poëtam confecisseque plurima carmina: quod cum Homerico ejus *ζήλῳ* cohaerere liquet. Superstites versus ad Platonem relatos habes apud Diog. L. 3, 29 sqq vit. 1 Plat. lin. 66 vit. 2 lin. 100.

In explicandis Homericis vocabulis quid fere praestiterit Plato optime intelligitur e Cratylo dialogo, quocum conferendi alii loci pauci, veluti Theaetet. p. 194 C (96 A 3). Videntur illo tempore maxime quaesivisse et sophistae (cfr. Euthydem. cp. 7 p. 138 B 17 Tur. Phaedr. p. 267 C Steph. = 812 A 7 Tur.) et Socratici *περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος*, qua de re Cratylus dialogus est scriptus (cfr. Diog. L. 3, 58); quem qui perlegat fieri non potest quin veniant in mentem Aristarchi diplae *ὅτι ὀνοματοθετικὸς ὁ ποιητής*. Hoc Plato praeivit Aristarcho. Confer e. g. Friedlaenderi Aristonicum *Ε* 60 *Ζ* 18 *Μ* 342.

Cratyli capite 23 p. 197 A 1 Tur. Socratem Plato fecit indicantem, plurimos e claris sui temporis Homericis (τοῖς νῦν περὶ Ὅμηρον δεινοῖς) allegorice interpretari Homerum. Hanc interpretandi rationem Platonem suam non fecisse manifestum est. Concedit autem diserte ille Rpbl. 2 p. 378 D = 443 A 28 in censum eam esse admittendam aestimantibus Homeri dignitatem et utilitatem, atque ludens ipse nonnullis locis Socratem facit in allegorias convertentem poëtae verba, prout Xenophon Memorabb. 1, 3, 7. Conf. Theaetet. p. 153 C = 75 A 26 p. 194 C = 96 A 2. Unum locum in dialogis Platonis nomine inscriptis me legere memini, ubi serio Socrates inculcet poëtas et maxime Homerum per involucra conspicienda ostendere quae sentiant: *ἀλλ' αἰνίττεται, ὦ βέλτιστε, καὶ οὗτος* (loquitur nimirum de Homero) *καὶ οἱ ἄλλοι δὲ ποιηταὶ σχεδόν τι πάντες. ἔστι τε γὰρ φύσει ποιητικὴ ἡ ξύμπασα αἰνιγματώδης καὶ οὐ τοῦ προστυχόντος ἀνδρὸς γνωρίσαι· ἔτι δὲ πρὸς τῷ φύσει τοιαύτη εἶναι, ὅταν λάβηται ἀνδρὸς φθονεροῦ τε καὶ μὴ βουλομένου ἡμῖν ἐνδείκνυσθαι ἀλλ' ἀποκρύπτεσθαι ὅτι μάλιστα τὴν αὑτοῦ σοφίαν, ὑπερφυῶς δὴ τὸ χρῆμα ὡς δύσγνωστον φαίνεται, ὅ τί ποτε νοοῦσιν ἕκαστος αὐτῶν.* Verba sunt Socratis in Alcibiade 2 cap. 10 p. 336 B 4 Tur., quem dialogum falso referri ad Platonem non est quod ambigas. Aristotelem minime alienum fuisse ab allegorica Homeri explicatione vel unum fragmentum illud probat quod e scholiis μ 129 protuli supra. Reliquam si spectes antiquitatis Homericae scientiam observata Platoni jam fuisse quaedam videbis, de quibus postea ab Alexandrinis acriter disputatum. Vide e. g. Rpbl. 3 p. 404 B (453 B 41) *οἶσθα γὰρ ὅτι ἐπὶ στρατείας ἐν ταῖς τῶν ἡρώων ἑστιάσεσιν οὔτε ἰχθύσιν αὐτοὺς ἑστιᾷ* (intell. Ὅμηρος), *καὶ ταῦτα ἐπὶ θαλάττῃ ἐν Ἑλλησπόντῳ ὄντας, οὔτε ἑφθοῖς κρέασιν ἀλλὰ μόνον ὀπτοῖς κτἑ.* Observationem de assatis et coctis carnibus Aristarchus postea ita restrinxit, ut legis apud Aristonicum Φ 362 *ἡ διπλῆ ὅτι οἶδεν ἕψησιν κρεῶν, χρωμένους δὲ τοὺς ἥρωας οὐ παρεισάγει.* Cfr. Lehrs Aristarch. p. 348. Alteram observationem de esu piscium factam (cfr. Dion. Chrysost. or. 2 cp. 47) postea chorizontes maxime ursisse discimus e scholio Aristonici Π 747; ibi enim narratum est, secundum chorizontes

Iliadis poëtam οὐ παρεισάγειν τοὺς ἥρωας χρωμένους ἰχθύσι, τὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας. Aristarchi sententiam ibidem reperies appositam; Platonem etiam in hac re viam praeivisse Aristarcho videbis, Aristarchum leviter Platonem correxisse. Recentiores poëtas Graecos putasse supra notavi, Homero Achillem Patrocli fuisse amatorem; quam opinionem ab Aristarcho esse rejectam; intellexit is Homero Patroclum majorem natu esse quam Achillem. Atque hoc jam Plato observaverat homo vere divinus, qui Sympos. p. 180 A = 773 A 15 Aeschylum contendit falso Achillem facere amatorem Patrocli; Patroclum enim Homeri majorem natu esse quam Achillem, hunc autem pulchriorem quam Patroclum et omnes heroes. Quod ipse Plato statuit eodem loco, Patroclum potius amatorem fuisse Achillis, in eo ille erravit; correxit Aristarchus.

Redeamus ad chorizontes. Horum opera in quo evincendo tota fuit posita, Odysseam diversissimam esse ab Iliade, ne id quidem a Platonis cogitatione prorsus alienum videtur fuisse. Evolvas Hippiam minorem cap. 1 p. 177 A 8 Tur.; reperies Socratem exponentem, sese audivisse, ὅτι ἡ Ἰλιὰς κάλλιον εἴη ποίημα τῷ Ὁμήρῳ ἢ ἡ Ὀδύσσεια. Odysseam certe ut Homero eriperet Plato tantum afuisse vides, ut Homeri eam quoque esse hoc ipso loco addiderit; atque non ita pauci accedunt alii loci, quibus Odysseam simul et Iliadem ut Homeri carmina nominat, veluti Hipp. minor. cap. 4 p. 178 A 41 Tur.; attamen προτετυπωμένως in Hippiae illo loco tangi id a quo chorizontes videntur profecti esse vix negaveris. Atque hoc, quod modo prodidi, Odysseam et Iliadem saepius ut Homeri carmina una nominari a Platone, Alexandrinorum quodammodo redolet sententiam eam, qua praeter Iliadem certe et Odysseam ad Homerum nihil referendum esse censebatur. Et hoc quidem observavi, praeter Iliadem et Odysseam a Platone nullum carmen Homeri designatum esse nomine. Nam quos versus ille Phaedr. 252 B = 804 B 24 ut ἀπόθετα Ὁμηριδῶν ἔπη profert, ea ille hoc ipso titulo aliena sese judicare ab Homero clare indicat. Cypriorum carmen laudatur Euthyphron. cap. 13 p. 6 B 41 Tur. (cfr. scholl. p. 892 B 12) ut alius poëtae, non Homeri foetus. Epitaphium Midae in vita Homeri 1 cap. 11 ad Homerum relatum a Platone ita

profertur Phaedr. p. 264 C = 810 B 22, ut Homerum certe ejus auctorem non habuisse illum appareat. Margites ad Homerum disertis verbis refertur in Alcibiade 2 cap. 10 p. 336 B 15 (cfr. A 39); sed hunc dialogum Platonis non esse monui. Ab Aristotele Margiten Homero adscribi vidimus. In spuriis Iliadis et Odysseae versibus discernendis et ejiciendis criticam exercuisse Plato non videtur. Certe notatum non repperi apud eum versum ut spurium; complures autem locos, quos Alexandrini obelis appositis damnarunt, diserte ille ad Homerum rettulit. Vide in Turicensi indice versus e libro ω excitatos vel ex λ 565—627, quorum duos 601. 582 in Protagora tangi supra vidisti. Memorabile autem visum, apud Platonem neque ex Iliade petitum neque ex Odyssea reperiri ne unum quidem versum, qui hodie in contextu quem dicunt Homeri non legatur, quales multos fuisse quum alia docent tum maxime Aristarchi diplae illae punctatae *ὅτι Ζηνόδοτος ὑποτάσσει στίχον*, purae *ὅτι τινὲς ὑποτάσσουσι στίχον* (*στίχους*). Talibus versibus, quales Alexandrini non obelis notarunt sed ne scripserunt quidem, codices Homeri eos, quibus Aeschines et Aristoteles usi sunt, refertos fuisse constat; Platonem igitur multo melioribus atque antiquioribus codicibus quam illos duos viros doctos usum fuisse certum habeto. Qua in re tacendum non est, quod in recentiores Homeri editiones illati sunt versus nonnulli Θ 548 sqq ex Alcibiade 2 cap. 13 p. 337 B 17 Tur., ubi ut Homeri illi laudantur; auctorem vero hujus dialogi Platonem non esse bis jam monui. Scholiastae Homeri ad unum omnes quinque versus Θ 548—552 ignorant; codices Homeri mspti unum exhibent Θ 549 *κνίσην δ' ἐκ πεδίου*; hunc igitur Bekker in contextu retinuit, reliquos illos quattuor, qui Pseudoplatonis sola auctoritate nituntur, in marginem inferiorem rejecit. Wolfius versus quinque 548—552 uncis inclusit.

Platonem non minus difficilem esse intellectu quam Homerum contendunt vitarum auctores primae lin. 70 sqq alterius lin. 42; quorum prior l. c. de Platone *ἄληπτος δ' ἐστίν, ἐπειδὴ καὶ φυσικῶς καὶ ἠθικῶς καὶ θεολογικῶς καὶ ἁπλῶς πολλαχῶς ἔστιν ἀκούειν τῶν αὐτοῦ, καθάπερ καὶ τῶν Ὁμήρου.* Quo factum est ut prorsus eadem ratione qua Homeri carmina etiam Platonis dialogi a grammaticis distinguerentur signis cri-

ticis (σημείοις), quorum recensum exhibet Diogenes Laertius 3, 65. Quod contigit Homero ut a Zoilo rhetore castigaretur idem Platoni testibus Dionysio Hal. epist. Ad Pomp. cap. 1 et Aeliano V. h. 11, 10. Diplis Aristarchum ad Homerum appositis Platonem saepius respexisse certum est, quamquam servatae Aristonici annotationes Platonis nomen non exhibent. Sic e. g. diplas illas, de quibus Lehrs Arist. p. 104, quibus notatum fuit ὅτι τὸ ἦ (ἔφη) Ὅμηρος μὲν ἀεὶ ἐπὶ προειρημένοις λόγοις ἐπιφέρει, esse πρὸς Πλάτωνα commonstrat Herodianus *Α* 219. Diplam *Ρ* 588 appositam, ubi μαλθακὸς αἰχμητής Menelaus dicitur qui alibi (*Γ* 52) ἀρηίφιλος, adversus Platonem esse intelligitur collato Platonis Symposio p. 174 C Steph. (770 B 3 Tur.), quod Friedlaender Arist. p. 82. 278 non annotavit. Borysthenitas Dio Chrysost. or. 36 perhibet Homerum tantopere colere, ut pro deo fere eum habeant; praeter eum ex reliquis magnis Graecorum poëtis illos neminem novisse, ne Phocylidem quidem Milesium, quamvis ipsi traxerint originem a Milesiis; Platonica tamen studia nonnullos e Borysthenitis cum Homericis conjungere, cap. 26. 28. 29. Simili modo Homerica potissimum studia nonnullos philosophos videmus conjunxisse cum Platonicis; vide e. g. Suidam s. vv. Μάξιμος Τύριος, Πορφύριος, Πρόκλος Λύκιος, Συριανός, Φαβωρῖνος. Apte Platonica cum Homericis conjungi posse demonstrat Maxim. Tyr. 23, 3.

A Praxiphane, Theophrasti discipulo, Diogenes Laertius 3, 8 dialogum confectum esse ait quo introducti fuerint Plato et Isocrates colloquentes περὶ ποιητῶν; Platonis ipsius exstat dialogus Ἴων inscriptus (edidit cum prolegomenis et annotationibus G. G. Nitzsch Lipsiae 1822) vel, si audis Diogenem L. 3, 60, Ἴων ἢ Περὶ Ἰλιάδος, quo Socratem ille facit cum Ione Ephesio rhapsodo colloquentem de arte rhapsodorum, quod hominum genus illis temporibus quum aliorum poëtarum, ut Hesiodi, Archilochi (cap. 2 p. 254 B 20 cap. 3 p. 255 B 16 cfr. Legg. 2 p. 658 D = 557 A 14), tum maxime Homeri carmina publice declamabant. In eo dialogo pluribus nominibus admodum memorabili, si recte numeravi, 25 Homeri versus e quinque locis depromptos προφέρεται Plato. Interpretes porro Homeri qui illo tempore quo habitum esse auctor

finxit dialogum maxime fuerint celebrati nominantur cap. 2 p. 254 B 8 Tur. Videntur iidem esse qui Cratyl. cap. 23 p. 197 A 1 Tur. dicuntur *οἱ νῦν περὶ Ὅμηρον δεινοί*. Epidauri porro in Asclepieis, Athenis in Panathenaeis rhapsodorum certamen fuisse Homeri carmina recitantium legimus Ionis cap. 1 init. Quocum loco conjungi debent quae in Timaeo p. 21 Steph. (p. 706 A 28 sqq Tur.) de pueris in Apaturiis veterum poëtarum carmina, Solonis, Homeri, Hesiodi, aliorum recitantibus narrantur (cfr. scholl. p. 947 A 16 sqq Tur.), quaeque in Hipparcho p. 228 B (374 A 20), Hipparchum Pisistrati filium Homeri carmina primum in Atticam transtulisse curasseque in Panathenaeis ea canenda ordine constituto prout etiam auctoris tempore fiat certamen a rhapsodis.

De patria aetateque Homeri Plato nusquam egit; attamen Creophyli mentionem injecit Rpbl. 10 p. 600 B (531 A 38 cfr. scholl. p. 938 A 10 Tur. Phot. Lex. s. v. *Κρεόφυλος* Glossar. Platon. p. 993 A 30 Tur.); hunc Creophylum (memoratum supra a nobis) Plato dicit *ἑταῖρον* fuisse et hospitem Homeri; ipsum Homerum pauperem fuisse indicat idem et migrasse per urbes *ῥαψῳδοῦντα*, ut Hesiodum. Cfr. Legg. 2 p. 658 B (556 B 42). In Phaedro p. 243 A (800 B 14) Homerum et Stesichorum obcaecatos esse Plato narrat, quod falsa perhibuissent; et Stesichorum quidem, qui de Helena mentitus fuerit, oculorum lucem recepisse palinodia facta; Homerum vero eum *καθαρμὸν* ignorasse. Talia de Homero non addere supra vidisti Isocratem ubi de Stesichoro eandem quam hoc loco Plato fabulam profert, Hel. enc. 64. 65. Ionica vita depingi ab Homero dicitur Legg. 3 p. 680 C (567 A 36); unde factum videtur esse quod auctor libelli quem Timaei Locri nomine inscriptum Platonicis interponere solent p. 104 D (741 B 43) Homerum dixit *τὸν Ἰωνικὸν ποιητάν*.

Quod Plato in Homero vituperat maxime narrationes de diis illum exhibuisse aegre ferens nec modestas nec veras, id nonnulli ex iis qui Platone superiores fuerunt philosophi offenderunt, nominatim Heraclitus Ephesius, Xenophanes Colophonius, Pythagoras Samius. Diog. L. 8, 21 (Suid. s. v. *Πυθαγόρας*) *φησὶ δὲ Ἱερώνυμος κατελθόντα αὐτὸν* (int. *τὸν Πυθαγόραν*) *εἰς Ἅιδου τὴν μὲν Ἡσιόδου ψυ-*

χὴν ἰδεῖν πρὸς κίονι χαλκῷ δεδεμένην καὶ τρίζουσαν, τὴν δὲ Ὁμήρου κρεμαμένην ἀπὸ δένδρου, καὶ ὄφεις περὶ αὐτήν, ἀνθ' ὧν εἶπε (v. l. εἶπον) περὶ θεῶν. Idem 9, 1 μεγαλόφρων δὲ γέγονε (intell. ὁ Ἡράκλειτος) παρ' ὁντιναοῦν, καὶ ὑπερόπτης, ὡς καὶ ἐκ τοῦ συγγράμματος αὐτοῦ δῆλον, ἐν ᾧ φησι Πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει· Ἡσίοδον γὰρ ἂν ἐδίδαξε καὶ Πυθαγόρην, αὖθίς τε Ξενοφάνεά τε καὶ Ἑκαταῖον. εἶναι γὰρ ἓν τὸ σοφὸν ἐπίστασθαι γνώμην, ἥτε οἱ ἐγκυβερνήσει πάντα διὰ πάντων. τόν τε Ὅμηρον ἔφασκεν ἄξιον ἐκ τῶν ἀγώνων ἐκβάλλεσθαι καὶ ῥαπίζεσθαι (allusit ad vocabulum ῥαψῳδός), καὶ Ἀρχίλοχον ὁμοίως. Idem 2, 46 τούτῳ (intell. τῷ Σωκράτει) τις, καθά φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τρίτῳ Περὶ ποιητικῆς, ἐφιλονείκει Ἀντιόλοχος Λήμνιος, καὶ Ἀντιφῶν ὁ τερατοσκόπος, ὡς Πυθαγόρᾳ Κύδων καὶ Ὀνάτας· καὶ Σάγαρις Ὁμήρῳ ζῶντι, ἀποθανόντι δὲ Ξενοφάνης ὁ Κολοφώνιος· καὶ Κέρκωψ Ἡσιόδῳ ζῶντι, τελευτήσαντι δὲ ὁ προειρημένος Ξενοφάνης. Idem 9, 18 γέγραφε δὲ (intell. ὁ Ξενοφάνης) καὶ ἐν ἔπεσι καὶ ἐλεγείας καὶ ἰάμβους, καθ' Ἡσιόδου καὶ Ὁμήρου, ἐπικόπτων αὐτῶν τὰ περὶ θεῶν εἰρημένα. Conferd. Weland De praecipuis parodiarum Homericarum scriptoribus apud Graecos (diss. inaug. Gotting. 1833) p. 15 sqq Bergk Lyrr. Grr. ed. 2 p. 376. 380. Sext. Empir. Advs. mathematicos 1 (Advs. grammaticos) sect. 289 p. 280 Fabric. Ὅμηρος δὲ καὶ Ἡσίοδος κατὰ τὸν Κολοφώνιον Ξενοφάνη „ὡς πλεῖστ' ἐφθέγξαντο θεῶν ἀθεμίστια ἔργα, | κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν". Idem Advs. dogmaticos 3 (Advs. physicos 1) sect. 193 p. 593 Fabr. ἔνθεν καὶ ὁ Ξενοφάνης διελέγχων τοὺς περὶ Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδόν φησι „πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρός θ' Ἡσίοδός τε | ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστίν, | κλέπτειν μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν." Idem Pyrrhonn. hypotyposs. 1 sect. 224 p. 58. 59 διὰ τοῦτο γοῦν καὶ ὑπάτυφον αὐτὸν (intell. τὸν Ξενοφάνη) λέγει (intell. ὁ Τίμων), καὶ οὐ τέλειον ἄτυφον, δι' ὧν φησι „Ξεινοφάνης ὑπάτυφος, ὁμηραπάτης ἐπισκώπτης, | ἐκτὸς ἀπ' ἀνθρώπων θεὸν ἐπλάσατ' ἶσον ἁπάντῃ, | ἀσκηθῆ, νοερωτὸν ἠὲ νόημα". ὑπάτυφον μὲν γὰρ εἶπε τὸν κατά τι ἄτυφον, ὁμηραπάτης δὲ ἐπισκώπτην, ἐπεὶ τὴν παρ' Ὁμήρῳ ἀπάτην διέσυρεν. Versum Timonis trium hoc loco propositorum primum etiam Diogenes Laertius exhibet 1,

18, ubi vulgatur φησὶ γοῦν (intell. ὁ Τίμων) „Ξεινοφάνην ὑπότυφον, ὁμηραπάτην, ἐπικόπτην". In his utrum ὑπάτυφον et ἐπισκώπτην rescribendum sit e Sexto dubitari potest; ὁμηραπάτην aut a Laertio ipso aut ab ejus auctore falso introductum esse pro ὁμηραπάτης liquet; nominativus ἐπικόπτης (ἐπισκώπτης) induxit nescio quem ut ὁμηραπάτης quoque pro nominativo haberet atque cum ἐπικόπτης (ἐπισκώπτης) in accusativum transponendum arbitraretur. Gravissimum habuisse videtur Xenophanes quod pueri in ludis Homero maxime legendo, explicando, ediscendo exercebantur; inde pestem ruere omnium per animos pravas de diis opiniones ferentem. Hoc spectat versus Xenophanis ἐξ ἀρχῆς καθ' Ὅμηρον ἐπεὶ μεμαθήκασι πάντες, servatus ille apud Herodianum Περὶ διχρόνων ed. Lehrs p. 366 Cram. Ann. Oxx. vol. 3 p. 296, 6 vol. 4 p. 415, 18 Dracon. Stratonic. p. 33, 5 Herm. Neque vero universa tantum Homeri de diis doctrina vituperata fuit, sed singuli quoque loci notati, veluti a Pythagora versus *O* 410 sqq propter usum vocis σοφίης (scholl. Bekk. AD *O* 410 Cram. Ann. Parr. vol. 3 p. 21, 2 vol. 4 p. 414, 6 sqq), ab Heraclito versus Σ 107 „ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο", ὅτι σύγχυσιν κόσμου ἐνταῦθα εὔχεται Ὅμηρος· τὴν γὰρ τῶν ὄντων φύσιν κατ' ἔριν συνεστάναι (scholl. Bekk. A et V Σ 107 Eustath. Σ 107 p. 1133, 57 Cram. Ann. Parr. 3 p. 24, 16 Plutarch. De Iside et Osir. 48). Non defuerunt tamen loci Homerici qui morosis illis vituperatoribus placerent; ut Heraclito Δ 4 placuisse scholia produnt (Bekk. Bachm.), Pythagorae locum de Euphorbo *P* 51 sqq (Porphyr. vit. Pyth. cap. 26 Jamblich. vit. Pyth. cap. 14 cfr. Heraclid. Pont. ap. Diog. L. 8, 4 et interprett. Lucian. Gall. 13 Suid. Πυθαγόρας Scholl. Bekk. *P* 28). De tota Pythagoreorum secta Jamblich. vit. Pyth. cap. 25 § 111 cap. 29 § 164 ἐχρῶντο δὲ καὶ Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου λέξεσι διειλεγμέναις πρὸς ἐπανόρθωσιν ψυχῶν. Vituperatione autem sua quod efficere voluerunt illi certe non effecerunt; vide quae Plutarchus Apophthegmm. regg. p. 10 narrat de Hierone: πρὸς δὲ Ξενοφάνην τὸν Κολοφώνιον εἰπόντα μόλις οἰκέτας δύο τρέφειν, ἀλλ' Ὅμηρος, εἶπεν, ὃν σὺ διασύρεις, πλείονας ἢ μυρίους τρέφει τεθνηκώς. Quid quod hos quoque Homeri vituperatores acerbissimos prout Platonem et reliquos

philosophos sua placita ex ipso illo quem vituperaverunt Homero derivasse Graeci censebant? Perhibent de Xenophane scholl. *H* 99 Bekk. Bachm. Eustath. *H* 99 p. 668, 62 Plutarch. vit. Hom. 2 cap. 93 Sext. Empir. Advs. dogmatt. 4 (Advs. physicc. 2) sect. 313 sqq p. 685 Fabric. cfr. Advs. dogmatt. 3 (Advs. physicc. 1) sect. 361 p. 620 Fabr. Pyrrhonn. hypotypp. 3 sect. 30 p. 136 Fabr., de Heraclito Plato Theaetet. p. 152 E (74 B 34) 160 D (79 A 10) 179 E (88 A 23 cfr. scholl. p. 900 A 40) Cratyl. cap. 19 p. 194 B 20 Sext. Empir. Advs. dogmatt. 1 (Advs. logicc. 1) sect. 126 sqq p. 397 Fabr. (cfr. etiam Heraclit. Allegg. Homm. cap. 24. 43), de Pythagora Pseudoplut. vit. Hom. 2 cap. 122. 125. 145. 147. 149. 151 scholl. *A* 46 (Eustath. p. 40, 8) *A* 53 (Cram. Ann. Parr. 3 p. 122, 32) *B* 118 (Bekk. Eustath. 119 p. 187, 25) *Γ* 1 (Bekk.) *O* 138 (Bachm.) *Π* 856 (Bekk. 857 Bachm. 856. 57 Eustath. 857 p. 1090, 31) *Σ* 79 (Eustath. p. 1131, 58 Bekk. vs. 82) *Ω* 129 (Bekk. Eustath. 128 p. 1342, 14) *σ* 79 (Eustath. p. 1838, 46). Jam ut concedamus in hac caussa veteres aut latius justo progressos esse aut quaedam lusisse, tamen philosophos illos re vera ab Homericis studiis esse profectos negari nullo modo potest. Nam ut alia taceam, testatur de Xenophane ipsa docendi ratio; philosophatus enim is est *διὰ ποιημάτων* (cfr. Diog. L. 9, 22), quae Homerico a colore certe aliena non fuisse fragmenta docent; quin etiam certi nonnulli indicari possunt Homeri loci, quos quin imitatus sit Xenophanes fragmenta dubitare non sinunt. Cfr. e. g. locum de Iride *Λ* 27 cum fragmento in scholiis ad eundem Homeri locum servato (Bekk. Bachm. Eustath. *Λ* 24 p. 827, 59). Atque viam ad sillos suos scribendos (ita enim vocabant genus acerbae illius poëseos in quo maxime Xenophanes ingenium suum exercuit) praeivisse illi Homerum dicebant versibus de Thersita factis (scholl. *B* 212 Bekk. p. 62 A 44 Bachm. p. 98, 38 Eustath. p. 204, 21). Locutionem Homericam *ἠέλιος ὑπερίων* Xenophanem rectius interpretatum esse quam Hesiodum, de quo vide Aristonn. p. 8 sq, versus ejus docet *ἠέλιός θ' ὑπεριέμενος γαῖάν τ' ἐπιθάλπων*, servatus scholl. *T* 398 (Bekk.) *Σ* 468 (Bekk. p. 504 B 2) Heraclit. Allegorr. cap. 44. Etiam in hoc Xenophanes sese totum prodidit esse Homericum, quod rhapso-

dorum more carmina sua ipse publice declamabat. Diog. L. 9, 18 *ἀλλὰ καὶ αὐτὸς* (intell. *ὁ Ξενοφάνης*) *ἐρραψῴδει τὰ ἑαυτοῦ*. Pythagoram edoctum esse ab Hermodamante accepimus qui genus suum a Creophylo ducebat, socio illo et hospite Homeri: vide locos collectos a Welckero Ep. Cycl. 1 p. 223 not. 344, quibus addendum schol. Platon. Rpbl. 10 p. 937 B Tur.

Ea quae Pythagoras, Xenophanes, Heraclitus in Homero vituperaverant, alii philosophi poëtae admiratores allegorice explicando et physice maxime excusare studuerunt. Ita imprimis Anaxagoras Clazomenius ejusque discipulus Metrodorus Lampsacenus, quem in praecipuis Homeri interpretibus nominat Plato in Ione cap. 2. Diogenes L. 2, 11 *δοκεῖ δὲ* (intell. *ὁ Ἀναξαγόρας*) *πρῶτος* (*καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν Παντοδαπῇ ἱστορίᾳ*) *τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀποφήνασθαι εἶναι περὶ ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης· ἐπὶ πλεῖον δὲ προστῆναι τοῦ λόγου Μητρόδωρον τὸν Λαμψακηνόν, γνώριμον ὄντα αὐτοῦ, ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν*. Tatian. Ad Graecc. cp. 21 *καὶ Μητρόδωρος δὲ ὁ Λαμψακηνὸς ἐν τῷ Περὶ Ὁμήρου λίαν εὐήθως διείλεκται, πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγων. οὔτε γὰρ Ἥραν οὔτε Ἀθηνᾶν οὔτε Δία τοῦτ' εἶναί φησιν ὅπερ οἱ τοὺς περιβόλους αὐτοῖς καὶ τεμένη καθιδρύσαντες νομίζουσι, φύσεως δὲ ὑποστάσεις καὶ στοιχείων διακοσμήσεις. καὶ τὸν Ἕκτορα δὲ καὶ τὸν Ἀχιλλέα δηλαδὴ καὶ τὸν Ἀγαμέμνονα καὶ πάντας ἁπαξαπλῶς Ἕλληνάς τε καὶ βαρβάρους σὺν τῇ Ἑλένῃ καὶ τῷ Πάριδι τῆς αὐτῆς φύσεως ὑπάρχοντας χάριν οἰκονομίας ἐρεῖτε παρεισῆχθαι, οὐδενὸς ὄντος τῶν προειρημένων ἀνθρώπων*. Hesych. *Ἀγαμέμνονα· τὸν αἰθέρα Μητρόδωρος εἶπεν ἀλληγορικῶς*. Physice quomodo Anaxagoras explicuerit Homerum exemplum habemus in schol. A *Π* 161 *λάψοντες γλώσσῃσιν ἀραιῇσιν μέλαν ὕδωρ | ἄκρον: Ἀναξαγόρας, ἐπεὶ φύσει μέλαν· καὶ γοῦν ὁ καπνὸς μέλας ἐστὶν ἐκ τοῦ ὕδατος τῶν ξύλων ἀνιέμενος. οἱ δὲ διὰ τὴν σκιὰν τῶν φυτῶν*. Praeterea laudatur Anaxagoras in scholiis *P* 547 (Bkk.) *Λ* 27 (Cram. Ann. Parr. 3 p. 14, 13); profectam esse Anaxagorae doctrinam ab Homero clamat Heraclit. All. Homm. cap. 22, indicat Sext. Empir. Advs. dogmatt. 3 (Advs. physs. 1) sect. 4 sqq p. 549

Fabr. Metrodorum in scholiis commemoratum vidi uno loco *K* 252 (Bkk. p. 285 A 4); quo quum Lampsacenum significari non additum sit, cogitari fortasse potest etiam de duobus aliis Metrodoris, ex quibus alter est Epicuraeus, quem *ἐν τοῖς Περὶ ποιητῶν* egisse de Homero testatur Plutarch. Non posse suaviter 12, multa adversus Homerum scripsisse idem cap. 2. Confer cum Plutarchi scriptione Diogenis L. vitam Epicuri 10, 1. 6. 7. 18. 19. 21. 22. 23. 136. Tertius Metrodorus est Chius, quem secundum alios discipulum fuisse Nessi Chii, secundum alios Democriti Diogenes L. narrat 9, 58. Euseb. Praep. ev. 14 p. 758 Metrodorum edoctum fuisse a Nessa perhibet, Nessam a Democrito; Democriti discipulum Metrodorum Chium vocant Clemens Stromm. 1 § 64 Suidas s. vv. *Δημόκριτος* et *Πύρρων* (ibi enim pro *Μητρόδωρος ὁ Ἀβδηρίτης* rescribendum esse *Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης* recte monent Kusterus et Menagius ad Laert. 9, 58). Nessus Chius uno scholiorum Homericorum loco nominatur, uno Hesiodeorum. Ad Hesiodi Opp. vs. 84 Proclus interpretationem vocabuli *διάκτορος* de Mercurio illius usurpati profert quae placuerit Nesso: *Νέσσος δὲ ὁ Χῖος ἀπὸ τοῦ διάγειν τὰς τῶν τελευτώντων ψυχάς*. Ad Homeri verba *ἐν καρὸς αἴσῃ* *I* 378 Aristarchus diplam posuit *ὅτι συνέσταλται Ἰακῶς „ἐν κᾰρός" ἀντὶ τοῦ ἐν κηρός· ὅμοιον γάρ ἐστι τῷ „ἶσον γάρ σφισι πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ* (*Γ* 454)". Haec Aristonicus in scholio AV (non in solo A ut Friedlaender indicat); in scholio B postquam de Lysania, Aristophane, Aristarcho relatum, *Νέσος δὲ*, pergitur, *ὁ Χῖος καὶ τὸ ᾱ μηκύνει, οὐδὲν φροντίσας τοῦ μέτρου*. Pro *Νέσσου* v. l. etiam apud Diog. L. l. c. 9, 58 est *Νέσου* et tertia *Νασσᾶ*. *Νεσσᾶς* et in genetivo casu *Νεσσᾶ* Eusebius l. c. Praep. 14 p. 758. *Νασσᾶ* debetur librariis; reliquae *Νέσος*, *Νέσσος*, *Νεσσᾶς* (*Νεσᾶς*) justae ejusdem nominis sunt formae.

Venimus ad magistrum Nessi et Metrodori Chiorum, Democritum Abderitam, qui quid de Homero senserit Dio Chrysost. patefacit principio orationis 53 (*Περὶ Ὁμήρου*): *Ὁ μὲν Δημόκριτος περὶ Ὁμήρου φησὶν οὕτως· „Ὅμηρος φύσεως λαχὼν θεαζούσης ἐπέων κόσμον ἐτεκτήνατο παντοίων"· ὡς οὐκ ἐνὸν ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως οὕτω καλὰ καὶ σοφὰ ἔπη ἐργάσασθαι.* Conferendus Clemens Stromm. 6 § 168

καὶ ὁ Δημόκριτος ὁμοίως· „ποιητὴς δὲ ἅσσα μὲν ἂν γράφῃ μετ' ἐνθουσιασμοῦ καὶ ἱεροῦ πνεύματος, καλὰ κάρτα ἐστίν". Hoc dictum, respectum a Cicerone et Horatio locis quos indicavit Mullachius Fragmm. Democrit. p. 358, idem vir doctus p. 147. 236 depromptum esse statuit e libro Democriti *Περὶ ποιήσιος*, judicium vero illud de Homero idem p. 148. 236 e libro *Περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων*, cujus supra jam mentionem injeci. Scripsisse Democritum compluria musica et grammatica Diogenes Laertius docet in catalogo scriptorum ejus 9, 48: *μουσικὰ δὲ τάδε· Περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονίης, Περὶ ποιήσεως, Περὶ καλλοσύνης ἐπέων, Περὶ εὐφώνων καὶ δυσφώνων γραμμάτων, Περὶ Ὁμήρου ἢ ὀρθοεπείης καὶ γλωσσέων, Περὶ ἀοιδῆς, Περὶ ῥημάτων, Ὀνομαστικόν*. De his opusculis Mullachius egit fragmenta eorum colligens p. 147 sqq 236 sqq 358 sqq. Homerica Democriti studia quod attinet, imprimis notabile illud quod supra jam indicavi, quod tetigit Mullachius p. 148, primum illum videri exstitisse, qui glossas Homericas conscriberet. Atque hoc notabile, quod Mullachius p. 149, attendisse jam Democritum varias significationes (*τὴν ὁμωνυμίαν*) *τῶν πολυσήμων λέξεων*, quae vocabula postea A r i s t a r c h u s in Homero diplis notavit (vide Aristonn. p. 7), item communes significationes diversorum vocabulorum (*τὴν πολυωνυμίαν*), quam congruentiam Aristarchus in parallelismis maxime investigandis persecutus est (Aristonn. p. 4. 5) ut taceam *τὰς μεταλήψεις*, quas illa sola congruentia vocabulorum suppeditat. Democritum quoque fuisse qui suam doctrinam ex Homero hausisse censerent vix est quod memorem; vide e. g. Pseudoplut. Vit. Hom. 2 cap. 150. Imitatorem Homerici sermonis fuisse Democritum Dionysius Halic. narrat, cujus locum Comp. verbb. 24 supra tractavi. Allegorice interpretatum esse deorum historiam Democritum Mullachius annotavit p. 148. Ad fragmenta Mullachio ll. cc. collecta addenda sunt multa, veluti ex Ann. Parr. Cram. vol. 3 p. 228, 34 (schol. *Θ* 39) et 285, 33 (schol. *N* 137), e vol. 4 p. 83, 28, ex Ann. Oxx. vol. 1 p. 77, 31 (de *ἀλαπάξαι*) et 396, 12. 16, e vol. 3 p. 210, 1, e vol. 4 p. 317, 8. 319, 18, ex Etymol. m. s. vv. *Ὀλοοίτροχος* (de *N* 137) et *Ἀλαπάζειν*, e Bachm. Ann. Graecc. 1 p. 64 (de *ἀλαπάζειν*), e Bekkeri Ann. 1 p. 374 (de *ἀλαπάζειν*). Locos de

voce ἀλαπάζειν video prolatos a Mullachio in vocum Democritearum indice p. 422, item p. 423 locum Etymologici m. Ὀλοοίτροχος una cum schol. *N* 137 Bekk. quod solum indicatur in fragmentis libri Περὶ Ὁμήρου p. 148; quae molesta legentibus videtur ratio esse fragmentorum exhibendorum. Poterat vir doctus etiam ea fragmenta Homerica quae ex aliis quae praeter musica fuerunt Democriti scriptis viderentur deprompta uno loco componere cum fragmentis libri Περὶ Ὁμήρου. Nunc sparsa sunt omnia. Duo maxime insignes loci Democriti de Homero leguntur alter in annotatione ad fragmenta physica p. 345 alter in fragmentis libri De agricultura p. 251 quocum loco conferenda annot. p. 370. Quod autem Mullachius p. 148 te jubet evolvere ut Homerica Democriti reperias Scholl. Villoison. „VIII, v. 39 et 192" et „XIII, 137 et 311", tu noli evolvere *Θ* 192 *N* 311; nam si feceris, nihil profecto reperies. Scilicet in Fabricii Bibliotheca Graeca ed. Harl. 1 p. 444 sqq index in Villoisoniana scholia exstat scriptus, in quo numerus primus librum, secundus versum, tertius paginam designat; in hoc igitur indice perscriptum s. v. Democritus „VIII, 39, 192. XIII, 137, 311". Bekkerianae scholiorum editionis indicem non consuluisse videtur Mullachius. Quod si fecisset, una cum scholl. Villois. *Θ* 39 *N* 137, scholl. Bachm. *H* 446 *Θ* 39 etiam scholia A *H* 390, V *Λ* 554, BM *Ω* 315 cum p. 148 indicaturum fuisse conjicio. Addere possem plura.

Restat unus ex antiquissimis philosophis Empedocles Agrigentinus, cujus fragmenta collegit et illustravit Sturz duobus tomis editis Lips. 1805, post Sturzium tractaverunt quum alii tum S. Karsten Amstelod. 1838. Mihi Sturzianis tantum uti licuit. Homericum κατ' ἐξοχὴν fuisse Empedoclem Aristoteles auctor est. Diog. L. 8, 57 *ἐν δὲ τῷ Περὶ ποιητῶν φησιν* (intell. ὁ Ἀριστοτέλης), *ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὤν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος.* Addit Aristoteles nonnulla de carminibus ab Empedocle scriptis, ex quibus nominat *Ξέρξου διάβασιν*, *προοίμιον* (hymnum) *Εἰς Ἀπόλλωνα*, tragoedias, politica. Addendum nobis est etiam philosophica sua versibus condidisse Empedoclem, quare Diogenes L. de Parmenide 9, 22 *καὶ αὐτὸς δὲ διὰ ποιημάτων φι-*

λοσοφεῖ, καθάπερ Ἡσίοδός τε καὶ Ξενοφάνης καὶ Ἐμπεδοκλῆς. Cfr. 8, 55. 56. 59. 77. Empedoclis praeceptorem teste Diog. L. 8, 55. 56 Xenophanem alii dicebant, alii Parmenidem: hi Parmenidis carmina eum esse imitatum contendebant, illi Xenophanis. Et cum Xenophane hoc quidem commune habuit Empedocles, quod carmina quaedam ejus eadem ratione qua Homerica publice declamata fuerunt: Xenophanem ipsum sua carmina ῥαψῳδῆσαι supra rettuli; Empedoclis Καθαρμοὺς Olympiae a Cleomene rhapsodo declamatos esse tradiderunt Phavorinus apud Diog. L. 8, 63 Dicaearchus ap. Athen. 14, 12. Parmenides autem et ipse discipulus erat Xenophanis, de qua re videas Diog. L. 9, 21 et interprett. Jam quod Homericum Aristoteles Empedoclem dixit, non argumenta carminum se spectare sed τὴν φράσιν satis ille indicavit loco proposito; quod etiam clarius idem effatus est in libello De poëtica cap. 1, 11 ed. Buhl. minor. οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, πλὴν τὸ μέτρον· δι' ὃ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν. Exempla poëtici Empedoclis sermonis in eadem scriptione Aristoteles protulit cap. 12, 11 et 15, 19, quorum posterius simul patefacit quomodo Empedocles interpretatus sit verba Homeri *I* 203 ζωρότερον δὲ κέραιε. Atque attulerunt locum Empedoclis veteres in scholiis ad hunc versum Homeri (Eustath. p. 746, 56 = *I* 203). Alios versus, in quibus Homeri certos quosdam locos ante oculos habuit Empedocles, in collectione fragmentorum apud Sturzium vol. 2 p. 513 sqq reperies. Empedoclis placita ex Homero derivata esse narrant Heraclit. Allegg. Homm. 24. 49. 69 Plutarch. vit. Hom. 2 cap. 99 sqq Sext. Empir. Advs. dogmatt. 3 (Advs. physs. 1) sect. 4 sqq p. 549 Fabr. (cfr. sect. 63 sqq p. 566 Fabr. et Dogmatt. 4 (Physs. 2) sect. 313 sqq p. 684 Fabr.) scholl. *Σ* 468 Bekk. p. 505 A 28 = Villois. *Σ* 473 (moneo propter eos qui indice Fabriciano Villoisoniorum utuntur) *X* 116 (Eustath. p. 1261, 44) *ϑ* 266 (Buttm.) *ϑ* 367 (Eustath. p. 1597, 54) *σ* 79 (Eustath. 1838, 51). Praeterea unus locus Eustathii mihi nunc nominandus est p. 1419, 30 *α* 321 propter usum vocis ἀνόπαιος apud Empedoclem, ex quo concludendum de interpretatione vocabuli Homerici ἀνόπαια ab eodem probata. Similis locus legitur in Ann. Oxx. Cram. vol.

3 p. 379, 31 pertinens ad vocem *κόρσην* Δ 502; cfr. Ann. Parr. 4 p. 147, 27. Ad Homerica Empedoclis studia allusit enarrans mortem ejus Demetrius vel Democritus Troezenius teste Diog. L. 8, 74. *Δημήτριος* (*Δημόκριτος*) *δὲ ὁ Τροιζήνιος ἐν τῷ Κατὰ σοφιστῶν βιβλίῳ φησὶν αὐτὸν* (int. *τὸν Ἐμπεδοκλέα*) *καθ' Ὅμηρον* (λ 277) „*ἁψάμενον βρόχον αἰπὺν ἀφ' ὑψηλοῖο κρανείης* | *αὐχέν' ἀποκρεμάσαι, ψυχὴν δ' Ἄϊδόσδε κατελθεῖν*".

Homerica Empedoclis studia, quae *περὶ τὴν φράσιν* maxime fuisse versata monui, cohaerere innuit Diog. L. l. c. 8, 57 cum inventione rhetoricae artis, quam illi tribuebant: *Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῷ Σοφιστῇ φησι πρῶτον Ἐμπεδοκλέα ῥητορικὴν εὑρεῖν· Ζήνωνα δὲ διαλεκτικήν. ἐν δὲ τῷ Περὶ ποιητῶν φησιν ὅτι καὶ Ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε κτἑ.* Cfr. Sext. Empir. Advs. dogmm. 1 (Adv. logicc. 1) sect. 5 sqq p. 370 Fabr. Quinctilian. 3, 1. Post Empedoclem artem novam latius extulit G o r g i a s L e o n t i n u s, quem Homericis studiis operam et ipsum navasse supra vidisti; fuit autem is discipulus Empedoclis. Diog. L. 8, 58 *φησὶ δὲ Σάτυρος ἐν τοῖς Βίοις ὅτι καὶ ἰατρὸς ἦν* (intell. *ὁ Ἐμπεδοκλῆς*) *καὶ ῥήτωρ ἄριστος· Γοργίαν γοῦν τὸν Λεοντῖνον αὐτοῦ γενέσθαι μαθητὴν ἄνδρα ὑπερέχοντα ἐν ῥητορικῇ κτἑ.* Conf. quos afferunt locos interpretes.

D e m o c r i t i discipulum fuisse inter sophistas supra memoratos P r o t a g o r a m A b d e r i t a m narrant Diog. L. 9, 50 (cfr. 9, 42. 53) Athen. 8, 50 Gellius 5, 3 schol. Plat. Rpbl. 10 p. 938 A 13 Tur., de cujus rei veritate dubitant recentiores.

A n a x a g o r a e discipulum fuisse veteres perhibent S o c r a t e m et A r c h e l a i A t h e n i e n s i s, qui ipse discipulus fuerit Anaxagorae, Diog. L. 2, 16. 19. 45. S o c r a t e m quoque admiratorem Homeri fuisse narrant, versus Homericos per vitam quotidianam jecisse, doctrinam suam ex Homero hausisse. Exemplo esto Dionis Chrysostomi oratio 55 *Περὶ Ὁμήρου καὶ Σωκράτους*, qua demonstratur (vide § 3), *ὅτι Σωκράτης τό γε ἀληθὲς Ὁμήρου μαθητὴς γέγονεν.* Sed hoc rhetorice scriptum opusculum; nec Platonis dialogis, revera quid Socrates de Homero senserit si quaeramus, pro testibus utendum videtur; neque enim a veritate prorsus abhorrere crediderim quod Socrates quum Platonis dialogum nescio quem

legisset dixisse fertur Ἡράκλεις, ὡς πολλά μου κατεψεύσατο τὸ μειράκιον. Multo major certe fides Socraticis Xenophontis scriptis.

Homerum Xenophon nominavit Memorabb. 1, 2, 56. 1, 4, 3. 2, 6, 11. 3, 1, 4. 3, 2, 1 et 2. 4, 2, 10. 4, 6, 15 Apol. 30 Sympos. 3, 5 sqq 4, 6 sqq 4, 45. 8, 30. 31. In reliquis operibus Xenophontis Homerus non commemoratur, ne illis quidem locis (qui tamen et ipsi sunt pauci), ubi ante oculos fuisse illum scribenti liquet, Anab. 5, 7, 6 (ὑμεῖς δ', ἔφη, ἴστε δήπου ὅθεν ἥλιος ἀνίσχει καὶ ὅπου δύεται, κ 190 sqq), Anab. 5, 1, 2 (ν 79 sqq), Hell. 3, 4, 3. 7, 1, 34 (Β 303 sqq), Cyrop. 6, 1, 27 (Τρωικὴ διφρεία). Videtur igitur Xenophon ut in Socraticis suis scriptis frequentem injiceret Homeri mentionem rivalitate potissimum Platonis et Antisthenis condiscipulorum suorum fuisse adductus; ut alia quoque διὰ τὸν πρὸς Πλάτωνα ζῆλον fecisse narratur Xenophon.

Herodotus et Thucydides Homeri nomen in historicis suis libris saepius nominaverunt. Apud Thucydidem Homeri nomen legitur 1, 3. 9. 10. 2, 41. 3, 104; respicit autem ille poëtam aliis quoque locis, maxime in libri primi parte prima, cap. 1—23. Sic 1, 13 Corinthiorum res navales, commercia, opes narrans οἱ Κορίνθιοι, inquit, ἀεὶ δή ποτε ἐμπόριον εἶχον, χρήμασί τε δυνατοὶ ἦσαν, ὡς καὶ τοῖς παλαιοῖς ποιηταῖς δεδήλωται. ἀφνειὸν γὰρ ἐπωνόμασαν τὸ χωρίον. Respiciuntur Homeri verba Β 570 ἀφνειόν τε Κόρινθον; vide Scholl. Bekk. Bachm. Β 570 Eustath. Β 570 p. 290, 31. Sic de Siciliae incolis agens 6, 2 παλαιότατοι μὲν λέγονται ἐν μέρει τινὶ τῆς χώρας Κύκλωπες καὶ Λαιστρυγόνες οἰκῆσαι, ὧν ἐγὼ οὔτε γένος ἔχω εἰπεῖν οὔτε ὁπόθεν ἐσῆλθον ἢ ὅποι ἀπεχώρησαν· ἀρκείτω δὲ ὡς ποιηταῖς τε εἴρηται καὶ ὡς ἕκαστός τε γιγνώσκει περὶ αὐτῶν. Ad haec in scholiis scriptum περὶ τῶν παρ' Ὁμήρῳ Κυκλώπων καὶ Λαιστρυγόνων, ὅτι τὴν Σικελίαν ᾤκουν. Capite 21 libri 1 poëtas veterum facinora canentes suspectae esse fidei dicit Thucydides; non debere gestas credi res ita ὡς ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες. Similia leguntur in fine cap. 11; respici Homerum docet caput 9, ubi inter Graecos Trojam oppugnantes Agamemnonem plurimas habuisse naves contendit, ὡς Ὅμηρος

τοῦτο δεδήλωκεν, εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι, et caput 10, ubi de expeditione Graecorum adversus Trojam facta disputans putandum esse ait τὴν στρατιὰν ἐκείνην μεγίστην μὲν γενέσθαι τῶν πρὸ αὐτῆς, λειπομένην δὲ τῶν νῦν, τῇ Ὁμήρου αὖ ποιήσει εἴ τι χρὴ κἀνταῦθα πιστεύειν, ἣν εἰκὸς ἐπὶ τὸ μεῖζον μὲν ποιητὴν ὄντα κοσμῆσαι. Summam Homeri apud Athenienses belli Peloponnesiaci tempore fuisse auctoritatem indicat Thucydides 2, 41; Periclem enim in celeberrima illa oratione funebri facit dicentem μετὰ μεγάλων δὲ σημείων καὶ οὐ δή τοι ἀμάρτυρόν γε τὴν δύναμιν παρασχόμενοι τοῖς τε νῦν καὶ τοῖς ἔπειτα θαυμασθησόμεθα καὶ οὐδὲν προσδεόμενοι οὔτε Ὁμήρου ἐπαινέτου οὔτε ὅστις ἔπεσι μὲν τὸ αὐτίκα τέρψει, τῶν δὲ ἔργων τὴν ὑπόνοιαν ἡ ἀλήθεια βλάψει. Apte in scholiis annotatur, Homerum laudes exhibere Atheniensium *Β* 553 sqq *η* 80 sq. In dubium non vocanda esse Thucydides censuit testimonia Homeri de iis quae ad ipsa poëtae tempora pertinerent; docent loci complures, velut supra propositus ille 1, 13, maxime autem ea, quae 3, 104 de festis narrat Apollinis diebus, quos Deli Iones olim egerint. De his ad Homerum non addita dubitationis nota provocavit. Ex hymno ibi Homerico in Apollinem (ἐκ προοιμίου Ἀπόλλωνος) Thucydides προφέρεται 13 versus, locum 146—150 ed. Wolf. et locum 165—172, in multis longe discedens ab exemplaribus hymni vulgatis, totum vero locum posteriorem ita excitans, ut eum nonnulli viri docti collato Aristide vol. 2 p. 409 hymni finem Thucydidi fuisse contenderint. Sed de his videndi interpretes Thucydidis et hymnorum Homericorum, maxime Schneidewini libellus inscriptus Die Homerischen Hymnen auf Apollon editus Gottingae 1847; ad nos hoc magis pertinet, quod versus hymni Thucydides diserte Homeri esse affirmavit, qui etiam sui ipsius mentionem posteriori loco injecerit. Indicat nimirum istis versibus auctor hymni se esse τυφλὸν ἄνδρα, οἰκεῖν δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ. Totum hymnum Alexandrini ab Homero abjudicaverunt; Plato ne commemoravit quidem. Conjungenda vero proxime cum hoc Thucydidis testimonio de patria Homeri quae 1, 3 leguntur Homerum πολλῷ ὕστερον ἔτι καὶ τῶν Τρωικῶν fuisse; quamquam indagare difficile videtur, ad quae demum tempora Homeri vitam rettulerit Thucydides. Faciliora intel-

lectu nunc quidem sunt et maximi facienda quae eodem loco 1, 3 Thucydides dicit οὐδαμοῦ Homerum Ἕλληνας appellare universos Graecos sed solos τοὺς μετὰ Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτιδος. Ex his verbis consequitur, Thucydidem ne nosse quidem istos versus Odysseae α 344 δ 726. 816 ο 80 quibus Ἑλλάς dicitur Graecia, Iliadis istum quo Graeci dicuntur Πανέλληνες Β 530. Hos versus, de quibus videndus Lehrs Aristarch. p. 232 sq, Aristarchus traditos repperit et obelis consignavit, Thucydides vero si repperisset in codicibus Homeri quos adiit, pro spuriis illum non habiturum eos fuisse existimo; nam in criticae hoc genere dijudicandorum spuriorum et genuinorum δεινὸν illum non fuisse inde liquet, quod hymnum In Apollinem credidit Homeri esse; si tamen repertos in codicibus versus istos pro spuriis habuisset, illud οὐδαμοῦ certe non jactaturum fuisse censeo ἀθετήσει non indicata. Thucydide igitur adhibito deducimur eodem quo Platonis dialogis accurate lustratis supra nos deduci notavi: permultos versus spurios quos Aristarchus aut obelis appositis scripsit aut scientem se non scripsisse diplis indicavit, exeunte saeculo quinto a. Chr. n. nondum lectos fuisse intelligimus in bonis Homeri codicibus. Quo intellecto egregie firmatur Lehrsii disputatio de criticis Aristarchi rationibus Arist. p. 348 sqq, qua primus ille docuit, fidelissime Aristarchum secutum esse codicum fidem. In versibus spuriis dijudicandis Aristarchus paullo majore cum licentia Lehrsio visus est rem gessisse quam in reliqua constituenda lectione; equidem crediderim eandem illum in utraque crisi sibi scripsisse legem, ut nec scripturam ullam reciperet de conjectura nec damnaret versus nisi qui deessent aut in omnibus aut in compluribus aut in uno certe vetusto codice sive Homeri sive alius scriptoris Homerica proferentis. Revertor ad Thucydidem, qui eodem loco 1, 3 addit nec βαρβάρους Homerum dixisse; adversus quam sententiam Aristarchus diplam ponendam duxit ad Β 867 Καρῶν βαρβαροφώνων, ubi Aristonicus ἡ διπλῆ ὅτι Θουκυδίδης λέγει τὴν ὀνομασίαν τῶν βαρβάρων νεωτερικὴν εἶναι· ἐλέγχεται δὲ ἐντεῦθεν. Thucydides nimirum illud βαρβαροφώνων non testari statuit τὴν βαρβάρων ὀνομασίαν sed asperam significare vel agrestem pronuntiationem; inepte enim schol. Thucyd. τὸ γὰρ

„*βαρβαροφώνων Καρῶν*“ *νενόθευται*. In fragmentis Aristonici servatis quae pertinent ad notationes propter *Ἑλλάδος* et *Πανελλήνων ὀνομασίαν* factas Thucydidis nomen non reperitur; teste vero in iis Aristarchum usum esse Thucydide atque Aristonicum quoque in hac re commemorasse Thucydidem e. g. ea demonstrant, quae leguntur scholl. AD *Π* 595 *I* 395. Cfr. scholl. Thucyd. 1, 3 Strab. 14 p. 661. 8, 369 Eustath. *B* 867 p. 367, 25. Alia series diplarum Thucydidem spectantium fuit propter ea quae leguntur libri 1 capite 5 honorificam fuisse olim Graecis *τὴν λῃστείαν· δηλοῦσι δὲ τῶν τε ἠπειρωτῶν τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο δρᾶν, καὶ οἱ παλαιοὶ τῶν ποιητῶν τὰς πύστεις τῶν καταπλεόντων πανταχοῦ ὁμοίως ἐρωτῶντες εἰ λῃσταί εἰσιν, ὡς οὔτε ὧν πυνθάνονται ἀπαξιούντων τὸ ἔργον οἷς τε ἐπιμελὲς εἴη εἰδέναι οὐκ ὀνειδιζόντων*. Adversus haec diplas fuisse compluribus locis scholia docent ad *γ* 71. 73 *ξ* 230 servata. Cfr. Eustath. *γ* 73 p. 1457, 57 scholl. Thucyd. 1, 5. Tertiam diplarum fuisse patet seriem *πρὸς Θουκυδίδην* de catalogo Homeri numeroque Graecorum Trojam oppugnantium, de qua re Thucydides 1, 10, locos „*νεῶν καταλόγου*“ tangens *B* 510. 719. Numerum navium Graecarum secundum Homerum Thucydides esse dicit 1200; scholiasta ejus ad l. c. 1, 10 annotat secundum Homerum fuisse 1166; hodie in catalogo ut leguntur numeri 1186 navium summa conficitur, quam exhibet schol. L *B* 488. Videtur igitur Thucydides aut nonnullos numeros aliter legisse aut in addendo fuisse lapsus. Cfr. Eustath. *B* 484 p. 260, 8 *B* 718 p. 329, 32 scholl. BLV et L *B* 488 scholl. *Π* 170 scholl. *B* 122. 130 *Θ* 56. 562 *O* 407. Libri 1 capite 9, ubi ad Homerum provocasse Thucydidem dixi ut evinceret Agamemnonis plurimas inter omnes Graecos Trojam oppugnantes fuisse naves, tota est disputatio de imperio atque opibus Agamemnonis; profertur versus *B* 108, indicantur aperte versus *B* 576 sqq 612 sqq 101 sqq; tecte perstringuntur alii, veluti *ε* 307 (indicatus in scholl. Thucyd.) ubi fortasse dipla *πρὸς Θουκυδίδην* fuit. Sed de his atque aliis quibusdam similibus nunc non vacat quaerere.

Thucydidem cum Platone inter imitatores Homeri esse relatum a Longino Subl. 14 Dionysio Hal. Art. rhetor. 11, 2 supra legisti; accedunt de Thucydide testimonia Pseudoplu-

tarchi vit. Hom. 2 cap. 72 et Marcellini vit. Thucyd. § 35. 37 Westerm. *Βιογρ.* p. 193. 194. Priori loco a Marcellino *ζηλωτὴς* Thucydides exstitisse narratur Homeri *εἰς τὴν οἰκονομίαν*, posteriori vero haec adduntur: *μάλιστα δὲ πάντων, ὅπερ εἴπομεν, ἐζήλωσεν Ὅμηρον καὶ τῆς περὶ τὰ ὀνόματα ἐκλογῆς καὶ τῆς περὶ τὴν σύνθεσιν ἀκριβείας, τῆς τ' ἰσχύος τῆς κατὰ τὴν ἑρμηνείαν καὶ τοῦ κάλλους καὶ τοῦ τάχους.* Hoc qui dici potuerit Homeri Thucydidem fuisse imitatorem hujus aevi homines nonnulli docti mirati sunt, in quibus reperiuntur quos doctrina excellere jure tuo contendas; quos tamen nec Homerica nec Thucydidea scholia recte tractasse video. Tu cum utrisque scholiis (et Eustathio) conferas Dionysii Halicarnassensis epist. 2 Ad Ammaeum *Περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων* et ejusdem libellum *Περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος*; videbis, nisi forte *λημᾷς κολοκύνταις*, qui Thucydides Homeri imitator dici potuerit; videbis enim, si dis placet, ex iis *ἰδιώμασι*, quae Aristarchus notavit diplis in Homero, plurima redire apud Thucydidem; videbis, opinor, nullum unum esse caput in Thucydide, cui nequeant complures diplae appingi *ὅτι Ὁμηρικῶς ἐξενήνοχεν.* Eandem fere intercedere rationem inter Platonem et Homerum supra indicavi; quamquam concedendum est, aliam Platonis aliam Thucydidis esse imitationem Homeri. Sed magis poëticum esse Platonem veteres certe non concesserunt omnes; patefacit Marcellinus qui cap. 41 p. 194 West. *διὰ γοῦν τὸ ὑψηλὸν*, inquit, *ὁ Θουκυδίδης καὶ ποιητικαῖς πολλάκις ἐχρήσατο λέξεσι καὶ μεταφοραῖς τισιν· περὶ δὲ πάσης τῆς συγγραφῆς ἐτόλμησάν τινες ἀποφήνασθαι, ὅτι αὐτὸ τὸ εἶδος τῆς συγγραφῆς οὐκ ἔστι ῥητορικῆς, ἀλλὰ ποιητικῆς.* Quibus Marcellinus opponit *καὶ ὅτι μὲν οὐκ ἔστι ποιητικῆς δῆλον ἐξ ὧν οὐχ ὑποπίπτει μέτρῳ τινί.* Idem vero Marcellinus quod cap. 36 Gorgiae Leontini et Prodici Cei sophistarum narrat in nonnullis Thucydidem Antyllo visum esse imitatorem, cap. 51 autem plurima schemata Gorgiae illum imitatum esse autumat, primum in aliis Gorgiae, in aliis Homeri imitatorem dicere licuit, dein vero sophistas ipsos supra vidisti *ἄκρως Ὁμηρικοὺς* fuisse maximeque Gorgiam, qui figurarum suarum bonam partem ad ipsius Homeri exemplum conformasse putandus est. Latet enim aliquid veri in eo, quod

veteres rhetorices quoque origines ad ipsum Homerum referebant.

Ὁμηρικώτερος uter fuerit Thucydides an Herodotus dubitari potest. At vero apud Herodotum formae vocabulorum quum sint Ionicae, vocabula ipsa magnam partem glossae Homericae (quippe Ionicae), quum superstitio quaedam reperiatur Homericae similis, a qua Thucydides sane alienus, argumentum denique totius narrationis quodammodo simile videatur esse Iliadi utpote quod in bello Asianorum et Europaeorum enarrando positum, similem esse Herodotum Homero facilius quam Thucydidem ii certe intelligunt quibus, ut Thucydidis illis verbis utar, ἀταλαίπωρος ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται. Quo loco (1, 20) Alexandrini sine dubio Homerice Thucydidem locutum esse affirmaverunt; dicendum enim proprie fuisse οὕτως ἀταλαιπώρα τῶν πολλῶν ἡ ζήτησις ἡ περὶ τῆς ἀληθείας· ἐπὶ γὰρ τὰ ἑτοῖμα μᾶλλον τρέπονται. De similitudine quae inter Herodotum et Homerum obtineat et Boettiger et Francogallus quidam conscripserunt libellos, quos laudatos reperies apud Lauerum in Gesch. d. h. Poesie p. 55 not. 167. Ego opuscula illa nunquam vidi; acquiescendum igitur mihi in veterum nonnullis locis indicandis, Dionysii Hal. De compos. verbb. cap. 3. 24 epist. ad Cn. Pompej. cap. 3 De admir. vi dicendi in Demosth. cap. 41 Longini Subl. cap. 13.

Homerum nominat Herodotus 2, 23. 53. 116. 117. 4, 29. 32. 5, 67. 7, 161. Addendi nonnulli loci, quibus non nominato poëta res tanguntur ab eo narratae. Et ex his quidem locis unum indicasse sufficiat 2, 22 quo γέρανοι φεύγουσαι χειμῶνα (Γ 3 sqq) commemorantur. Conferendus cum Thucydidis loco supra tractato 1, 10 est Herodoti 7, 20; ibi enim Herodotus majorem fuisse Xerxis expeditionem adversus Graecos contendit quam omnes priores; has cum illa ne comparari quidem posse, neque alias, quas enumerat, nec κατὰ τὰ λεγόμενα τὸν Ἀτρειδέων ἐς Ἴλιον (intell. στόλον); Thucydidem autem, qui 1, 1 bellum Peloponnesiacum autumat magnitudine antecedere omnibus prioribus bellis, 1, 10 calculis subductis demonstrare vidisti, bello Peloponnesiaco superari expeditionem Graecorum adversus Trojam factam. Longe majoris momenti alii apud

Herodotum sunt loci, quibus poëtae nomine non addito docemur quanto illis temporibus apud Graecos fuerit Homerus in honore. Nam Persas quod Herodotus 1, 1—5 narrat origines belli a se adversus Graecos gesti a Trojae excidio derivare, id patet a Graecis esse fictum et Persis nonnullis viris doctis (*τοῖς λογίοισι τῶν Περσέων*) a Graecis persuasum. Eodem pertinent quae 7, 42. 43 narrantur, Xerxes Ilii arcem (*τὸ Πριάμου Πέργαμον*) ascendens Minervaeque Iliadi sacrificans, magi heroum capitibus inferias reddentes, Persarum exercitus in Iliade terra ad Idam montem fluviumque Scamandrum tonitribus exterritus, fulgurum ictu percussus, terroribus a numine divino immissis oppressus. Apud barbaros Herodoti tempore fuisse viros doctos, qui belli Trojani Homerique haberent et notitiam et rationem, ea quoque docent quae de itineribus Paridis et Menelai Aegyptiacis Herodotus sibi narrasse ait sacerdotes Aegyptios 2, 112—120, de quo loco infra pluribus agam. Fabulam porro illam, quam de Ionis Inachi filiae raptu Phoenices perhibere Herodotus tradit 1, 5, ad similitudinem eorum conformatam esse patet quae Homerus de Eumaei nutrice narrat ο 415 sqq. Paeones Thraciae populus 5, 13, Maxyes Libyae 4, 191 quod narrantur a Trojanis duxisse suum genus, id Cyrenenses docet, Olynthios, Abderitas Homeri fuisse studiosissimos atque circumspexisse ubique Homerica. Qua in re meminisse oportet, ex civitatibus illis Graecis Homericos oriundos fuisse maxime laudatos, Cyrenis Eratosthenem, Callimachum, Lysaniam, praeceptorem Eratosthenis, Abderis Democritum, Protagoram, Hecataeum, qui teste Suida s. v. *Ἑκ.* (Eudocia p. 169) *Περὶ τῆς ποιήσεως Ὁμήρου καὶ Ἡσιόδου* scripsit, Olyntho Dionysium Olynthium a Tatiano loco supra proposito inter viros principes numeratum. His igitur in urbibus Graecis inde ab antiquissimis temporibus Homerica videmus floruisse studia, quae viri illi docti excoluerunt, non introduxerunt apud cives suos. Cretenses a Pythia 7, 169. 171 Herodotus admonitos esse narrat rerum in bello Trojano gestarum, Praesios autem Cretae civitatem sibi dixisse idem cap. 171, in Troicis *οὐ φλαυροτάτους φαίνεσθαι ἐόντας Κρῆτας τιμωροὺς Μενέλεῳ*; quibus *Ὁμηρικῶς* locuti Praesii *οὐ φλαυροτάτους* dixerunt qui

fuissent οἱ ἄριστοι; vide e. g. plenam formulam οὐκ ἥκιστα ἀλλὰ μάλιστα loco infra proponendo 2, 117. Universae Graeciae imperium in bello adversus Persas gerendo sibi, non Lacedaemoniis esse vindicandum Argivi contendisse narrantur 7, 148, propter eam hercle caussam, quod Agamemnon universorum Graecorum fuisset dux. Sed ad eundem Agamemnonem provocantem de jure imperii 7, 159 habes Lacedaemoniorum legatum missum illum ad Gelonem; qui quae dixisse narratur ἦ κε μέγ' οἰμώξειε ὁ Πελοπίδης Ἀγαμέμνων πυθόμενος Σπαρτιήτας τὴν ἡγεμονίην ἀπαραιρῆσθαι ὑπὸ Γέλωνός τε καὶ Συρηκοσίων, iis alluditur ad locum Homeri *H* 124 sqq, ubi vs. 125 de Peleo Nestor, si πτώσσοντας ὑφ' Ἕκτορι principes Graecorum rescivisset, ἦ κε μέγ' οἰμώξειε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς. Cfr. Eustath. *H* 124 p. 670, 56. Gelon autem quum Spartanorum gloriae antiquae hoc concessisset, ut aut exercitui pedestri praeessent illi aut classi, sibi vero alterutram vindicasset imperii partem, Atheniensium legatus qui comitatus sit Spartanum cap. 161 traditur navium imperium Atheniensibus vindicasse; Atheniensium enim esse maximam classem, vetustissimam gloriam; antiquissimum enim esse populum atque solos οὐ μετανάστας, celebrarique ab Homero Menestheum regem Atheniensium: τῶν καὶ Ὅμηρος ὁ ἐποποιὸς ἄνδρα ἄριστον ἔφησε (*B* 553 sqq) ἐς Ἴλιον ἀπικέσθαι τάξαι τε καὶ διακοσμῆσαι στρατόν. Cum Tegeatis certasse de imperio alterius cornus ante pugnam Plataeensem 9, 26 sqq perhibentur Athenienses, qui res antiquitus a se gestas enumerantes (cap. 27) etiam hoc dixerint ὅτι καὶ ἐν τοῖσι Τρωικοῖσι πόνοισι οὐδαμῶν ἐλειπόμεθα. Ubi Homerice nota πόνοισι dictum esse (Lehrs Ar. p. 86) et praepositionem in οὐδαμῶν ἐλειπόμεθα omissam. Tertius de Atheniensibus locus est 5, 94, ubi de Sigeo urbe cum Mitylenaeis pugnasse per longum tempus Athenienses dicuntur ἀποδεικνύντες λόγῳ οὐδὲν μᾶλλον Αἰολεῦσι μετεὸν τῆς Ἰλιάδος χώρης ἢ οὐ καὶ σφίσι καὶ τοῖσι ἄλλοισι, ὅσοι Ἑλλήνων συνεπρήξαντο Μενέλεῳ τὰς Ἑλένης ἁρπαγάς; in quibus Homerice vide dictas τὰς ἁρπαγάς πληθυντικῶς. Nam plurale tantum Herodoto vocabulum ἁρπαγαί non fuisse docet v. c. locus 1, 3 ubi genetivo sing. bis legitur ἁρπαγῆς, semel accusativo ἁρπαγήν, plurali autem notione

ἁρπαγάς; τὴν Ἑλένης ἁρπαγήν habes 2, 118. Gestum vero esse bellum de quo Herodotus exeunte saeculo septimo a. Chr. n. Alcaei poëtae et Periandri Corinthii temporibus, e capite sequente (95) efficitur, quocum consentiunt Strabo 13, 599 Diog. L. 1, 74 et alii laudati ab interpretibus Herodoti. Publice recitata fuisse ut Platonis ita illis quos modo attigi temporibus vetustis, sexto et septimo a. Chr. saeculis quum aliorum poëtarum tum maxime Homeri carmina a rhapsodis Herodotus testatur 5, 67 (Eustath. *B* 566 p. 288, 44), ubi Clisthenem Sicyonis tyrannum, quum bellum adversus Argivos gereret, impedivisse narrat rhapsodos quominus Sicyone Homerum recitarent: *Κλεισθένης γὰρ Ἀργείοισι πολεμήσας* (Homerice vide dicentem *ἀντὶ τοῦ πολεμῶν*) *τοῦτο μὲν ῥαψῳδοὺς ἔπαυσε ἐν Σικυῶνι ἀγωνίζεσθαι τῶν Ὁμηρείων ἐπέων εἵνεκα, ὅτι Ἀργεῖοί τε καὶ Ἄργος τὰ πολλὰ πάντα ὑμνέαται.* Cum hoc Herodoti loco conferendus locus quem supra tetigi Thucydidis 3, 104, ubi auctor gravissimus ex hymno In Apollinem Homerico recte colligit, Iones et Nesiotas olim solitos fuisse ad festos Apollinis dies agendos in Delum insulam convenire, quo in conventu habitum fuisse *ἀγῶνα καὶ γυμνικὸν καὶ μουσικόν*, ad quem celebrandum convenerint *ἀγωνιούμενοι*. Rhapsodorum vocabulo abstinuit Thucydides, quia Homerum ipsum in illis *ἀγωνιουμένοις* fuisse sibi persuasit. Revertor ad Herodotum. Interpretatus esse Homerum is in nonnullis rectius videtur quam posteriores. Nam 2, 21. 23. 4, 8. 36 eos vehementer falli contendit, qui Oceanum fluvium circumfluere terram autumarent, quos Homeri auctoritate nisos esse patet. Herodotus autem 2, 23 egregie *οὐ γάρ τινα ἔγωγε οἶδα ποταμὸν Ὠκεανὸν ἐόντα, Ὅμηρον δὲ ἤ τινα τῶν πρότερον γενομένων ποιητέων δοκέω τὸ οὔνομα εὑρόντα ἐς τὴν ποίησιν ἐσενείκασθαι.* Quam sententiam multo magis sobriam esse liquet quam e. g. Cratetis Pergameni somnia nec ita longe abesse ab Aristarchi doctrina et Eratosthenis, quem Herodoti in hac re habuisse rationem Strabo 1 p. 48 docet. Exstitisse vero quosdam Graecos Herodotus refert 2, 21. 23, qui ex Oceano terram circumfluente Nilum profluere sibi persuasissent; hos nisos potisssimum esse apparet versibus *Φ* 194 sqq *τῷ οὐδὲ κρείων Ἀχελώιος ἰσοφαρίζει, | οὐδὲ βαθυρρείταο μέγα σθένος Ὠκεα-*

10 *

νοῖο, | *ἐξ οὗ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα* | *καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.* In his ad vs. 195 *οὐδὲ βαθυρρείταο* dipla fuit, quam Aristonicus sic explicat: *ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος αὐτὸν οὐκ ἔγραφε· γίνεται δὲ ὁ Ἀχελῷος πηγὴ τῶν ἄλλων πάντων. ἔστι δὲ καθ' Ὅμηρον ὁ Ὠκεανὸς ὁ ἐπιδιδοὺς πᾶσι τὰ ῥεύματα· διὸ καὶ κατὰ τιμήν φησιν* (*Υ* 7) „*οὔτε τις οὖν ποταμῶν ἀπέην νόσφ' Ὠκεανοῖο.*“ Cfr. Ariston. *Υ* 7 Lehrs Ar. p. 176. Zenodotum hoc loco vides leviter rem gessisse, Aristarchum vero retinentem versum *Φ* 195 Herodoti nisum fuisse testimonio, qui eum non solum agnoscit, sed suis temporibus nemini fuisse suspectum tacendo indicat. Accedunt autem, ut Democritum mittam et Euthymenem memoratos illos supra, logographorum testimonia Hecataei Milesii, qui exeunte fere saeculo sexto a. Chr. et ineunte quinto vixit, et Acusilai Argivi, qui ad eadem fere tempora pertinere videtur, et vetustissimi poëtae Hesiodi. Namque in Theogonia Hesiodea quod vss. 337—370 pater fluviorum et fontium Oceanus perhibetur, quorum nonnullis nominatis, Nilo, Alpheo, aliis, numerus universorum sex milium esse dicitur, trium milium fontium, trium milium fluviorum, id factum esse apparet propter versum Homeri illum a Zenodoto rejectum *Φ* 195. De Acusilao vide haec Didymi verba a Macrobio tradita Saturnall. 5, 18 *ὁ γοῦν Ἀγησίλαος* (l. *Ἀκουσίλαος*) *διὰ τῆς πρώτης ἱστορίας δεδήλωκεν, ὅτι Ἀχελῷος πάντων τῶν ποταμῶν πρεσβύτατος. ἔφη γάρ·* „*Ὠκεανὸς δὲ γαμεῖ Τηθύν, ἑαυτοῦ ἀδελφήν· τῶν δὲ γίνονται τρισχίλιοι ποταμοί· Ἀχελῷος δὲ αὐτῶν πρεσβύτατος, καὶ τετίμηται μάλιστα*“. In his, quod in multis aliis eum fecisse arguunt fragmenta servata, aperte indicat Clemens Stromm. 6, 26, Acusilaus vestigia haud dubie pressit Hesiodi; sed Hesiodus Acheloum quidem in catalogo suo nominavit, non tamen eum primo loco posuit ut Acusilaus. Correctum esse saepius Hesiodum ab Acusilao (adstipulantibus fragmentis nonnullis) Josephus C. Apion. 1, 3 (Euseb. Praep. Ev. 10 p. 478) narrat; quod hoc loco Homeri versibus *Φ* 194 sqq collatis factum esse liquet. Hecataeum Milesium in ea sententia fuisse quam impugnat Herodotus 2, 21. 23, Nilum scilicet ex Oceano profluere, atque eum potissimum illo loco (ut

aliis nonnullis) respectum fuisse ab Herodoto, comparato loco Herodoti cum Diodoro 1, 37 et scholl. Apoll. Rhod. 4, 259 efficitur. Sic quocunque converteris oculos Aristarchum vetustissimorum scriptorum auctoritatem et fidem sequentem deprehendes. In scholiis Herodoti nomen laudatum nec *Φ* 195 repperi, nec *B* 553—55, quorum versuum simillima est caussa. Nam Zenodotum eos pro spuriis habuisse (*ἀθετῆσαι*) narrat Aristonicus, Aristarchum contra pro genuinis; Herodotum eos ita respicere vidisti supra libri 7 capite 161, ut non modo Herodotum ipsum sed et illius et belli Persici temporibus universam Graeciam eos pro genuinis habuisse pateat. Accedit hac in re Herodoti testimonio epigramma memoratum illud apud Aeschinem Ctesiphont. § 185 quod supra apposui. Versus integros Homeri Herodotus profert duobus locis, versum *δ* 85 libri 4 cap. 29 (respicit Eustath. *δ* 85 p. 1485, 9) et 2, 116 quattuor Iliadis versus *Z* 289 sqq. Eos versus Herodotus legi perhibet *ἐν Διομήδεος ἀριστείῃ*, quod nomen hodie soli libro *E* praefigi solet, quum libri *Z* titulus vulgatus sit *Ἕκτορος καὶ Ἀνδρομάχης ὁμιλία*. Sed librorum totam divisionem Zenodoto deberi supra narravi, continuasseque plerumque Herodoti temporibus rhapsodos apparet ea quae in *Z* leguntur iis quae in *E*, ita ut *Διομήδεος ἀριστείης* nomine utraque complecterentur. Quod eo facilius fieri poterat, quia in libro *Z* congressus Diomedis et Glauci narratur (quam *σύστασιν* perperam nonnullos in alium locum transportasse Aristou. *Z* 119 dicit), *Z* 305 sqq autem Trojanae matronae supplices jubentibus Heleno *Z* 96 et Hectore *Z* 277 Minervae auxilium adversus solum Diomedem implorant. Versibus illis quattuor Iliadis apud Herodotum adduntur sex versus Odysseae, *δ* 227—230. 351 sq; sed hi debentur interpolatori, non Herodoto. Scilicet 2, 112 sqq quem locum Eustath. respicit *δ* 228 p. 1493, 63 *δ* 365 p. 1500, 35 *Γ* 158 p. 397, 42, Herodotus Aegyptiorum refert narrationem, Paridem Lacedaemone navigantem quum ventis adversis delatus esset ad Aegypti oram, a Proteo rege Aegyptiorum fuisse coactum in Aegypto Helenam relinquere solumque rediisse domum. Quae postquam exposuit ille Homerum hujus quoque fabulae notitiam habuisse cap. 116 autumat: *δοκέει δέ μοι καὶ Ὅμηρος τὸν λόγον τοῦτον πυθέσθαι· ἀλλ' οὐ γὰρ*

ὁμοίως ἐς τὴν ἐποποιίην εὐπρεπὴς ἦν τῷ ἑτέρῳ τῷ περ ἐχρήσατο, [ἐς ὃ] μετῆκε αὐτόν, δηλώσας ως καὶ τοῦτον ἐπίσταιτο τὸν λόγον. δῆλον δέ, κατὰ παρεποίησε ἐν Ἰλιάδι (καὶ οὐδαμῇ ἄλλῃ ἀνεπόδισε ἑωυτόν) πλάνην τὴν Ἀλεξάνδρου, ὡς ἀπενείχθη ἄγων Ἑλένην τῇ τε δὴ ἄλλῃ πλαζόμενος, καὶ ὡς ἐς Σιδῶνα τῆς Φοινίκης ἀπίκετο. ἐπιμέμνηται δὲ αὐτοῦ ἐν Διομήδεος ἀριστείῃ· λέγει δὲ τὰ ἔπεα οὕτω· „ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν | Σιδονίων, τὰς αὐτὸς Ἀλέξανδρος θεοειδὴς | ἤγαγε Σιδονίηθεν, ἐπιπλὼς εὐρέα πόντον, | τὴν ὁδὸν ἣν Ἑλένην περ ἀνήγαγεν εὐπατέρειαν". ἐπιμέμνηται δὲ καὶ ἐν Ὀδυσσείῃ ἐν τοισίδε τοῖσι ἔπεσι· „τοῖα Διὸς θυγάτηρ ἔχε φάρμακα μητιόεντα, | ἐσθλά, τά οἱ Πολύδαμνα πόρεν Θῶνος παράκοιτις | Αἰγυπτίη, τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα | φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά". καὶ τάδε ἕτερα πρὸς Τηλέμαχον Μενέλεως λέγει· „Αἰγύπτῳ μ' ἔτι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νέεσθαι | ἔσχον, ἐπεὶ οὔ σφιν ἔρεξα τεληέσσας ἑκατόμβας". ἐν τούτοισι τοῖσι ἔπεσι δηλοῖ ὅτι ἠπίστατο τὴν ἐς Αἴγυπτον Ἀλεξάνδρου πλάνην· ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη Αἰγύπτῳ, οἱ δὲ Φοίνικες, τῶν ἐστι ἡ Σιδών, ἐν τῇ Συρίῃ οἰκέουσι. Semel monitus videbis haec omnia inde ab ἐπιμέμνηται usque ad ἑκατόμβας non esse profecta ab Herodoto. Nam quod hic voluit evinci id loci illi Odysseae ne videntur quidem evincere posse; ineptissimum autem, ex libro δ, qui fere totus in Menelai itinere Aegyptio versatur describendo, illos potissimum duos locos in hac caussa excitare. Porro quae nunc leguntur post ἑκατόμβας, illud τὴν Ἀλεξάνδρου πλάνην dico et verba ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη κτἑ. scripta esse patet non ut legerentur post locos illos duos Odysseacos, sed post Iliadis locum. Denique iis, quae Herodotus post Συρίη οἰκέουσι addidit, unum tantummodo se locum Homeri protulisse ipse testatur. Pergit enim sic (cap. 117. Respicit Eustath. Σ 290 p. 643, 1): κατὰ ταῦτα δὲ τὰ ἔπεα καὶ τόδε τὸ χωρίον οὐκ ἥκιστα ἀλλὰ μάλιστα δῆλον ὅτι οὐκ Ὁμήρου τὰ Κύπρια ἔπεά ἐστι ἀλλ' ἄλλου τινός. ἐν μὲν γὰρ τοῖσι Κυπρίοισι εἴρηται ὡς τριταῖος ἐκ Σπάρτης Ἀλέξανδρος ἀπίκετο ἐς τὸ Ἴλιον ἄγων τὴν Ἑλένην, εὐαέϊ τε πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ λείῃ· ἐν δὲ Ἰλιάδι λέγει ὡς ἐπλάζετο ἄγων αὐτήν. Ὅμηρος μέν νυν καὶ τὰ Κύπρια ἔπεα

χαιρέτω. Quae hoc loco de Cypriis dicuntur, Herodotum *κριτικώτερον* fuisse in dijudicandis spuriis et genuinis evincunt quam Thucydidem, quem hymnum In Apollinem indubitanter ad Homerum rettulisse vidimus. Notabile autem quod Herodotus clare profitetur caussas esse plures, cur Cypriorum carmen ab Homero abjudicandum sit. Atque innuere certe ille videtur in sequentibus aliam diversitatem inter Cypria et Iliadem Homeri repertam, 2, 120, ubi bellum Trojanum gestum esse dicit *ὡς μὲν ἐγὼ γνώμην ἀποφαίνομαι, τοῦ δαιμονίου παρασκευάζοντος ὅκως πανωλεθρίῃ ἀπολόμενοι καταφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποισι ποιήσωσι, ὡς τῶν μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν. καὶ ταῦτα μὲν τῇ ἐμοὶ δοκέει εἴρηται.* Servati sunt Cypriorum carminis versus nonnulli in scholl. *A* 5. 6 congruentes cum excerptis Proclianis, quibus versibus caussa belli perhibetur fuisse plane diversa non solum ab Herodoti sententia sed etiam ab iis quae in Iliade et Odyssea narrantur. Alexandrini omnia carmina ad Homerum relata praeter Iliadem et Odysseam propter eam potissimum rem damnaverunt, quod vis Homerici sermonis propria atque ars poëtae in adornandis argumentis maxime spectata in illis desiderarentur. Alexandrinorum enim judicium refert auctor vitae 5 Homeri lin. 17 West. *οὐδὲν δ' αὐτοῦ θετέον ἔξω τῆς Ἰλιάδος καὶ τῆς Ὀδυσσείας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὕμνους καὶ τὰ λοιπὰ τῶν εἰς αὐτὸν φερομένων ποιημάτων ἡγητέον ἀλλότρια καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα.* Hoc judicium nominatim ad Cypria pertinere Aristoteles docet Poët. 14, 5 Buhl. minor., ubi *ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας* distinguitur ab Homero. Accesserunt in singulis carminibus aliae caussae. In Cypriis quin offensioni etiam Alexandrinis fuerint quae Herodoto nullus dubito; nam in Proclianis excerptis Cypriorum quod de Paride et Helena Sparta Trojam navigantibus legitur *χειμῶνα δὲ αὐτοῖς ἐφίστησιν Ἥρα, καὶ προσενεχθεὶς Σιδῶνι ὁ Ἀλέξανδρος αἱρεῖ τὴν πόλιν καὶ ἀποπλεύσας εἰς Ἴλιον γάμους τῆς Ἑλένης ἐπετέλεσεν*, ea narratio ipsa interpolata procul dubio fuit in eum finem ut res in Cypriis cantatae Iliadi magis congruentes redderentur; qua in caussa hoc solum incertum, utrum interpolatum fuerit ipsum carmen an excerpta sola illa ex quibus hausit Proclus. Cfr. Pseudoplut. vit. Hom. 1, 7. Quod

autem objecerunt recentiores quidam non constare e Z 289 sqq, utrum Iliadis poëta navigantem Troja Spartam an redeuntem Sparta Trojam pervenisse in Phoeniciam indicarit Paridem, non igitur necessarium esse statuere cum Herodoto Cypria in itinere Alexandri describendo discrepasse ab Homero, id minus recte disputatum esse apparet. Nam navigantem Troja Spartam Cypriorum poëtae non pervenisse Paridem in Phoeniciam et ex Proclianis et ex Herodoto satis constat; manebit igitur diversitas, sive navigantem Spartam sive redeuntem Trojam Alexandrum Iliadis poëtae Phoeniciam attigisse dixeris. Quod caussam attinet belli Trojani Aristonicus compluribus locis tradit notatum fuisse diplis ab Aristarcho, *Διὸς βουλὴν* in Iliade saepius memoratam nullam aliam nisi *τὴν ἐπαγγελίαν τὴν πρὸς Θέτιδα* *A* 495 sqq esse. Hae notationes adversus Cypria fuerunt, quae teste Proclo duplicem exhibebant *Διὸς βουλήν*, priorem utramque colloquio Thetidis et Jovis, alteram eam quam dixi de excitando bello Trojano initio carminis, alteram in fine *καθ' Ἑλλήνων* de excitanda discordia inter Achillem et reliquos duces. Utramque Cypriorum *βουλὴν* notationibus Aristarcheis respici docet scholiorum locus supra indicatus quo versus Cypriorum quos commemoravi servati sunt ad *A* 5. 6. Incertum est utrum Herodotus id quoque observaverit quod Alexandrinis gravissimum visum est, apud Homerum reperiri nullum coronarum usum, reperiri in Cypriis, de qua re videas Athen. 15, 30. 1, 33 Aristonic. *N* 736 scholl. BL *N* 736 scholl. *Λ* 700 *κ* 195. Quartum argumentum sumpserunt Alexandrini ex eo, quod judicium dearum Junonis, Minervae, Veneris a Paride habitum narravit Cypriorum auctor (teste Proclo), Homerus vero illud judicium ignorat. Spurios enim judicavit Aristarchus vss. *Ω* 25—30, ubi vide Aristonicum et Eustathium et Plutarchum vit. Hom. 1 cap. 6 Macrob. Satt. 5, 16. Quintum tangitur argumentum ab Aristonico *I* 145 ubi diplam ille positam esse ait ab Aristarcho *ὅτι οὐκ οἶδε τὴν παρὰ τοῖς νεωτέροις σφαγὴν Ἰφιγενείας*. Hanc enim *σφαγὴν* narratam fuisse in Cypriis auctor est Proclus. A Diana Iphigeniam idem narrat secundum Cypriorum poëtam translatam esse in Taurorum terram, quam Homero fuisse incognitam Alexandrini sine dubio dixerunt. Duplicem expeditionem Graecorum adversus

Trojam fuisse teste Proclo narravit Cypriorum auctor; primum naves eos appulisse ad Teuthraniam, eamque quum putarent esse Trojam ipsam expugnavisse et diruisse; postea navigantes a Mysia procellis Graecos esse dispersos; dein iterum in Aulide quum convenissent, alteram expeditionem factam esse, qua ad Trojam ipsam pervenerint. Hanc totam fabulam ortam esse male intellectis verbis Homeri *A* 59 *Ἀτρείδη, νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας ὀίω* | *ἂψ ἀπονοστήσειν* Aristarchus teste Aristonico dipla notavit. Cfr. Lehrs Ar. p. 100. Octavum argumentum prodit schol. Sophocl. Electr. 157 *ἢ Ὁμήρῳ ἀκολουθεῖ εἰρηκότι* (*I* 144. 286) *τὰς τρεῖς θυγατέρας τοῦ Ἀγαμέμνονος, ἢ ὡς ὁ τὰ Κύπρια διαφόρους φησὶν Ἰφιγένειαν καὶ Ἰφιάνασσαν.* Numeravit nimirum Cypriorum auctor quattuor Agamemnonis filias. Nonum argumentum offertur in fragmento Cypriorum servato ab Athenaeo 8, 10, ubi Helena Nemesios et Jovis narratur fuisse filia. Alia addi possent e veterum locis argumenta quae reperies collatis recentiorum scriptionibus qui de Cypriis egerunt, libro Guilelmi Henrici Engel inscripto „Kypros“ edito Berol. 1841 vol. 1 p. 595 sqq et quos laudat Engel p. 609 not. 34 Duentzer in libello quo fragmenta epicae Graecorum poëseos collegit (Colon. 1840) p. 9. His igitur indicatis Herodoti ut verbis utar *τὰ Κύπρια μέν νυν ἔπεα χαιρέτω.* Revertendum enim est ad Herodotum, qui praeter Cypria etiam Epigonorum carmen ab Homero sibi alienum videri prodit 4, 32, ubi Hyperboreorum mentionem esse factam dicit ab Hesiodo et ab Homero *ἐν Ἐπιγόνοισι, εἰ δὴ τῷ ἐόντι γε Ὅμηρος ταῦτα τὰ ἔπεα ἐποίησε.* Sed de Epigonis dubitasse illum vides. Sic de poëtis quoque ante Homerum quos fuisse ferebant, Herodoti non firma videtur fuisse sententia. Supra enim 2, 23 dicere illum vidisti, Oceani nomen aut Homerum intulisse in poësin aut aliquem alium ex poëtis illo antiquioribus, *Ὅμηρον ἤ τινα τῶν πρότερον γενομένων ποιητέων.* At vero eos poëtas, qui ante Homerum fuisse narrentur, post illum demum fuisse censet 2, 53, qui locus pluribus nominibus est memorabilis. Nam praeter illud quod dixi Herodotus ibi aequales fuisse Homerum et Hesiodum contendit, vixisse autem eos 400 annis ante suam ipsius aetatem; fecisse eos Graecis theogoniam. Verba sunt haec: *ἔνθεν δὲ ἐγένετο*

ἕκαστος τῶν θεῶν, εἴτε δ' αἰεὶ ἔσαν πάντες, ὁκοῖοί τέ τινες τὰ εἴδεα, οὐκ ἠπιστέατο (intell. οἱ Ἕλληνες) μέχρι οὗ πρώην τε καὶ χθὲς ὡς εἰπεῖν λόγῳ. Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον ἡλικίην τετρακοσίοισι ἔτεσι δοκέω μευ πρεσβυτέρους γενέσθαι, καὶ οὐ πλέοσι· οὗτοι δέ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες. οἱ δὲ πρότερον ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι ὕστερον, ἔμοιγε δοκέειν, ἐγένοντο. τούτων τὰ μὲν πρῶτα (quae exposuit capite 52) αἱ Δωδωνίδες ἱρειαι λέγουσι, τὰ δὲ ὕστερα τὰ ἐς Ἡσίοδόν τε καὶ Ὅμηρον ἔχοντα ἐγὼ λέγω. Quod cave ne sic intelligas, quasi nullo auctore de conjectura ea sese jactasse perhibeat Herodotus, quae de Homero dixit. Nam hoc solum indicare voluit, ea quae de poëta utroque addidisset, non ut reliquam narrationem sese accepisse a sacerdotibus Dodonaeis.

Venio nunc ad historicos eos, qui ante Herodotum et Thucydidem scripserunt, quos λογογράφους et λογοποιούς Graeci dicunt. Eorum duo quasi genera discernit Dionysius Hal. De Thucyd. jud. cap. 5, alterum vetustiorum, in quibus duos illos recenset, quos supra exeunte fere saeculo sexto a. Chr. n. fuisse monui, Hecataeum Milesium et Acusilaum Argivum, alterum recentiorum, qui paullo ante bellum Peloponnesiacum floruerint. Tractandi nunc sunt praeter Acusilaum Eugaeon Samius, Damastes Sigeensis, Hellanicus Lesbius, Pherecydes Lerius sive Atheniensis non confundendus ille cum Pherecyde Syrio philosopho. Male Suidam (et Eudociam p. 421) discernere Atheniensem a Lerio apud viros doctos constat. Vide, si tanti est, Eratosthenem ap. Diog. L. 1, 119. Dionysius Antt. Romm. 1, 13 Pherecydem virum dicit τῶν ἀρχαίων συγγραφέων, τῶν Ἀθηναίων γενεαλόγων οὐδενὸς δεύτερον, illo vero loco quem modo protuli eum praetermittit. Hellanicum ibidem ille et Damasten recentioribus annumerat logographis, Eugaeonem vetustioribus.

Logographorum paene omnium opera in eo potissimum est versata, ut genealogias enarrarent deorum atque heroum. In quo negotio ita sese gessisse illos videmus, ut vetustissimorum poëtarum prementes vestigia e fabulis quae singulis Graeciae populis essent peculiares atque propriae multa adderent

aut praetermissa aut ignorata antiquioribus. Quo factum est, ut haud ita raro discreparent quum ab aliorum poëtarum tum ab Homeri maxime narrationibus; diplas igitur multas adversus logographos posuisse Aristarchum consentaneum est; nominatur nunc in fragmentis Aristonici servatis uno loco Pherecydes, *Π* 175, ubi Aristonicus *ἡ διπλῆ, ὅτι Φερεκύδης τὴν Πολυδώραν φησὶν ἀδελφὴν Ἀχιλλέως· οὐκ ἔστι δὲ καθ' Ὅμηρον διαβεβαιώσασθαι. πιθανώτερον οὖν ὁμωνυμίαν εἶναι, ὥσπερ καὶ ἐπ' ἄλλων.* Scilicet Homerus l. c. narrat, uni ex quinque partibus, in quas Achilles diviserit Myrmidones, praefuisse Menesthium filium Sperchei fluvii, *ὃν τέκε Πηλῆος θυγάτηρ καλὴ Πολυδώρη | Σπερχειῷ ἀκάμαντι, γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα, | αὐτὰρ ἐπίκλησιν Βώρῳ Περιήρεος υἱῷ, | ὅς ῥ' ἀναφανδὸν ὄπυιε.* Peleum hoc loco ab Homero nominatum patrem Achillis esse Pherecydes sumpsit; Aristarchus cur probabilius duxerit ut in aliis, de quibus conf. quae exposui Aristonn. p. 28, ita hoc quoque loco *ὁμωνυμίαν* esse diversumque nominari a patre Achillis Peleum indicatur in scholio BLV ad eundem versum *Π* 175. Ibidem aliud scholium solius V legitur hocce: *Ζηνόδοτος δὲ Κλεοδώρην φησίν, Ἡσιόδου καὶ τῶν ἄλλων Πολυδώρην αὐτὴν καλούντων.* Hoc Pluygers Zenod. p. 13 ad *Ἱστορικὰ ὑπομνήματα* traxit, quam scriptionem teste Athenaeo 3 p. 95 ab aliis ad Callimachum ab aliis ad Zenodotum relatam supra tetigi. Quodsi in editione Homerica Ephesii Zenodoti perscriptum fuit *Κλεοδώρη*, dipla illa ad *Π* 175 fuit *περιεστιγμένη*, Aristonici autem annotatio in fine suppleri debet: *ὁ δὲ Ζηνόδοτος μεταγράφει „Κλεοδώρη"*. Id si recte est, rursus exemplum habes, quo quae Zenodoti fuerit ratio quae Aristarchi docearis. Zenodotum enim re parum diligenter perpensa lectionem vides mutavisse ad fidem cogita Homeri codicum recens collatorum, Aristarchum contra quaesivisse quomodo Hesiodus, Pherecydes, alii ex vetustis legissent versum Homeri. Ut hic Zenodoti, ita aliis locis Pherecydis nomen in Aristoniceis annotationibus excidit. Sic v. c. ad versum *Β* 592 *καὶ Θρύον Ἀλφειοῖο πόρον καὶ ἐύκτιτον Αἰπύ* leguntur haec Aristonici: *ἡ διπλῆ, ὅτι Θρύον εἶπε τὴν ἐν ἄλλοις Θρυόεσσαν· „ἔστι δέ τις Θρυόεσσα πόλις (Λ 711)".* Herodianus: *Ἀρίσταρχος ὡς ὀξύ· συγκατατίθεται δὲ αὐτῷ καὶ*

Ἀπολλόδωρος. Φερεκύδης δὲ ὁ Ἀθηναῖος τὸ μὲν „ἐύκτιτον“ κύριον ὄνομα παρέλαβε, τὸ δὲ „αἰπύ“ ἐπίθετον. ἐκ δὲ τοῦ ἐναντίου τινὲς κτἑ. Diplam non solum propter *Θρύον*, sed etiam *πρὸς Φερεκύδην* propter *ἐύκτιτον Αἰπύ* fuisse liquet. Aliis locis Aristonici annotationes totae interciderunt, ut v. c. *T* 53, ubi diplam *πρὸς Φερεκύδην* fuisse schol. V arguit. Frequens vero in scholiis Pherecydis memoria; rarius Hellanici nomen occurrit, paucis locis Acusilaus commemoratur, nusquam Damastes, Eugaeon.

De titulis, de ambitu, de divisione librorum a logographis conscriptorum (qui ad unum omnes interciderunt) multae sunt dubitationes. Nos pro consilio nostro pauca tangemus. In Hellanici igitur libris duo qui nominantur alter Phoronis alter Atlantis s. Atlantias s. *τὰ Ἀτλαντικά*, ii utrum partes fuerint unius operis an opera per se absoluta non constat; fuisse tamen eos diversos inter se libros constat. Atlantiade complexum esse Hellanicum constat progeniem Atlantis universam illius, quem Homerus *α* 52 *η* 245 Calypsonis patrem, Hesiodus Theog. 507. 746 Iapeti a Terra et Coelo procreati filium, Menoetii, Promethei, Epimethei fratrem dicit. Phoronis nomen duxit a Phoroneo, Inachi filio, antiquissimo Argivorum rege, quem Homerus quidem neque in Iliade neque in Odyssea commemoravit, Hesiodus vero teste Strabone 10, 471 quum non praeteriisset, alius poëta quem ignoramus peculiari cui itidem Phoronidis titulus fuit celebravit carmine. Quem insecutus Hellanicus ut Atlantiade Atlantis, ita Phoronei prosaria Phoronidis scriptione progeniem illustravit satis numerosam. Jam vero quum fieri non posset quin concederet Hellanicus singulorum matrimoniis variis Phoronei progeniem prout cum aliis multis gentibus, ita cum ipsa Atlantis progenie junxisse affinitatem, ex iis, de quibus altera agebatur scriptione, multi etiam in altera erant commemorandi. Atque talis Homeri fortasse conditio fuit. Namque in vita 8 quae narrantur, Maeonem ab Hellanico dici Homeri patrem, uberius in vita Procli exposita sunt dicentis secundum Hellanicum Homeri patrem Maeonem et Hesiodi patrem Dium fuisse filios Apellidis, hunc vero genus duxisse ab Orpheo; a Proclo autem ad Hesiod. Opp. 631 Hellanicus dicitur in Phoronide Hesiodum deduxisse

ab Orpheo. Contra in Atlantiade ab Hellanico generis Homeridarum in Chio insula habitantium Homerum poëtam perhiberi auctorem Harpocratio testatur s. v. Ὁμηρίδαι. Quo cum loco juvat conferre Hesiodi vitam apud Suidam obviam, in qua Hesiodus simili ratione qua ab Hellanico cum Homero cognatus fuisse, uterque autem poëta genus duxisse narratur ab Atlante. Hic in verbis ἑκάτερον δ' ἀπὸ τοῦ Ἄτλαντος κατάγεσθαι Westermann Βιογρ. p. 50 suspicatur pro Ἄτλαντος rescribendum esse Ἀπόλλωνος. Qua in re falsum fuisse miror virum doctum, non hercle aliam ob caussam nisi quod p. 77 sq ejusdem voluminis e Suida vitam Orphei repetivit, cujus initium non addubitatum a Westermanno est hocce: Ὀρφεύς, Λειβήθρων τῶν ἐν Θράκῃ (πόλις δ' ἐστὶν ὑπὸ τῇ Πιερίᾳ), υἱὸς Οἰάγρου καὶ Καλλιόπης. ὁ δ' Οἴαγρος πέμπτος ἦν ἀπ' Ἄτλαντος κατ' Ἀλκυόνην μίαν τῶν θυγατέρων αὐτοῦ.

Pherecydem praeter nonnullas minores scriptiones unum opus maximum condidisse constat decem libris absolutum quod plerumque titulo non indicato, compluribus locis sub Ἱστοριῶν excitatur titulo, uno loco, Etymol. m. s. v. Βοηδρομιών, sub titulo Αὐτοχθόνων. Suidas Αὐτόχθονας inscriptum fuisse narrat actumque eo fuisse de Attica archaeologia. Hujus operis ad sextum librum Mueller HGF 4, 639 censet pertinuisse quae de Homeri prosapia e Pherecyde in vita 3 refert Proclus. Scilicet in vita Procliana qua ab Hellanico eadem ratione etiam a Pherecyde narratur Homeri genus deductum fuisse; proponitur stemma, cujus supra protuli aliquot capita, quo genus Homeri derivatur ab Orpheo; in scholio vero Apoll. Rh. Argg. 1, 23 e sexto Pherecydis libro de Orpheo quaedam proferuntur. Sed rem non perpendisse patet Muellerum. Namque eo sexti libri loco id egisse fragmenta docent Pherecydem, ut Argonautarum sisteret catalogum, quibus quum alii dixissent interfuisse Orpheum, ipse hoc rejecto ejus loco Philammonem vatem suffecit. Hac in disquisitione occupatum ut universam Orphei prosapiam exposuisse statuamus tantum abest ut de parentibus ejus, de quibus non consentiebant veteres, obiter tantummodo eum monuisse credibile videatur. Stemma vero illud Homeri et Orphei prosapiam universam complectens libro decimo equidem vindicandum censeo. Decimo

enim libro Atlantis progeniem Pherecydem enumerasse Mueller ipse 1 p. 79. 92. 93 recte statuit; ab Atlante autem Hellanicum derivasse Orpheum, Homerum, Hesiodum vidimus. Jam si reputaveris ab Orpheo Homerum deduxisse teste Proclo Pherecydem eadem prorsus ratione qua Hellanicum, quin in Orpheo quoque ab Atlante deducendo Pherecydes eundem Hellanicum habuerit socium non dubitabis.


Locupletiora quam quod Pherecydes et Hellanicus proposuerunt Homeri alia duo stemmata sunt, quae hic subjungam atque cum illo componam, quia in multis congruunt. Alterum auctore non nominato in vita 8. legitur lin. 43 West., alterum, quod in vita 7. (Suid.) exstat, e Charace petitum est historico, de quo conferas Muelleri HGF 3, 636 Addendd. 4, 669. Natione Characem fuisse constat Pergamenum, aetate vero longe inferiorem Augusto imperatore. Mueller ad tempora Hadriani, Antonini Pii, M. Aurelii Antonini eum refert. Scripsit, quantum scimus, praeter philosophica multa (fuit enim Charax sacerdos et philosophus) opera tria historica, Hellenica, Italica, Chronica. Stemma Homeri aut ex Chronicis aut ex Hellenicis petitum videri potest; Mueller p. 641 ad Hellenica rettulit. Sed ipsum jam proponam stemma una cum reliquis duobus. Praeiverunt Lobeck Aglaoph. 1, 322 Welcker Ep. Cycl. 1, 147.

Hell. Pher. ap. Procl.
(῎Ατλας Φορωνεύς)
⋮
Ὀρφεύς
Δωρίων
Εὐκλῆς
Ἰδμονίδης
Φιλοτέρπης
Χαρίφημος
Ἐπιφράδης
|
Μελάνωπος
|
῎Απελλις
Μαίων — Δῖος
|
῞Ομηρος — Ἡσίοδος


Charax ap. Suidam
Αἴθουσα Θρᾶσσα
|
Λίνος
|
Πίερος
|
Οἴαγρος
|
Ὀρφεύς
Δρής (omisit West. lin. 7)
Εὐκλέης
Ἰδμονίδης
Φιλοτέρπης
Εὔφημος
Ἐπιφράδης
|
Μελάνωπος — Μνησιγένης
| — |
Ἀπελλῆς — Εὐέπης
| — |
Μαίων (vel Μήτιος) ⌣ Εὔμητις
|
῞Ομηρος

Anonymus in Certamine
Ποσειδῶν
|
Ἀπόλλων ⌣ Θόωσα
|
Λίνος
|
Πίερος ⌣ Μεθώνη νύμφη
|
Καλλιόπη ⌣ Οἴαγρος
|
Ὀρφεύς
῎Ορτης
Ἁρμονίδης
Φιλοτέρπης
Εὔφημος
Ἐπιφράδης
Μελάνωπος — Ἀπόλλων
| — |
Ἀπελλαῖος Δῖος ⌣ Πυκιμήδη
|
Πέρσης Ἡσίοδος
|
Μαίων
|
θυγάτηρ ⌣ Μέλης ὁ ποταμός
|
῞Ομηρος


In vita Hesiodi apud Suidam supra quod attigi stemmatis frustulum est hocce:



Ephorum hocce stemma exhibuisse vidimus:



In vita Pseudoherodotea cap. 1 stemma est hocce:



Apud Suidam s. v. *Θάμυρις* Homerus aut octavus aut quintus a Thamyra poëta fuisse dicitur filio Philammonis et Arsinoës. A Musaeo genus Homeri derivasse Gorgiam supra legisti; eadem sententia fuisse videtur Damastis.

Damastis duo commemoranda sunt opera, nominata a Suida (Eudocia p. 127), alterum *Περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν*, alterum *Περὶ γονέων καὶ προγόνων τῶν εἰς Ἴλιον στρατευσαμένων βιβλία δύο*, quod fortasse non diversum fuit a libro quodam Suidae s. v. *Πῶλος* (Eudoc. p. 355) nominato. Dicit enim Suidas eo loco Polum Agrigentinum conscripsisse *Γενεαλογίαν τῶν ἐπὶ Ἴλιον στρατευσάντων Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, καὶ πῶς ἕκαστος ἀπήλλαξε*, nonnullos vero eum librum Damasti adscribere. Ad hoc igitur sive Poli sive Damastis opus referendum videtur fragmentum a Plutarcho Camill. 19 servatum, quo docemur Trojam urbem Damastem expugnatam censuisse *ἑβδόμῃ φθίνοντος Θαργηλιῶνος* (die 24to mensis Tharg.). Adstipulati sunt Damasti teste Plutarcho Ephorus et nonnulli alii, quibus accedit Marmor Parium (Boeckh. C. I. G. 2 no 2374); alii, in quibus nonnulli Atthidarum scriptores, *ὀγδόην φθίνοντος Θαργηλιῶνος* (diem 23um mens. Tharg.) computabant, alii, in quibus testibus Clemente Stromm. I, 104 (Euseb. Praep. ev. 10, 498 B) et Tzetza Posthomm. vs. 768 sqq Hellanicus Lesbius (frgmt. Muell. 143. 144), *δευτέραν ἐπὶ δέκα Θαργηλιῶνος* (diem 12^mum^ Tharg.), alii *ὀγδόην ἱσταμένου Θαργηλιῶνος* (diem 8^vum^ Tharg.), alii *ὀγδόην φθίνοντος Σκιροφοριῶνος* (diem 23um mens. Sciroph.). Collecta exstant testimonia varia in Fischeri libro inscripto „Griechische Zeittafeln“ p. 16 sqq, ubi rationes quoque praeeunte Boeckhio expositas reperies, quas in computando eversionis die secuti sunt veteres. Nitebantur nimirum illi indiciis quibusdam obviis in antiquis carminibus epicis, quae, vetustas haud dubie narrationes per ora hominum traditas secuta, Trojam captam esse exeunte vere vel ineunte aestate narrabant, plenilunii fere tempore, media nocte, quum luna plena oriretur. Sic in Parva Iliade, quod carmen vulgo ad Homerum ipsum referebant, docti autem et maxime grammatici ad Leschen Lesbium, eversionis descriptio incepisse traditur versu *νὺξ μὲν*

ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη. Qui 23um Tharg. computabant, eos idem tempus significasse videbis l. c. expositum quod ii, qui 24um; noctem enim eam, quae est inter 24um et 23um significarunt. Fuisse 23um Tharg. diem quo Troja sit expugnata Dionysius Hal. Antt. Romm. 1, 63 prodit decimum septimum diem ante solstitium aestivum. Decimus septimus ante solstitium aestivum ex Gregoriana temporum numerandorum ratione dies est quintus mensis Junii; ex Juliana ratione illis temporibus, quibus Trojanum bellum gestum esse statuebant, solstitium aestivum incidit in diem 3um mensis Julii, dies igitur ille decimus septimus ante solstitium aestivum fuit decimus septimus mensis Junii; Dionysio autem, qui Atticam temporum computandorum rationem secutum sese esse dicit, solstitium illud aestivum in 27^{mum} mensis Junii diem incidisse, dies autem, quo Troja capta sit, 23us ille Thargelionis, undecimus mensis Junii fuisse visus est. Computationem Damastis Mueller 2, 66 ad *Χρονικὰ* rettulit, quae conscripsisse Damastem collegit e verbis Eudociae p. 127. Haec enim non ut Suidas *ἱστορικὸν* sed *χρονογράφον* vocat Damastem. At vero Eudociam quum in aprico sit nullum alium hoc loco auctorem esse secutam praeter ipsum Suidam ad verbum in reliquis ab ea expressum, Muelleri conjectura spreta sic potius statuendum videtur, vocabuli *χρονογράφος* pro *ἱστορικός* ponendi ansam dedisse Eudociae solum operis illius genealogici titulum *Περὶ γονέων καὶ προγόνων τῶν εἰς Ἴλιον στρατευσαμένων*, quod sane chronographicum non esse nequivit. Repperit autem praeter fragmentum a Plutarcho servatum unum tantummodo Mueller quod ad *Χρονικὰ* referret a se ficta fragmentum apud Dionysium Halicarnassensem Antt. Romm. 1, 72 Euseb. Chronn. p. 208 ed. Rom. Syncell. p. 192 P. obvium, quod fragmentum multo probabilius et ipsum ad genealogicum illud opus referes, si modo illud idem esse statuas atque id, in quo Suidas s. v. *Πῶλος* etiam hoc expositum fuisse dicit quomodo singuli principes Trojam urbem liquerint. Nam agitur eo fragmento de adventu Ulixis et Aeneae in Italiam deque condita urbe Roma. Ad alterum Damastis opus *Περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν* et alii et Mueller p. 66 commode rettulerunt disquisitionem Damastis de genere Homeri, memoratam in vitis 3 et 6. Qui loci duo

inter se non congruunt. Nam in vita sexta secundum Damastem, cui ut Anaximeni, Pindaro, Theocrito, Chius fuisse Homerus visus sit, decimum Homerum fuisse legimus a Musaeo vate; Proclus contra Damastem ab Orpheo vate Homeri genus dicit repetivisse eadem prorsus ratione qua Pherecydem et Hellanicum, quorum in stemmate Homerico apud Proclum apposito Musaeus non commemoratur, Homerus autem decimus est a Dorione, Orphei filio. Praeferenda videtur vitae sextae fides; ea enim accuratius loquitur quam Procliana vita, in qua quod Damastis nomen additur celeberrimis logographis Pherecydi et Hellanico memoriae lapsu factum esse crediderim. Ceterum titulo operis *Περὶ ποιητῶν καὶ σοφιστῶν* cave adducaris ut cum Muellero 2, 65 addidisse in eo Damastem statuas poëtis illos quos vulgo dicunt sophistas. Vetustiores enim Graeci praeeunte Homero *O* 411 vocabant *σοφίαν* quamvis artem, *σοφιστὰς* cujusvis generis artifices, et maxime quidem poëtas et musicos. Rem probant sexcenti veterum loci, diserta scholiastarum aliorumque testimonia, epicorum, lyricorum, tragicorum, comicorum, historicorum exempla; quin etiam ipsi Socratici Platon et Xenophon *σοφίαν* interdum dixerunt musicam. Logographorum hunc usum vocabuli *σοφιστής* fuisse fragmentum Pherecydis Atheniensis docet apud schol. *τ* 432 *εἶτα ἐκ μὲν τοῦ Ἀπόλλωνος γίνεται Φιλάμμων ἀνὴρ σοφιστής, ὃς καὶ πρῶτος ἐδόκει χοροὺς συστήσασθαι παρθένων.* Damastes igitur librum non „De poëtis et philosophis sophistis“ scripsit, sed „De poëtis et musicis“.

A c u s i l a u m scripsisse *Γενεαλογίας* Suidas (Eudoc. p. 49) refert; Acusilaum *ἐν τῷ Περὶ γενεαλογιῶν* laudat schol. Apoll. Rhod. 4, 1147, eundem *ἐν τρίτῳ Γενεαλογιῶν* schol. *Ψ* 296; *διὰ τῆς πρώτης ἱστορίας* testantem introducit Didymus ap. Macrob. Satt. 5, 18; ad Acusilaum *ἐν τῇ τρίτῃ* provocant scholl. Apoll. Rhod. 4, 992 et Harpocratio s. v. *Ὁμηρίδαι*, ubi cum Hellanico ille commemoratur: *Ὁμηρίδαι γένος ἐν Χίῳ, ὅπερ Ἀκουσίλαος ἐν γ', Ἑλλάνικος ἐν τῇ Ἀτλαντιάδι ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ φησὶν ὠνομάσθαι.* Videntur libri Acusilai mature periisse spuriumque opus fuisse suppositum; namque apud Suidam s. vv. *Ἑκαταῖος Μιλήσιος* et *Συγγραφεῖς* (cfr. nott. ad v. *Ἱστορῆσαι*) legimus *ὅτι τὰ γὰρ Ἀγησιλάου* (l. *Ἀκουσιλάου*) *νοθεύε-*

ται. Hoc judicium non pertinere liquet ad fragmenta ex veterum grammaticorum scriptis propagata, quorum hoc ipsum judicium est. Illi damnato opere integro quod offerebatur ea haud dubie Acusilai esse statuerunt, quae prolata reperissent apud antiquiores scriptores, veluti apud Platonem Sympos. p. 178 Steph. Inde factum, ut pauca tantum fragmenta hodie exstent Acusilai nomine inscripta: Mueller HGF 1 p. 100 sqq congessit 31, quibus unum addidit p. XXXVIII not. 7 e scholl. V Ψ 296. Quod fragmentum maximi est momenti, quia eo docemur diplam quam Aristonicus narrat ad versum illum fuisse appictam propter Acusilaum et Pherecydem positam esse. Aristarchus igitur genuina quaedam Acusilai esse servata arbitratus est.

Eugaeonis fragmenta apud Muellerum HGF 2, 16 (Add. 4, 653) tria tantum reperiuntur certa, quae ex opere *Ὧροι Σαμίων* inscripto derivata esse ille statuit. Unum ex his tribus in vita 8 Homeri servatum est quo docemur Eugaeoni Meletem patrem fuisse visum Homeri. Potuit autem de Homero apte disputari in *Ὥροις Σαμίων*, quia Samius fuit Creophylus, vetustus ille poëta, quem Homeri socium et hospitem fuisse donoque accepisse ab illo carmen quod *Οἰχαλίας ἅλωσις* appellaretur veteres perhibebant.

In vetustioribus logographis Eugaeonem a Dionysio Hal. recenseri narravi. Accuratior temporum ejus definitio inde fortasse olim efficietur, quod teste Suida s. v. *Αἴσωπος* Eugaeon Aesopum dixit Mesembrianum. Significatur non Pontica Mesembria sed oppidum ejusdem nominis in ora Thraciae situm meridionali, medio fere inter Aenum et Abdera loco, Samiorum colonia. Hoc si certo constaret quando conditum esset vel occupatum a Samiis vel Samothraciis Samiorum colonis, distinctius fortasse definire possemus aetatem Eugaeonis Samii.

Inter reliquos logographos quattuor de quibus egimus unus est cujus aetas dubia videri nequit Damastes. Hujus de temporibus qui praeter Dionysium l. c. dicunt veteres cum Dionysio prorsus consentiunt. Suidas s. v. *Δαμ.* ante bellum Peloponnesiacum fuisse eum narrat, fuisse aequalem Herodoti (qui 484 a. Chr. natus est), discipulum Hellanici Lesbii; Agathemerus 1, 1 Damastem plurima transtulisse perhibet ex He-

cataeo Milesio. Hellanici libros eum ante oculos habuisse fragmenta quaedam arguunt.

De Hellanico et Pherecyde quae exstant varia testimonia discrepare inter sese videntur. Equidem in Hellanico fidem habendam esse censeo Pamphilae testimonio servato apud Gellium 15, 23, inconsiderate, opinor, a quibusdam nuper impugnato. Quo quum initio belli Peloponnesiaci sexagesimum quintum annum dicatur egisse Hellanicus, sequitur ut 496 a. Chr. fuisse natum credamus.

Pherecydem Suidas s. v. *Φερεκύδης Λέριος* (Eudocia p. 421) fuisse tradit paullo ante Ol. 75 = 480 a. Chr. Hanc temporum definitionem propter caussas complures, quas exponere hoc loco longum est, de *ἀκμῇ* Pherecydis accipiendam esse duco, i. e. de 33° aetatis anno; natus igitur fuerit Ol. 66, 3 = 514 a. Chr. Jam quum in Macrobiis Luciani nomine inscriptis cap. 22 Pherecydes historicus annos 85 natus obiisse dicatur (quod testimonium procul dubio ad nostrum Pherecydem pertinet, quamvis Syrus Pherecydes nuncupetur), 429 a. Chr. = Ol. 87, 4 Pherecydes obiisse videtur. Eusebii computationem anni Ol. 81, 3 (p. 344 ed. Rom. Ol. 81, 1 Hieron. p. 131 Scal.) ad quem annum ille in Chronicis scribit „Pherecydes secundus historiarum scriptor agnoscitur" (*ἐγνωρίζετο* Chron. Pasch.), non, quod recentioribus quibusdam visum est, Pherecydis *ἀκμὴν* designare liquet, sed tempus, quo clarus ille factus sit. Hoc optime quadrat in sexagesimum aetatis annum, quem egisse Ol. 81, 3 = 454 a. Chr. illum necesse erit statuamus, ubi natum fuisse Ol. 66, 3 = 514 a. Chr. mecum censueris. Nec quidquam impedit, quominus ab Eusebio vel potius ab ejus auctore ipsum illud tempus indicatum esse credas, quo Pherecydes opus suum primarium, decem illos historiarum libros dico *Αὐτοχθόνων* titulo inscriptos ediderit; quod ante sexagesimum aetatis annum facere vix potuit. Omnia alia Mueller in HGF, cujus rationes nec sequor nec assequor.

Restat Acusilaus, de cujus aetate unum addi potest indicium certum in scholiis Pindari obvium Ol. 7, 23 (42): *ἐναντίως τῷ ποιητῇ* (*B* 513. 658) *τὰ περὶ τῆς μητρὸς Τληπολέμου ἱστορεῖ ὁ Πίνδαρος .... ἔοικε δὲ ὁ Πίνδαρος ἐντετυχηκέναι τῷ Ἀχαιῷ ἱστοριογράφῳ· ἐκεῖνος γὰρ οὕτω γενεαλο-*

γεῖ κτἑ. Pro τῷ Ἀχαιῷ ἱστοριογράφῳ egregie Boeckhius Ἀκουσιλάῳ τῷ ἀρχαίῳ ἱστοριογράφῳ. Obliteratae in codice exscribendo fuerunt literae κουσιλάῳ τῷ ἀρ, quae quum legi non possent, librarius descripsit Ἀ — χαίῳ ἱστοριογράφῳ. Inde falso emendatum Ἀχαιῷ ἱστοριογράφῳ. Pindarum natum esse constat Ol. 64, 3 = a. Chr. 522, carmen Ol. 7 vero pertinere ad victoriam Ol. 79 = 464 a. Chr. reportatam.

Pindarus, ut hoc loco, ita fortasse etiam aliis, quibus Homerum tetigit, Acusilaum habuit ante oculos. Acusilaum Homeridas genus Chium ab Homero poëta deduxisse vidisti, Pindarus autem ipsum Homerum dixit Chium.

Argumenta narrata in Iliade, Odyssea, reliquis carminibus Homero adscriptis saepissime tetigit Pindarus, de qua re videas Welckerum in libro De Graecis tragoediis (Bonn. 1839) vol. 1 p. 9. Nomen Homeri in servatis Pindari carminibus occurrit quater, Pyth. 4, 277 Nem. 2, 1. 7, 20 Isthm. 4, 37, in fragmentis quinquies, vit. Pseudoplut. 2 cap. 2, vit. 5, vit. 6, Tzetz. Exeg. Iliad. p. 7, Aelian. V. h. 9, 15. Laudes simul Homeri et judicium de fide ejus historica exhibet poëta Nem. 7, 20 ἐγὼ δὲ πλέον ἔλπομαι | λόγον Ὀδυσσέος, ἢ πάθεν, διὰ τὸν ἁδυεπῆ γενέσθ' Ὅμηρον· | ἐπεὶ ψεύδεσί οἱ ποτανᾷ τε μαχανᾷ | σεμνὸν ἔπεστί τι· σοφία δὲ κλέπτει παράγοισα μύθοις· τυφλὸν δ' ἔχει | ἦτορ ὅμιλος ἀνδρῶν ὁ πλεῖστος. Patriam Homeri et Chium et Smyrnam dixisse Pindarus narratur vit. Pseudopl. 2 cap. 2 Ὅμηρον τοίνυν Πίνδαρος μὲν ἔφη Χῖόν τε καὶ Σμυρναῖον γενέσθαι, Σιμωνίδης δὲ Χῖον. Hoc loco ne sibi ipsi contradicere videretur Pindarus exstiterunt qui verba Χῖόν τε καὶ ejicienda esse judicarent. Cui rationi favere videtur vita quinta: Ὅμηρος ὁ ποιητὴς πατρὸς μὲν ἦν Μέλητος, μητρὸς δὲ Κριθηΐδος, τὸ δὲ γένος κατὰ μὲν Πίνδαρον Σμυρναῖος, κατὰ δὲ Σιμωνίδην Χῖος. Adversatur autem vita sexta: Ἀναξιμένης καὶ Δαμάστης καὶ Πίνδαρος Χῖον τὸν Ὅμηρον ἀποφαίνονται καὶ Θεόκριτος. Item Tzetz. Exeg. Iliad. p. 7 περὶ μὲν οὖν πατρίδος καὶ γένους Ὁμήρου πλαζομένην εὑρίσκομεν παραπολὺ τὴν ἀλήθειαν. οὐ γὰρ ὁμοφώνως οἱ ἱστορικοὶ περὶ τούτου παραδιδόασιν. ἀλλ' οἱ μὲν αὐτὸν Χῖον εἶναί φασιν, καθάπερ καὶ Πίνδαρος, προσέτι δὲ καὶ Θεόκριτος, κτἑ. Restat ut in Pseudopl. 2 verba Χῖόν τε καὶ retinea-

mus Pindaroque statuamus in alio carmine Chium in alio Smyrnaeum Homerum fuisse nuncupatum. Eadem ratione in diversis carminibus diversam dithyrambi originem idem indicavit; Corinthi eum inventum esse ait Ol. 13, 18, ad quem locum scholiasta *ὁ Πίνδαρος δὲ ἐν μὲν τοῖς Ὑπορχήμασιν ἐν Νάξῳ φησὶν εὑρεθῆναι πρῶτον διθύραμβον, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν Διθυράμβων ἐν Θήβαις, ἐνταῦθα δὲ ἐν Κορίνθῳ.* Jam vide Proclum ap. Phot. Bibl. cod. 239, qui, prout in Homero vita 5 solam Smyrnam, vita 6 et Tzetzes Chium solam, ita in dithyrambo solam Corinthum nominavit, quum tres civitates essent nominandae: *εὑρεθῆναι δὲ τὸν διθύραμβον Πίνδαρος ἐν Κορίνθῳ λέγει· τὸν δὲ ἀρξάμενον τῆς ᾠδῆς Ἀριστοτέλης Ἀρίονά φησιν εἶναι.* Vocabuli rhapsodorum duae derivationes reperiuntur apud veteres, de quibus imprimis videnda scholia ad grammaticam Dionysii Thracis nomine inscriptam § 6 Bekk. Ann. 2 p. 630. 765: alii *ῥαψῳδοὺς* dictos esse statuebant a virga laurea, quam canentes manibus tenerent, *ἀπὸ τοῦ πρὸς δαφνίνην ῥάβδον ᾄδειν τὰ τοῦ Ὁμήρου ποιήματα,* alii ab ipsa canendi vel recitandi opera, qua versuum nimirum consereretur series, *ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν τὴν ᾠδὴν* s. *τὰ ἔπη.* Jam evolve Pindarum: alteram is derivationem probat Nem. 2, 1 *Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι | ῥαπτῶν ἐπέων ταπόλλ' ἀοιδοὶ | ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου.* Alteram vero idem Isthm. 4, 37 *ἀλλ' Ὅμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ | πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν | θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν.* Dicta haec sunt de Ajace Telamonio sese ipsum interficiente atque intelligi fortasse possunt laudes ejus per Iliadem et Odysseam sparsae. Sed reperiuntur alii loci, qui Pindarum praeter illa duo carmina etiam alia Homero adscripsisse commonstrant. De Cypriis disertum testimonium exstat apud Aelianum, qui V. h. 9, 15 postquam narravit, Argivos habuisse Homerum in summo honore, *λέγεται δὲ,* pergit, *κἀκεῖνο πρὸς τούτοις, ὅτι ἄρα ἀπορῶν* (scil. *ὁ Ὅμηρος*) *ἐκδοῦναι τὴν θυγατέρα, ἔδωκεν αὐτῇ προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κύπρια. καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος.* Firmatur ea Aeliani narratio Pindari versibus Pyth. 4, 277 sqq *τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος | ῥῆμα πόρσυν'· ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν.*

αὔξεται καὶ Μοῖσα δι' ἀγγελίας ὀρθᾶς. Tale quid Homerus neque in Iliade neque in Odyssea dixit; nam versum *O* 207 a Pindaro non respici in aprico est positum. Respexit igitur ille locum nescio quem alicujus alius carminis ex iis, quae vulgo Homero fuerunt adscripta. Quamquam non dissimulandum est, in scholiis ad Pindari locum excitari versum *O* 207, in scholiis Homericis ad *O* 207 locum Pindari. Vide Scholl. Bekk. Bachm. Cram. Ann. Parr. 3, 286 Eustath. *O* 207 p. 1013, 12. Sed his locis Homericorum scholiorum non legimus quod in Pindaricis, respexisse Pindarum Homeri potissimum illum versum *O* 207, sed comparantur tantummodo inter se loci; nec constat unde fluxerint annotationes istae in scholiis perscriptae, utrum e commentariis Alexandrini nescio cujus an e schedis indocti alicujus scholiastae aetate inferioris. In Aristonici reliquiis semel legitur Pindari nomen ad *B* 670, ubi de Rhodiis Homerus *καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε Κρονίων*. Ad hunc versum Aristonicus *ἡ διπλῆ, ὅτι Πίνδαρος κυρίως δέδεκται χρυσὸν ὗσαι τὸν Δία, Ὁμήρου μεταφορᾷ κεχρημένου διὰ τοῦ „κατέχευε“ πρὸς ἔμφασιν τοῦ πλούτου*. Respicitur Pindari versus Ol. 7, 34 *ἔνθα ποτὲ βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσέαις νιφάδεσσι πόλιν* et 49 sq *κείνοις ὁ μὲν ξανθὰν ἀγαγὼν νεφέλαν | πολὺν ὗσε χρυσόν*. Cfr. scholl. Pind. Strab. 14, 654 Lehrs. Ar. p. 188. Ad Ol. 7, 34 duo sunt scholia de hac re; quorum ex altero intelligitur, fuisse qui versum *B* 670 spurium judicarent. Itaque rursus exemplum habes quo firmentur quae saepius de Aristarchi ratione critica in dijudicandis versibus spuriis et genuinis probata exposui. Namque Aristarchum ut versum illum *B* 670 retineret Pindari maxime auctoritate adductum fuisse liquet. Versum antecedentem *B* 669, qui simili auctoris antiqui testimonio non fulcitur, ab Aristarcho pro spurio esse habitum scholl. Aristonicea docent. Ex aliorum scholiis diplas *πρὸς Πίνδαρον* aliis quoque locis non ita paucis et Iliadis et Odysseae Aristarchum posuisse constat. Sic e. g. diplam quam Aristonicus narrat fuisse ad *Π* 234 *πρὸς Πίνδαρον* fuisse aliorum scholia indicant, A et AD Bekk. Eustath. *Π* 233 p. 1057, 57, et Strabo 7, 328 Etym. m. 709, 30; itemque in eadem rhapsodia *Π* 170, ubi Aristonici annotatio periit, dipla fuisse Pindarum notatum apparet e schol.

V Bekk. Cram. Ann. Parr. 3 p. 286. Odysseae item duos indicasse locos satis habeo χ 347, ubi vide Eustath. p. 1930, 3 eundemque α 155 p. 1404, 21, et σ 64, ubi diplam πρὸς Π. fuisse docent Apollon. Lex. Hom. 117, 25 Etymol. m. 610, 43 Et. Gud. 414, 34 Zonar. 1415. Cfr. Hesych. s. vv. Ξεινοδόκος Ξενοδοκοῦμαι Ξενοδοκῶν Ἐπιξενοδοκοῦμαι Ἐπιξενοῦσθαι.

Ad versum σ 64 cum Pindaro notatus fuit alius lyricus clarissimus Simonides Ceus, Pindaro ille aetate paullo superior, Pindari a nonnullis dictus magister. Hic quoque non paucis locis ab Aristarcho videtur notatus fuisse ad Homerum; in Aristoniceis nunc bis legitur Simonidis nomen, ad *B* 2 et *B* 872. Altero loco dipla est quod Simonides narrationem Homeri imitans non animadverterit Homeri morem τοῦ πρὸς τὸ δεύτερον πρότερον ἀπαντᾶν, altero, quod idem falso in Homero legendum censuerit ἥδυμος ὕπνος, pro quo νήδυμος ubique sit legendum. Utraque observatio de usu Homerico facta saepius redit, Simonide tamen non nominato. Cf. Lehrs. Ar. p. 13 et ap. Friedl. *B* 2. Disertis verbis in Simonidis reliquiis bis mentionem factam videmus Homeri. Alter locus est in fragmento servato apud Athenaeum 4, 72 (Bergk. Lyrr. p. 889), ubi de Meleagro ὃς δουρὶ πάντας | νίκασε νέους δινάεντα βαλὼν | Ἄναυρον ὕπερ πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ· | οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς. Tale quid quum neque in Iliade neque in Odyssea legatur narratum de Meleagro, etiam Simonidem apparet praeter illa carmina duo vulgi opinionem secutum alia quaedam rettulisse ad Homerum; ante oculos habuisse Simonidem Thebaidem cyclicam conjecit Welcker Ep. cycl. 1, 199 Graecc. tragg. 1, 9. Alter Simonidis locus est in fragmento servato apud Stobaeum Floril. 98, 29 (Bergk Lyrr. p. 898) Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι μένει χρῆμ' ἔμπεδον αἰεί· | ἓν δὲ τὸ κάλλιστον Χῖος ἔειπεν ἀνήρ· | „οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν“· | παῦροι μὲν θνητῶν οὔασι δεξάμενοι | στέρνοις ἐγκατέθεντο· πάρεστι γὰρ ἐλπὶς ἑκάστῳ, | ἀνδρῶν ἥ τε νέων στήθεσιν ἐμφύεται. Versus excitatus οἵη περ φύλλων κτἑ. Iliadis est *Z* 146; Homerum igitur qui narrant a Simonide dictum fuisse Chium, auctor vitae quintae et Pseudoplutarchus 2 cap. 2, eos hoc ipso quem modo proposui Simonidis loco niti patet.

In vitis praeter Simonidem et Pindarum unus poëta lyricus commemoratur, Bacchylides Ceus, quem Pindaro aetate paullo inferiorem, Simonidis sorore natum fuisse matre constat; videndus Neue Bacchyl. (diss. inaug. Berol. 1822) p. 1. Hunc in vita quinta legimus Homeri patriam dixisse insulam Ion, quam sententiam Aristotelis quoque fuisse vidimus. In Aristoniceis hodie Bacchylides non nominatur; fuisse autem propter hunc quoque diplas extra dubitationem positum est. Vide e. g. scholl. *Ω* 496.

In Aristoniceis praeter Simonidem et Pindarum complurium nomina occurrunt lyricorum; ex iis qui saeculo quinto a. Chr. n. sunt superiores in altera dissertatione mea indicabo; huc duo tantummodo pertinent, qui exeunte saeculo quinto floruerunt, Philoxenus et Timotheus, notatus uterque *I* 219. Cfr. Lehrs. Ar. 92 Bergk. Lyrr. p. 995. 1005.

Scenici poëtae in vitis Homeri non memorantur. Tragicos ipsa argumentorum natura impedivisse videtur quominus Homeri in fabulis suis facerent mentionem; quamquam ad libros vetustos illi in fabulis provocare non dubitaverunt. Eustath. *χ* 184 p. 1923, 61 *λέγει δέ πού, φασι, καὶ Αἰσχύλος οὕτω τὸ γράμμα, οἷον „ὡς λέγει γέρον γράμμα", τουτέστι λόγος* (fragmt. Dindf. Ox. 305). Qui ante Aeschylum fuerunt tragici quantum Homero debuerint incertum est; tituli fabularum et fragmenta pauca illa servata Homerici fere nihil continent. Sed Aeschyli et qui eum insecuti sunt tragicorum ars fere tota ex Homero pependit. Aeschylus apud Athen. 8, 39 narratur ipse tragoedias suas dixisse *τεμάχη τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων*. Quo dicto necesse est adducamur eo ut Aeschylum non solas Iliadem et Odysseam Homeri credidisse poëmata statuamus, sed omnia fere quae vulgo illi adscribebantur. Ea omnia si in censum admiseris, plurimarum sane Aeschyli fabularum argumenta ex Homericorum carminum singulis partibus quasi excisa fuisse videbuntur, id quod vocabulo *τεμάχη* poëta voluit designare. Conferenda sunt quae Aristophanes Rann. 1040 sqq dicentem facit Aeschylum, et quae Schneidewin exposuit in Philol. 8, 4, 734 sqq. Simili atque Aeschylus ratione Sophocles, Euripides, alii fabularum suarum argumenta pleraque hauserunt e carminibus

Homericis. Distincte hanc totam materiem perscrutati sunt recentiores nonnulli, ex quibus Nitzschium et Welckerum nomino. Welcker in libris De Epico cyclo, De Aeschylea trilogia Prometheo, De tragoediis Graecis egregie docuit, quam arcte cohaereat ars tragicorum cum Homero, Nitzschii autem opus inscriptum Die Sagenpoësie der Griechen prodiit Brunsvigae 1852. Sermo tragicorum differt sane ab Homericorum carminum nativo et sincero colore; sunt tamen, sive vocabulorum usum spectes sive constructionem verborum, sunt multa indicia, quae summam tragicos in imitando Homero collocasse operam patefaciant.

Proxime ad Homericum sermonis tenorem inter tragicos accedere videtur S o p h o c l e s, de qua re qui scripserint recentiores reperies nominatos apud Lauerum H. p. h. p. 32. Sophocles *φιλόμηρος* vocatur apud Eustathium compluribus locis, *M* 230 p. 902, 2 *Σ* 105 p. 1133, 50 *Σ* 235 p. 1140, 26, *ζηλωτὴς Ὁμήρου* apud eundem *E* 6 p. 514, 45. P o l e m o p h i l o s o p h u s, Xenocratis discipulus, *φιλοσοφοκλῆς* fuisse a Diogene L. 4, 20 narratur, Homerum autem dixisse idem *ἐπικὸν Σοφοκλέα*, Sophoclem *Ὅμηρον τραγικόν*. Eandem narrationem repetit verbis paullulum immutatis Suidas s. v. *Πολ.* (Eudoc. p. 364). Aristoteli Poët. cap. 1, 24 Buhl. min. Homero Sophocles in eo visus est similis, quod uterque depingeret *σπουδαίους*. Cfr. 1, 18. 15, 11. Inter Homeri imitatores, qui mediae compositionis characterem servaverint, loco supra ubi de Platone agebatur tractato (Comp. verbb. 24) Dionysius Hal. e tragicis solum numerat Sophoclem. Inter politae floridaeque compositionis exempla idem cap. 23 cum Hesiodo, Sapphone, Anacreonte, Simonide, Ephoro, Theopompo, Isocrate e tragicis rettulit E u r i p i d e m; A e s c h y l u m idem cap. 22 inter austerae compositionis exempla cum Antimacho Colophonio, Empedocle, Pindaro, Thucydide, Antiphonte. In vita Sophoclis 1 West. p. 131 de Sophocle dicuntur haec: *τὸ πᾶν μὲν οὖν Ὁμηρικῶς ὀνόμαζε· τούς τε γὰρ μύθους φέρει κατ᾽ ἴχνος τοῦ ποιητοῦ καὶ τὴν Ὀδύσσειαν δ᾽ ἐν πολλοῖς δράμασιν ἀπογράφεται. παρετυμολογεῖ δὲ* (Soph. fr. 408 Dindf. Ox.) *καθ᾽ Ὅμηρον καὶ τοὔνομα τοῦ Ὀδυσσέως· „ὀρθῶς δ᾽ Ὀδυσσεύς εἰμ᾽ ἐπώνυμος κακοῖς· | πολλοὶ γὰρ ὠδύσαντο δυσσεβεῖς*

ἐμοί.“ ἠθοποιεῖ δὲ καὶ ποικίλλει καὶ τοῖς ἐπινοήμασι τεχνικῶς χρῆται, Ὁμηρικὴν ἐκματτόμενος χάριν. ὅθεν εἰπεῖν Ἰωνικόν τινα, μόνον Σοφοκλέα τυγχάνειν Ὁμήρου μαθητήν. καὶ ἄλλοι μὲν γὰρ πολλοὶ μεμίμηνταί τινα τῶν πρὸ αὐτῶν ἢ τῶν καθ' αὐτούς, μόνος δὲ Σοφοκλῆς ἀφ' ἑκάστου τὸ λαμπρὸν ἀπανθίζει· καθ' ὃ καὶ Μέλιττα ἐλέγετο. In Ἰωνικόν τινα latere conjiciunt nomen Ionis Chii poëtae tragici corriguntque alius Ἴωνα τὸν ποιητήν alius Ἴωνα τὸν Χῖον. Conf. Schneidewin in Philol. 8, 4 p. 736. Cognominis Μελίττης aliam caussam eamque veriorem perhibet altera Sophoclis vita lin. 5: προσηγορεύθη δὲ Μέλιττα διὰ τὸ γλυκύ. Haec vero suavitas ipsa illa communis est Sophoclis, Homeri, Platonis, quare in tribus his pariter apis similitudine et mellis usi sunt veteres. Odysseam quod indicat vitae I scriptor a Sophocle maximi esse factam testantur fragmenta servata et tituli tragoediarum. Sed carmina quoque falso illa ad Homerum relata magni fecisse eum Athen. 7, 5 p. 277 E docet, qui, postquam piscium epitheton ἐλλός e Titanomachiae carmine (cyclico) a Sophocle desumptum esse patefecit, ἔχαιρε δ' ὁ Σοφοκλῆς, pergit, τῷ Ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιίᾳ. Cui narrationi suffragantur fragmenta atque titulorum memoria. Nec praetermittenda quae leguntur apud Athenaeum 13, 61: Σοφοκλῆς δ' ὁ τραγῳδιοποιὸς ἤδη γέρων ὢν ἠράσθη Θεωρίδος τῆς ἑταίρας. ἱκετεύων οὖν τὴν Ἀφροδίτην φησί· „Κλῦθί μευ εὐχομένου, κουροτρόφε· δὸς δὲ γυναῖκα | τήνδε νέων μὲν ἀναίνεσθαι φιλότητα καὶ εὐνήν, | ἡ δ' ἐπιτερπέσθω πολιοκροτάφοισι γέρουσιν, | ὧν ἰσχὺς μὲν ἀπήμβλυνται, θυμὸς δὲ μενοινᾷ.“ ταῦτα μέν ἐστιν ἐκ τῶν εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένων. Proferuntur iidem versus ut Homeri in vita Pseudoherodotea cap. 30, unde Suidas eos repetivit s. v. Ὅμηρος; ut alienorum ab Homero meminit Eustath. ω 499 p. 1968, 42. Sophocles autem nisi Homeri eos credidisset, vix futurum fuisse duco, ut iis uteretur. Derivationem Sophocleam nominis Ulixis, quam Soph. vit. 1 auctor ex Homero esse haustam ait, ad versum τ 407 dipla fuisse notatam non est quod ambigas. Atque omnino Sophoclem fuisse multis locis in Homero notatum persuasum habeo; nunc ejus nomen in reliquiis Aristonici bis legitur *B* 649 *I* 575. Diplae πρὸς Αἰσχύ-

λον exstant quinque, ad *B* 862 *Θ* 70 *I* 593 *X* 209. 351, πρὸς Εὐριπίδην tres, ad *B* 45. 353 *Π* 718, πρὸς Ἀστυδάμαντα τραγικὸν una ad *Z* 472. Sophron mimographus notatus occurrit semel *Λ* 385.

Comici poëtae in reliquiis Aristonici Iliacis non nominantur; probabile tamen est, etiam hos fuisse notatos, veluti ad α 215 vel 216, ut unum proferam exemplum, cum Euripide Menandrum propter fragmenta Meinek. Comm. 4, 145. 261 (schol. Buttm. Odyss. Eustath. α 221 p. 1412, 14 Stob. 76, 7 et 11). Intercesserunt etiam comicis rationes intimae cum Homero. Veteres Homerum patrem non solum tragoediae sed etiam comoediae habebant. Tragicorum primum magistrum et ducem, tragoedorum primum Homerum a Platone esse appellatum supra vidimus, Comicorum caput Epicharmum; nunc audiamus Aristotelem Art. poët. cap. 2 Buhl. min. non solum tragoediae (de quibus cfr. c. 14) sed etiam comoediae initia ab Homero repetentem, qui postquam diversa duo genera poëseos esse dixit, alterum σεμνόν, alterum comicum, de hoc verba faciens ita pergit: τῶν μὲν οὖν πρὸ Ὁμήρου οὐδενὸς ἔχομεν εἰπεῖν τοιοῦτον ποίημα· εἰκὸς δὲ εἶναι πολλούς. ἀπὸ δὲ Ὁμήρου ἀρξαμένοις ἐστίν· οἷον ἐκείνου ὁ Μαργείτης, καὶ τὰ τοιαῦτα· ἐν οἷς καὶ τὸ ἁρμόττον ἰαμβεῖον ἦλθε μέτρον.... ὥσπερ δὲ καὶ τὰ σπουδαῖα μάλιστα ποιητὴς Ὅμηρος ἦν (μόνος γὰρ οὐχ ὅτι εὖ, ἀλλ' ὅτι καὶ μιμήσεις δραματικὰς ἐποίησεν) οὕτω καὶ τὰ τῆς κωμῳδίας σχήματα πρῶτος ὑπῆρξεν, οὐ ψόγον, ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσας. ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει, ὥσπερ Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμῳδίας. Tzetz. Περὶ διαφορᾶς ποιητῶν vs. 94 sqq (Cram. Oxx. Ann. 3, 337) εἰ δ' ἀκριβῶς ἅπαντα μανθάνειν θέλεις, | Ὅμηρός ἐστι καὶ πατὴρ κωμῳδίας, | καὶ σατυρικῆς ὁμοῦ (inser. τε) καὶ τραγῳδίας, | ἄλλης τε πάσης ἐν λόγοις εὐτεχνίας. Quod de satyricis fabulis hic addit, minime absonum; Aeschyli certe satyricae fabulae fuerunt Κίρκη et Πρωτεύς, Sophoclis Κρίσις (h. e. Paridis judicium) et Ἑλένης γάμος, Euripidis servatus est Κύκλωψ, quem cum Odysseae libro ι conferre jucundissimum, aliorum fuerunt aliae, de quibus cfr. Welcker Tragg. Graecc. 1 p. 11. Judicium Tzetzae de comoediae origine ex Homero derivata in Margite fortasse

ut Aristotelis disputatio proposita nititur; sed qui Margitem alienum ab Homero judicavit auctor vitae 2 Pseudoplutarch. cap. 4 (consentiente vita priori cap. 5), is nihilosecius, postquam cap. 213 tragoediam originem cepisse docuit ex Homero, non dubitavit cap. 214 comoediam addere: *οὐδὲν δὲ ἔλασσον καὶ ἡ κωμῳδία ἐνθένδε ποθὲν ἔλαβε τὴν ἀφορμὴν κτἑ.* Nititur enim hic episodiis nonnullis Iliadis et Odysseae quae risum moveant, narrationibus libri *A* de Vulcano, qui *A* 599 risum movisse dicatur diis, libri *B* de Thersita, quem derisui fuisse Achivis versus testetur *B* 270, libri *ϑ* de Martis et Veneris amoribus, libri *σ* de Iri pugna. Narrationem de Thersita *B* 211 sqq caussam exstitisse supra indicavi veteribus, ut Xenophani ad sillos scribendos viam praeivisse Homerum dicerent. Platonem excitans Hermogenes *Περὶ μεϑόδ. δεινότ.* cap. 33 *Περὶ τοῦ τραγικῶς λέγειν* ex Homero tragoediam deducit, cap. 34 *Περὶ τοῦ κωμικῶς λέγειν* Homerum non commemorat: vide Walz. Rhett. 3, 439. 440. 444. Quem nuncupari comicorum principem legisti a Platone (Margitem illo spurium habente) E p i c h a r m u s C o u s non pauca fabularum argumenta ex Homero deprompsisse reperitur. Fuerunt ejus comoediae *Τρῶες*, *Χείρων*, *Φιλοκτήτας* (Ahrens. Dial. Dor. p. 450), *Κύκλωψ* (id. p. 445), *Σειρῆνες* (id. p. 449), *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος* (id. p. 447), *Ὀδυσσεὺς ναυαγός* (Athen. 14, 619 B). Jam ut transeamus ad a n t i q u a m c o m o e d i a m A t t i c a m, fuerunt Theopompi *Ὀδυσσεύς* (Meinek. Comicorr. frgmtt. ed. minor. 2, 2, 805), Cratini *Ὀδυσσῆς* (M. 2, 1, 93), quam fabulam *διασυρμὸν* exhibuisse *τῆς Ὀδυσσείας Ὁμήρου* et expresse traditum est a Platonio p. 35 (M. Comm. 1, 533) et fragmenta quaedam docent parodiis Homericorum locorum ornata; porro Theopompi *Πηνελόπη* (M. 2, 2, 810), Philyllii *Πλύντριαι ἢ Ναυσικάα* (M. 2, 2, 860), quacum conferenda Sophoclis tragoedia cognominis; porro *Σειρῆνες* Theopompi (M. 2, 2, 811) et Nicophontis (M. 2, 2, 850), *Κύκλωπες* Calliae (M. 2, 2, 735) et Dioclis (M. 2, 2, 839), Nicocharis *Κένταυρος* (M. 2, 2, 844), Platonis *Μενέλαος* (M. 2, 2, 641), Strattidis *Φιλοκτήτης* (M. 2, 2, 779), Theopompi *Ἀλϑαία* (M. 2, 2, 792), alia nonnulla. Eunici *Ἄντειαν* aut Philyllii (M. 2, 2, 856) a meretrice titulum traxisse perhibet Athenaeus 13, 567 C 586 E (M. 1 p. 250); quod non impedit,

quominus libri Z historiam de Bellerophonte, quem Proeti uxor *δῖα Ἄντεια* deperiisse Z 160 narratur, comico aliquam materiem praebuisse censeamus; immo ludicre miscuisse Anteam Proeti atque scortum nobile historiamque contexuisse Homerico argumento similem videtur poëta. Plurimi tituli argumentorum sunt in Iliade et in Odyssea memoratorum; sed etiam e reliquis carminibus Homero vulgo adscriptis comicos hausisse e. g. titulus *Κερκώπων* docet, qui fuit comoediarum Hermippi (M. 1, 94. 2, 1, 393) et Platonis (M. 1, 176. 2, 2, 646); nam ad Homerum carmen ludicrum Cercopes daemones quosdam *ἐξαπατητῆρας* et *ψεύστας* illustrans referebatur, de quo videndus Welcker Ep. cycl. 1, 409. Cratini *Ὀδυσσῆς* mediae comoediae characterem habuisse expresse traduntur a Platonio p. 34 (M. 1, 532. cfr. p. 43), atque aliarum ex iis quas nominavi antiquae comoediae fabulis ex Homero derivatarum aut eadem aut similis fuisse videtur ratio et conditio. Vid. M. 1 p. 284. Platonius p. 34. 35 (M. 1, 533) *ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται, τὸ στρατηγοῖς ἐπιτιμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσιν ἐξ ἀδικίας τισὶ καὶ μοχθηρὸν ἐπανῃρημένοις βίον, ἡ δὲ μέση κωμῳδία ἀφῆκε τὰς τοιαύτας ὑποθέσεις, ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθεν. ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον, οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν. τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ ἔστιν εὑρεῖν, ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης. οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσιν, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας Ὁμήρου. τοιαῦται γὰρ αἱ κατὰ τὴν μέσην κωμῳδίαν ὑποθέσεις εἰσίν· μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον ὡς κακῶς ῥηθέντας κτέ.* Firmantur haec titulis fragmentisque comoediarum servatis. Nam in mediae comoediae fabulis longe plures reperiuntur Homericae quam in antiqua. Nominandae sunt Amphidis *Ὀδυσσεύς* (M. 3, 311), Anaxandridis *Ὀδυσσεύς* (M. 3, 175), Eubuli *Ὀδυσσεὺς ἢ Πανόπται* (M. 3, 240), Alexidis *Ὀδυσσεὺς ἀπονιπτόμενος* et *Ὀδυσσεὺς ὑφαίνων* (M. 3, 454), Antiphanis *Κύκλωψ* (M. 3, 72), Eubuli *Ναυσικάα* (M. 3, 238), Ephippi *Κίρκη* (M. 3, 329), Anaxilae *Κίρκη* et *Καλυψώ* (M. 3, 343), Alexidis (M.

3, 411. 412) Ἑλένη, Ἑλένης μνηστῆρες, Ἑλένης ἁρπαγή (qui titulus idem Sophocleae fabulae fuit), Anaxandridis Ἑλένη (M. 3, 167), Philetaeri Ἀχιλλεύς (M. 3, 293), Anaxandridis Ἀχιλλεύς (M. 3, 164), Theophili Νεοπτόλεμος (M. 3, 628), Cratini junioris Χείρων (M. 3, 377), Antiphanis Μελέαγρος (M. 3, 82), Philetaeri Μελέαγρος (M. 3, 296), Anaxandridis Πάνδαρος (M. 3, 180) et Πρωτεσίλαος (M. 3, 182), Eubuli Δόλων (M. 3, 220) et Βελλεροφόντης (M. 3, 213), Antiphanis Ἄντεια (M. 1, 322. 3, 18), Alexidis Ἄντεια (M. 1, 393. 3, 388), Eubuli Κέρκωπες (M. 3, 229), Anaxandridis Ἀγχίσης (M. 3, 162), Eubuli Ἀγχίσης (M. 3, 204), cujus fabulae utriusque fundamentum fuisse crediderim hymnum Homericum In Venerem. Addi possent tituli complures e media comoedia; contra in nova comoedia paucissimae reperiuntur fabulae quarum argumenta ex Homero petita videri possint, veluti Diphili Σχεδία (M. 4, 410), Lyncei Κένταυρος (M. 4, 433). Diphiliae autem poëseos indolem Meineke 1, 439. 447 ad mediam pertinuisse comoediam statuit. In comicis aetatis incertae Meineke posuit Alexandrum, cujus Ἑλένη memoratur (M. 4, 553). Apud Menandrum, novae comoediae caput, certum argumentum Homericum non repperi; unum titulum mythologicum Δάρδανος profert e Menandro Meineke 1, 439. Idem vero de Aristophane comoediae antiquae principe dicendum est. Hujus enim in tanta fabularum multitudine paucae occurrunt quarum tituli aliquid Homerici prae se ferre videantur, veluti Amphiaraus, quem primo aspectu proclive est ductum ex ο 244 conjicere, vel Polyidus, cujus argumentum haustum videri possit ex *E* 148 vel *N* 663. Sed earum argumenta non fuisse Homerica intelliges, ubi contuleris quae Bergkius exposuit in Meinekii vol. 2, 2 de Amphiarao p. 949, de Polyido p. 1132, de Centauro et Niobo 1055, de Heroibus 1068, de Daedalo 1014. Itaque frequentasse certe Homerica argumenta solam mediam comoediam apparet. Cfr. quae de mythologicis argumentis universis Meineke disseruit 1, 278 sqq.

Nomen Homeri apud poëtas novae comoediae bis obvium est. Philemon in fragmento servato a Stobaeo Floril. 36, 18 (M. 4, 37) postquam eum, qui non dicat quae dici debeant, longum esse affirmavit, etiamsi duas tantummodo syllabas di-

cat, eum contra, qui recte dicat, non esse longum, etiamsi multa dicat, *τεκμήριον δὲ τοῦδε*, inquit, *τὸν Ὅμηρον λαβέ· | οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει, | ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκεν μακρόν.* Straton in comoedia aut *Φοινικίδης* aut *Φοίνιξ* inscripta (Athen. 9, 382 C Mein. 4, 545 sqq) coquum introducit Homericis glossis designantem omnia, *μέροπας* dicentem, *δαιτυμόνας*, *βοῦν εὐρυμέτωπον*, *μῆλα*, *οὐλοχύτας*, *χέρνιβα*, *μοίρας*, *δίπτυχα*, alia, quae ut intelligeret herus necessarium sese habuisse affirmat libros adire Philetae, quem de glossis Homericis scripsisse narravi. Apud mediae comoediae poëtas Homerum quater nominatum repperi. Antiphanes apud Athen. 1 p. 12 B (M. 3, 144) *Ὅμηρος βοῦς θύων | οὐδέποτ' ἐποίει ζωμόν, οὐδ' ἧψεν κρέα | οὐδ' ἐγκέφαλον· ὤπτα δὲ καὶ τὰς κοιλίας. | οὕτω σφόδρ' ἦν ἀρχαῖος.* Eubulus ap. Athen. 1 p. 25 C Eustath. *μ* 252 p. 1720, 30 (M. 3, 262) *ἰχθὺν δ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε ποῦ | τίνα τῶν Ἀχαιῶν; κρέα δὲ μόνον ὤπτων, ἐπεί | ἕψοντά γ' οὐ πεποίηκεν αὐτῶν οὐδένα. | ἀλλ' οὐδὲ μίαν ἄλλην ἑταίραν εἶδέ τις | αὐτῶν κτἑ.* Observationes de carnis coctione et de esu piscium a Platone philosopho jam commemoratas esse, ab Aristarcho postea accuratius definitas vidisti. Ad *Ι* 203 alludit Ephippus Epheborum fragmento ap. Athen. 10, 423 D (M. 3, 329) *φιάλην ἑκατέρᾳ | ἔδωκε κεράσας ζωρότερον Ὁμηρικῶς.* Alexis fragmento comoediae Lini ap. Athen. 4, 164 B (M. 3, 443) Linum introducit educantem atque instituentem Herculem, quem e librorum acervo quem velit ille sumere ad legendum jubet: *βιβλίον | ἐντεῦθεν ὅτι βούλει προσελθὼν γὰρ λαβέ, | ἔπειτ' ἀναγνώσει, πάνυ γε διασκοπῶν | ἀπὸ τῶν ἐπιγραμμάτων ἀτρέμα τε καὶ σχολῇ. | Ὀρφεὺς ἔνεστιν, Ἡσίοδος, τραγῳδία, | Χοιρίλος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος, συγγράμματα | παντοδαπά. κτἑ.* Venio ad antiquam comoediam. Cratinus in comoedia Archilochorum teste Diogene Laertio 1, 12 Homerum et Hesiodum *σοφιστὰς* vocavit, i. e. poëtas. Vide quae supra de usu vocabulorum *σοφία* et *σοφιστής* apud antiquiores Graecos obtinente monui. Ejus usus exempla compluria ex comicis congessit Meineke vol. 2, 1, 16, ubi de fragmento illo Cratini egit, cujus versum unum servasse videtur Clem. Al. Stromm. 1, 24. Cratino Margitem Homeri carmen dictum fuisse testatur Eu-

stratius ad Aristotel. Eth. Nicom. p. 65 B (M. 2, 1, 188). Theopompum comicum Eustath. τ 233 p. 1863, 49 perhibet Ulixem dicentem fecisse *χιτῶνά μοι | φέρων δέδωκας δαιδάλεον, ὃν ἤκασεν | ἄρισθ' Ὅμηρος κρομμύου λεπυχάνῳ.* Allusit enim Theopompus ad versus τ 232 sq *τὸν δὲ χιτῶν' ἐνόησα περὶ χροΐ σιγαλόεντα, | οἷόν τε κρομύοιο λοπὸν κάτα ἰσχαλέοιο.* Meineke locum comici 2, 2, 806 rettulit ad fabulam quam supra nominavi Ulixis illam nomine inscriptam. Homeri nomine comoediam inscripsisse videtur Metagenes, *Ὅμηρος ἢ Ἀσκηταί*, de qua vide Meinekium 1, 218. 221. 2, 2, 755. Comparandae praeter *Ἀρχιλόχους* Cratini et *Λίνον* Alexidis quas jam commemoravi Teleclidis *Ἡσίοδοι* (M. 2, 1, 366), Antiphanis *Θαμύρας* (M. 3, 55), Nicostrati *Ἡσίοδος* (M. 3, 283), Alexidis *Ἀρχίλοχος* (M. 3, 393), *Σαπφώ* Amipsiae (M. 2, 2, 707), Antiphanis (M. 3, 112), Amphidis (M. 3, 315), Ephippi (M. 3, 338), Timoclis (M. 3, 610), Diphili (M. 4, 409). Platonis fabula *Ποιητής* (M. 1, 182. 2, 2, 654) utrum Homeri titulo fuerit inscripta non liquet. Ante ceteros comicos omnes Homeri laudator videtur fuisse Aristophanes. Hujus ex deperdita fabula Dactalensium fragmentum insigne superesse quo *Ὁμηρείους γλώσσας* memorari supra narravi ubi de glossographis agebam. In fabulis undecim quae sunt superstites quinque locis legitur Homeri nomen, Nubb. 1056 Avv. 575. 910. 914 Rann. 1034 Pac. 1089. 1096. In Nubibus 1055 sqq personatus *Λόγος ἄδικος* ad Homerum provocat: *εἶτ' ἐν ἀγορᾷ τὴν διατριβὴν ψέγεις, ἐγὼ δ' ἐπαινῶ. | εἰ γὰρ πόνηρον ἦν, Ὅμηρος οὐδέποτ' ἂν ἐποίει | τὸν Νέστορ' ἀγορητὴν ἂν οὐδὲ τοὺς σοφοὺς ἅπαντας.* Avv. 572 sqq Epopi Pisthetaerus demonstrare studet, divino honore aves esse dignissimas, quoniam dii ipsi depingantur alati; nominat Mercurium, Victoriam, Amorem, Irin; de sola Iride provocat ad Homerum, *Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.* Qua in re hoc satis memorabile, quod de Mercurio non provocandum duxit ad Homerum; quod non indoctum Aristophanem fuisse Homericum arguit. Atqui hoc eodem loco ille praeter Iliadem et Odysseam vulgi opinione probata sese alia quaedam ad Homerum rettulisse prodit. Neque enim in Iliade neque in Odyssea Iris comparatur *τρήρωνι πελείῃ*. Hoc veteres grammaticos non latuisse

scholium commonstrat scriptum ad verba Ἶριν δέ γ' Ὅμηρος: ὅτι ψεύδεται παίζων. οὐ γὰρ ἐπὶ Ἴριδος, ἀλλ' ἐπὶ Ἀθηνᾶς καὶ Ἥρας (E 778) „αἵ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι". οἱ δὲ ἐν ἑτέροις ποιήμασιν Ὁμήρου φασὶ τοῦτο φέρεσθαι. εἰσὶ γὰρ αὐτοῦ καὶ ὕμνοι. Quo scholio nisus J. H. Voss (Mytholl. Brieff. 1, 119) conjecit Aristophanem respexisse hymnum Homericum In Apollinem vs. 114, ubi non sola quidem Iris, sed Iris et Ilithyia τρήρωσι πελειάσι comparantur. Cfr. Welckerum Ep. cycl. 1, 408. Avv. 908 sqq poëta personatus Pisthetaero interroganti quis sit ἐγώ, respondet, μελιγλώσσων ἐπέων ἱεὶς ἀοιδάν, | Μουσάων θεράπων ὀτρηρός, | κατὰ τὸν Ὅμηρον. Pisthetaerus: ἔπειτα δῆτα δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις; Poëta: οὔκ, ἀλλὰ πάντες ἐσμὲν οἱ διδάσκαλοι | Μουσάων θεράποντες ὀτρηροί, | κατὰ τὸν Ὅμηρον. Is locus propterea memorabilis est, quia eo docemur, Margitem Aristophani quoque ut Cratino genuinum Homeri visum fuisse carmen. Schol. ad vs. 913 θεράποντες ὀτρηροί: ἐπειδὴ ὀτρηροὶ ἐπὶ τῶν θεραπόντων λέγεται. ἐπεπίστευτο δὲ καὶ ὁ Μαργίτης τοῦ Ὁμήρου εἶναι. ἐν ᾧ εἴρηται „Μουσάων θεράπων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος". In sequentibus Aristophanes Simonidem laudat vs. 919, Pindarum vs. 939; Pindari aliis locis non redit nomen; Simonides praeterea Nubb. 1356. 1362 Vespp. 1410 Pac. 697 nominatur. Bis occurrunt Anacreon et Alcaeus Thesmm. 161 fragm. ap. Athen. 15, 694, semel Lasus Vespp. 1410, Thespis semel Vespp. 1479, Hipponax semel Rann. 661, Polymnestus semel Eqq. 1287, Ibycus semel Thesmophorr. 161, Olympus semel Eqq. 9, Orpheus, Musaeus, Hesiodus semel Rann. 1032. Praeter Homerum ex antiquioribus solum Aesopum saepius memorat Aristophanes, Vespp. 566. 1259. 1401. 1446 Pac. 129 Avv. 471. 651. In Ranis vs. 1030 sqq catalogum exhibet personatus Aeschylus poëtarum vetustissimorum, ex quo fortasse concludendum, ab Aristophane Homerum aetate inferiorem Hesiodo esse habitum: σκέψαι γὰρ ἀπ' ἀρχῆς, | ὡς ὠφέλιμοι τῶν ποιητῶν οἱ γενναῖοι γεγένηνται. | Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς θ' ἡμῖν κατέδειξε φόνων τ' ἀπέχεσθαι, | Μουσαῖος δ' ἐξακέσεις τε νόσων καὶ χρησμούς, Ἡσίοδος δέ | γῆς ἐργασίας, καρπῶν ὥρας, ἀρότους· ὁ δὲ θεῖος Ὅμηρος | ἀπὸ τοῦ τιμὴν καὶ κλέος ἔσχεν πλὴν τοῦδ' ὅτι

χρήστ' ἐδίδαξε, | *τάξεις*, *ἀρετάς*, *ὁπλίσεις ἀνδρῶν*; Pac. 1089 sqq interroganti Hierocli vati *ποῖον γὰρ κατὰ χρησμὸν ἐκαύσατε μῆρα θεοῖσιν* Trygaeus respondet *ὅνπερ κάλλιστον δή που πεποίηκεν Ὅμηρος*· | *ὡς οἱ μὲν νέφος ἐχθρὸν ἀπωσάμενοι πολέμοιο* | *Εἰρήνην εἵλοντο καὶ ἱδρύσανθ' ἱερείῳ*. | *αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ' ἐκάη καὶ σπλάγχν' ἐπάσαντο*, | *ἔσπενδον δεπάεσσιν*· *ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμόνευον*· | *χρησμολόγῳ δ' οὐδεὶς ἐδίδου κώθωνα φαεινόν*. Interpellat Hierocles 1095 *οὐ μετέχω τούτων*· *οὐ γὰρ ταῦτ' εἶπε Σίβυλλα*. Respondet Trygaeus *ἀλλ' ὁ σοφός τοι νὴ Δί' Ὅμηρος δεξιὸν εἶπεν*· | *ἀφρήτωρ*, *ἀθέμιστος*, *ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος*, | *ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος*. Per reliquum colloquium sparsae Homericorum versuum parodiae, quales aliis permultis locis et Aristophanis et aliorum comicorum Homero non nominato offeruntur. Apud Aristophanem, quem etiam per vitam quotidianam versibus Homeri usum fuisse indicat narratio vitae Arist. 1 lin. 31 sqq West. de versibus *α* 215. 216, insignis ex illo parodiarum genere locus est Pac. 1270 sqq, qui complures exhibet Iliadis et Odysseae versus integros, incipit autem verbis *Νῦν αὖθ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν ἀρχώμεθα*. Quae verba quum initium fuerint Epigonorum, carminis illius, quod dubitanter Herodotum vidimus ab Homero alienum censuisse, Aristophanem apparet ut Margitem et hymnum In Apollinem ita E p i g o n o s quoque Homero adscripsisse. Aliis locis singulae glossae Homericae exstant, ut *ἰνδάλλεται* Vespp. 188, *ἁμόθεν* frgm. ap. Photium Lex. 72, 21 (Mein. 2, 2, 1211); aliis locis particulae versuum depromptae sunt ex Homero, ut Nubb. 401 verba *Σούνιον ἄκρον Ἀθηνέων* ex versu Odysseae *γ* 278; cfr. Demetr. De elocut. 150 Walz. Rhett. 9, 69 et Dindf. not. ad schol. Ar. Criticae Homericae hic locus Aristophanis nihil praestat; utroque enim loco et apud Homerum et apud Aristophanem variae scripturae *Ἀθηναίων* (i. e. *Ἀθηνέων*) *Ἀθηνῶν* redeunt. Sed sunt alii loci Aristophanis, qui ad historiam textus Homerici ornandam in censum veniunt; sic Rann. vs. 187 docet, Aristophanem in suo Homeri codice *λ* 14 legisse non *Κιμμερίων ἀνδρῶν*, sed *Κερβερίων*; vid. Etymol. m. *Κιμμέριοι* scholl. Aristoph. et Homeri Buttm. Cram. Ann. Parr. 3, 469 Eustath. *λ* 14 p. 1671, 1 (ubi pro *βερβερίους* legendum *Κερβερίους*)

Phot. Hesych. *Κερβέριοι*. In Etymologico etiam Sophocles (frgm. 898 Dindf. Ox.) legisse arguitur apud Homerum *Κερβερίων*. Esse locos tragicorum unde lectio varia Homeri caperet incrementa non erat supra quod expresse monerem. Sic Aeschylum e. g. *N* 6 non *γλακτοφάγων Ἀβίων* legisse sed *Γαβίων* efficitur e fragmento ap. Steph. Byz. s. v. *Ἄβιοι* servato (scholl. AV *N* 6 Eustath. *N* 6 p. 916, 24 frgmt. Dindf. Ox. no 184). Nunc ad Aristophanem ut redeamus, *Ἄιδος κυνῆν* commemoratam habes Acharnn. 390, *γοργόνα ἀσπίδος* Acharnn. 1124. 1181 Lysistr. 560, Charybdin Eqq. 248, Cyclopem Polyphemum Plut. 290, Ulixem Avv. 1561 Plut. 312 Vespp. 181. 350, Penelopam Thesmm. 547, Circen Plut. 302, Memnonem et Sarpedonem Nubb. 622, Patroclos et Teucros *θυμολέοντας* Rann. 1041. Sed haec hactenus. Nam si lustrare pergerem Homericos comicorum locos, parodias, glossas, argumenta, justus liber nasceretur De comicorum studiis Homericis inscribendus. Sed de ea re ut liber justus scribatur valde optandum est; neque enim ullo alio modo melius doceri poterit quam accuratam si non omnes Graeci, certe Athenienses Homeri habuerint notitiam, quantique fecerint eum.

Epicos poëtas tres insignes quintum a. Chr. saeculum tulit, Panyasin Halicarnassensem, Choerilum Samium, Antimachum Colophonium. Panyasis belli Persici prioris fere temporibus floruit, primis fere Peloponnesiaci Choerilus, Choerilo paullo inferior aetate Antimachus fuit. Panyasin Herodoti patruelem alii teste Suida s. v. *Πανύασις* perhibebant, alii, quibus fides habenda, avunculum. Herodoti discipulum Choerilum non sine veri specie Suidas s. v. *Χοιρίλ. Σάμ.* narrat. Conferenda imprimis Naekii dissertatio in libro quo Choerili reliquias complexus est edito Lipsiae 1817. Antimachi reliquias post Schellenbergium (cujus liber prodiit Halae 1786) Stoll edidit Dillenburgi 1845. De Panyaside dissertationes inaugurales nominandae sunt Funckii edita Bonnae 1837 et Tzschirneri edita Vratislaviae 1836. Nomen, patriam et gentem, aetatem Panyasidis tractavit Tzschirner, de vita et scriptis egit fragmentaque collegit Funcke. Tzschirner dein 1842 et in programmate gymnas. Magdal. Vratislav. et seorsum cum commentationibus de vita et carminibus fragmenta Panya-

sidis edidit. Panyasidis, Choerili, Antimachi fragmenta conjuncta cum aliis quibusdam ad calcem Lehrsiani Hesiodi edidit Duebner Paris. 1840. Antimachus praeter alia nonnulla, in quibus elegia Lydes titulo inscripta clara fuit, haud parvi ambitus carmen, Thebaidem composuit, qua bella illa duo ab Argivis adversus Thebanos heroicis temporibus gesta celebravit, antiquissima Thebaidis carmina et Epigonorum aemulatus, quae ad Homerum vulgo referebant. Choerilus Perseidem sive Persica scripsit, quo carmine bellum Graecorum cum Xerxe gestum illustravit. Panyasis, qui epicam poësin paene exstinctam denuo excitasse traditur a Suida s. v. *Πανύασις* (Eudocia p. 357), Heracleam s. Heracleadem s. Heracleidem composuit de rebus ab Hercule gestis et Ionica elegiacum carmen de migratione Ionum Neleo et Codro ducibus facta in Asiam. Argumenta igitur ab Homero aliena sibi elegerunt Panyasis et Choerilus, Homericum vel quod Homericum esse credebatur Antimachus. In disponenda materie Heracleadis Panyasis longissime recessit ab Homero. Hic enim, sive Iliadem spectes sive Odysseam universam, actionis unitatem videtur servavisse; Panyasis contra actionis unitate non curata omnia Herculis fata narravit ab ovo ad mala. Cfr. Aristotel. Poët. 4, 13 sqq 14, 4 sqq Buhl. minor. et Funckium p. 11. Unitatem actionis quin servarent Choerilus in Persicis, in Thebaide Antimachus facere vix potuerunt; quamquam Antimachi ambages multas atque prolixitatem vituperaverunt veteres. Vide e. g. Plutarchum De garrulitate cap. 21 et Gregor. Nazianz. Ep. 3 ad Nicobul. cujus verba sunt haec: *τὸ λακωνίζειν οὐ τοῦτό ἐστιν, ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας. οὕτως ἐγὼ βραχυλογώτατον Ὅμηρον λέγω, καὶ πολὺν τὸν Ἀντίμαχον. πῶς; τοῖς πράγμασι κρίνων τὸ μῆκος, ἀλλ' οὐ τοῖς γράμμασι.* Fuisse vero Antimachi poësin similem quodammodo Panyasideae Dionys. Hal. Vett. cens. cap. 2 no 4 et Quinctil. 10, 1, 54 arguunt. Inde factum videtur, ut Panyasidis discipulus ab aliis, ab aliis servus ejusdem diceretur Antimachus, uti testatur Suidas s. v. *Ἀντίμαχος*. Sermonis naturam si quaeris Panyasis et Choerilus non multum afuisse videntur a simplicitate Homeri; Antimachus vero, cujus *Ὁμηρικὸν ζῆλον* tangit Eustathius *Α* 1 p. 9, 44, quum in multis

Homeri vestigia premeret adeo ut furatus esse de illo diceretur teste Porphyrio ap. Euseb. Praep. ev. 10, 3, doctrinae reconditissimae copiis omnia refersit. Vide e. g. Plutarch. Timol. 36 *καθάπερ γὰρ ἡ μὲν Ἀντιμάχου ποίησις καὶ τὰ Διονυσίου ζωγραφήματα τῶν Κολοφωνίων, ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον, ἐκβεβιασμένοις καὶ καταπόνοις ἔοικε, ταῖς δὲ Νικομάχου γραφαῖς καὶ τοῖς Ὁμήρου στίχοις μετὰ τῆς ἄλλης δυνάμεως καὶ χάριτος πρόσεστι τὸ δοκεῖν εὐχερῶς καὶ ῥᾳδίως ἀπειργάσθαι, οὕτως κτἑ.* Inde factum ut complures Antimachum libris peculiaribus illustrarent. Sic Suidas s. v. *Λογγῖνος* (Eudoc. 283) Porphyrii praeceptorem Longinum, cujus multi libri fuerint Homerici, De Antimachi glossis, *Λέξεις Ἀντιμάχου* scripsisse perhibet. *Περὶ τῆς Ἀντιμάχου ποιήσεως* librum composuisse Dionysius Phaselites narratur vit. Nicandri 1 West. Cfr. Stoll. p. 25. Dionysius Hal. Comp. verbb. cap. 22 Antimachum, Empedoclem, Pindarum, Aeschylum, Thucydidem, Antiphontem austerae compositionis nominat exempla; Panyasin idem illis in catalogis et Choerilum praeteriit. In Vett. cens. 2, 3. 4 illustrantur Antimachus et Panyasis, omittitur Choerilus. Placuit Antimachus Alexandrinorum grammaticorum principibus magis quam Choerilus, quod judicium ut alia quaedam Alexandrinis praeivisse Platonem philosophum docent narrationes Procli in Platon. Tim. 1 p. 28 Plutarchi Lysandr. 18 Ciceronis Brut. 51. His e narrationibus derivatae temporum Antimachi computationes sunt quae leguntur apud Suidam s. v. *Ἀντίμ.* (Eud. p. 61) *γέγονε δὲ πρὸ Πλάτωνος* et Apollodori Atheniensis grammatici ap. Diodor. 13, 108 qui Artaxerxe regnante (qui 404 a. Chr. rex factus est) *ἠνθηκέναι* scripsit Antimachum. Platonis temporibus Choerilus plerisque magis placebat quam Antimachus. Decretum fuisse ut cum Homericis Choerili carmen publice declamaretur e Suida s. v. *Χοιρίλος Σάμ.* constat et Hesychio Milesio De virr. illustribb. s. v. *Χοιρίλ. Σάμ.* (no 75. Mueller. HGF 4, 177), qui narrant *ὅτι καὶ σὺν τοῖς Ὁμήρου ἀναγινώσκεσθαι ἐψηφίσθη.* Id recte Naekius p. 89 ad Athenienses et Panathenaeorum festos dies traxit, quibus rhapsodi fuerint jussi cum Homero Choerilum recitare. Aristoteles Choerilum Rhetor. 3, 14, 4 et (tacens nomen) cum Homero 3, 14, 6 ita commemorat, ut non ignobi-

lem eum habuisse poëtam appareat; sed Homerum multo magis cognitum fuisse plurimis quam Choerilum idem patefacit Topicc. 8, 1, in fine: *εἰς δὲ σαφήνειαν παραδείγματα καὶ παραβολὰς οἰστέον· παραδείγματα δὲ οἰκεῖα, καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν, οἷα Ὅμηρος, μὴ οἷα Χοιρίλος. οὕτω γὰρ ἂν σαφέστερον εἴη τὸ προτεινόμενον.* Cfr. Naek. p. 92. Euphorio Choerilum pluris fecisse quam Antimachum arguitur a Cratete Pergameno in epigrammate A. P. 11, 218, de quo videndus Meineke Anall. All. 7. 30. Callimacho Lyden Antimachi non placuisse commonstrat epigrammatis frustulum servatum in scholl. Dionys. Per. init. p. 317, 21 ed. Bernh. (fr. Bentl. no 441 ed. Ernest. 1 p. 574). Principes autem Alexandrinorum grammaticorum Antimachum cum Panyaside inter optimos quinque poëtas epicos rettulerunt, Choerilum contra excluserunt, unde factum ut perpauca tantummodo ejus fragmenta sint servata, quum non pauca Panyasidis habeamus, multa Antimachi. Aristarchi et Aristophanis Byzantii judicium refert Proclus in vita Homeri: *Ἐπῶν ποιηταὶ γεγόνασι πολλοί· τούτων δ' εἰσὶ κράτιστοι Ὅμηρος, Ἡσίοδος, Πείσανδρος, Πανύασσις, Ἀντίμαχος.* Eadem in excerptis Procli Chrestomath. Phot. cod. 239 p. 319 A 17 Bekk. Eosdem quinque poëtas ordine variato recensent Tzetz. *Περὶ διαφ. ποιητῶν* vs. 170 (Cram. Ann. Oxx. 3, 339), Tzetz. Exeg. Hesiod. Opp. ed. Gaisf. p. 12, Tzetz. Proll. Lycophr. ed. Mueller. p. 251, Scholl. in Oppian. Halieutt. introd. (p. 8 Rittershus.) de quo loco videndus Stoll. p. 24 not. 49. Quinctilianus 10, 1, 53 Antimacho grammaticorum consensu secundas fere deferri scribit. Sic Antipater Thessalonicensis in epigrammate Antimachum celebrante A. P. 7, 409 *εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει, | καὶ Ζεύς τοι κρέσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων | τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος. | καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ, | ἀγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος ὑμνοπόλων.* Suidas s. v. *Πανύασις* (Eudoc. 357) de Panyaside *ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον.* Homero ipsi Antimachum praetulit Hadrianus imperator: vide Dion. Cass. 69, 4 Suid. *Ἀδριανὸς βασιλεύς* Spartian. vit. Hadrian. 16.

Locorum certorum Homeri imitationes in Choerili non

minus et in Panyasidis quam in Antimachi reperiuntur reliquiis; non tamen Choerili et Panyasidis nomina leguntur hodie in Aristonici Iliacis, legitur Antimachi nomen quattuor locis, in scholiis diplarum ad *Β* 2 *Δ* 440 *Ξ* 499 *Ω* 71 positarum. Sed Aristonici fragmenta manca esse constat; adversus Panyasin certe nonnullis locis diplas fuisse fragmenta poëtae clamant; adversus Antimachum vero longe plures fuerunt. Cum dipla *Δ* 440 conferendae sunt diplae *Ν* 299 *Ο* 119, quae ad eandem pertinent caussam: quas adversus Antimachum esse Aristonicus supersedit expresse monere. Sed de talibus atque aliis quibusdam diplis *πρὸς Ἀντίμαχον* quarum explicatio Aristonicea prorsus interiit distinctius exponere nunc non vacat.

Ex quattuor illis diplis, quarum in explicatione Aristonicea Antimachi hodie legitur nomen, tres priores poësin Antimachi notant, qui Homerum imitans inciderit in errores; quarta illa ad *Ω* 71 posita editionem spectat Iliadis Homericae ab Antimacho curatam. Antimachus enim, quem jure suo Suidas (Eudoc. p. 61) *γραμματικὸν καὶ ποιητὴν* vocat, Eustathius *Ν* 299 p. 932, 63 *τὸν γραμματικὸν Ἀντίμαχον*, Iliadem et Odysseam Homeri edidit, quae editio, *ἡ Ἀντιμάχου* s. *ἡ κατὰ Ἀντίμαχον* s. *ἡ Ἀντιμάχειος* in scholiis aliquoties diserte commemoratur. Lectiones ex Antimachea in scholiis, quantum video, tredecim locis proferuntur, *Α* 298. 423. 598 *Ε* 461 *Ν* 59 *Φ* 397. 607 *Χ* 336 *Ψ* 604. 870 *Ω* 71. 753 *α* 85. Ad *α* 85 videas Buttmannum et Cramerum Ann. Parr. 3 p. 417, 19, ad *Ε* 461 Bekkerum et Bachmannum, ad *Φ* 397 *Ψ* 870 praeter Bekkerum Eustathium *Φ* 397 p. 1243, 40 *Ψ* 870 p. 1334, 8, ad reliquos locos solum Bekkerum. Diplis notata videtur editio Antimachea praeter *Ω* 71 nonnullis aliis locis, e. g. *α* 85.

Sed enim missa facta diplarum restitutione nunc id agamus quod huic loco maxime convenit ut uno conspectu complectamur editiones Homeri quae Alexandrinorum et Zenodoti aetatem antecedere traduntur; *τὰς ἀρχαίας ἐκδόσεις* schol. *Ι* 657 dicit, *τὰς παλαιὰς* schol. *Θ* 131. Earum duae sunt classes, *αἱ κατὰ πόλεις* (s. *αἱ ἀπὸ πόλεων*, *ἀπὸ τῶν π.*, *αἱ διὰ τῶν π.*, *αἱ ἐκ τῶν π.*, *αἱ τῶν π.*, *αἱ πολιτικαί*, vid. e. g. scholl. *Υ* 308 *Φ* 351. 535 *Χ* 51. 294 *Ψ* 77. 206) et *αἱ κατὰ ἄνδρα* (scholl. *Χ* 108 *Ψ* 88). Posterior classis ex iis constat,

quae ad certum aut editoris aut possessoris nomen revocatae fuerunt. Ad hanc igitur classem praeter Antimacheam editionem pertinent de quibus supra exposui Cassandri Ilias et Odyssea *ἰδίως γεγραμμέναι* et quam in usum Alexandri magni confecisse narratur Aristoteles *ἡ Ἐκ τοῦ νάρθηκος*. Porro huc referenda editio Euripidis nescio cujus, de qua duo Eustathii et Suidae sunt testimonia. Suidas postquam locutiones *Εὐριπίδειον ἔπος* et *Εὐριπίδη Εὐριπίδιον* peculiaribus capitibus explicuit, tres deinceps enumerat homines quibus Euripidis fuerit nomen. Inter hos tertio loco positus est Euripides notissimus poëta tragicus, primo loco *Εὐριπίδης Ἀθηναῖος, τραγικός, πρεσβύτερος τοῦ ἐνδόξου γενομένου. ἐδίδαξε δράματα ιβ΄, εἷλε δὲ νίκας δύο.* Medio inter hunc et clarissimum tragicum loco positus est *Εὐριπίδης, τραγικός, τοῦ προτέρου ἀδελφιδοῦς, ὡς Διονύσιος ἐν τοῖς Χρονικοῖς. ἔγραψε δὲ Ὁμηρικὴν ἔκδοσιν, εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν. δράματα αὐτοῦ ταῦτα, Ὀρέστης, Μήδεια, Πολυξένη.* In capite de clarissimo Euripide tragico quartus et quintus commemoratur Euripides, alter filius *τοῦ πάνυ*, alter *ἀδελφιδοῦς*. Itaque in tanta horum trium de Euripidibus capitum confusione hoc certe constare videtur, nomen Euripidis in genere *τοῦ πάνυ* fuisse usitatissimum et hereditarium; quod si teneamus haud improbabile videbitur statuere, eum Euripidem, qui *ἔκδοσιν Ὁμηρικὴν* scripsit, cognatum fuisse *τοῦ πάνυ*, referendam autem esse editionem illam ad eadem fere tempora, ad quae Antimachi Colophonii editio pertinet, finem fere saeculi a. Chr. quinti. Fuisse revera quod exstiterunt qui dicerent dubium Euripidis editionem justam Homericorum carminum Eustathius confirmat *B* 865 p. 366, 13, ubi de versibus tribus agit *B* 864—866 *Μῄοσιν αὖ Μέσθλης τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην, | υἷε Ταλαιμένεος, τὼ Γυγαίη τέκε λίμνη, | οἳ καὶ Μῄονας ἦγον ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτας.* De his disserens versibus *γράφεται δὲ*, inquit, *ἐν τοῖς σχολίοις καὶ ὅτι ἡ Μασσαλιωτικὴ ἔκδοσις ἀντὶ τοῦ „Γυγαίη λίμνη“ „γυραίως“ εἶχεν. ἡ δὲ κατ' Εὐριπίδην μετὰ τὸν τρίτον στίχον, οὗ ἀρχὴ τὸ „οἳ καὶ Μῄονας ἦγον“, γράφει τέταρτον τοῦτον κατὰ σχῆμα ἐπαναλήψεως „Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι, Ὕδης ἐν πίονι δήμῳ“, οὗ δὴ στίχου καὶ ὁ γεωγράφος μνησθεὶς φησιν*

(Strab. 13, 626) ὡς οὐδεμία εὑρίσκεται Ὕδη ἐν τοῖς Λυδοῖς .... lin. 25 οἱ δὲ προσθέμενοι τὸ προσεχῶς πρὸ βραχέων ῥηθὲν ἐπαναληπτικὸν ἔπος τὸ „Τμώλῳ ὑπὸ νιφόεντι καὶ ἑξῆς παρεισήγαγον τὸν αὐτὸν στίχον, ὡς καὶ αὐτὸ προεδηλώθη (ad *B* 782 p. 346, 34), καὶ μετὰ τὸ „εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς (*B* 783)" ὡς Ἀριμαίου καὶ τοῦ τοιούτου τόπου ὄντος. Arcessitus versus Τμώλῳ ὕπο νιφόεντι ex *Υ* 385 est; quem locum ubi evolveris, caussam translationis videbis contineri versibus *Υ* 390. 91 γενεὴ δέ τοί ἐστ' ἐπὶ λίμνῃ | Γυγαίῃ. Transeo ad quintum Homeri exemplar hominis nomine designatum, τὴν Ἀπελλικῶνος. Apellico Teius, homo dives, qui Sullae temporibus vixit, in codicibus antiquis undique conquirendis operam et studium posuisse traditur ab Athenaeo 5, 214 tam flagrans, ut non solum magnam pecuniam in hoc negotio consumeret, sed ne a furto quidem abstineret faciendo, furto ubi vidisset libros acquiri posse antiquos. Quacumque igitur hic ratione librorum congessit magnam copiam, quam Athenis captis anno 88 a. Chr. a Sulla Romam transportatam esse Strabo refert 13, 609 et Plutarch. Sull. 26 (Suid. Σύλλας), quorum de narrationibus videndus Stahr Aristotell. 2 diss. 1 imprimis p. 18 sqq 114 sqq. Steterat enim Apellicon a partibus Atheniensium deficientium a Romanis duce Athenione. Bibliothecam dein Romam translatam ordinavit Tyrannio Amisenus grammaticus clarissimus, cujus mentionem supra bis injeci. In libris vero Apelliconis antiquum aut Iliadis solius aut utriusque carminis codicem fuisse, qui ab illius nomine ἡ Ἀπελλικῶνος appellaretur, ex anecdoti Romani loco constat, quem Osannus quidem exemplar ab Helicone monte denominatum ratus indicari sic edidit p. 5: Ἡ δὲ δοκοῦσα ἀρχαῖα Ἰλιάς, λεγομένη δὲ ἀπ' Ἑλικῶνος, προοίμιον ἔχει τοῦτο· „Μούσας ἀείδω καὶ Ἀπόλλωνα κλυτότοξον", ὡς καὶ Νικάνωρ μέμνηται καὶ Κράτης ἐν τοῖς Διορθωτικοῖς. Enotasse e codice ἀπ' Ἑλικῶνος Osann sese ait p. 257 not. 1; aut hoc retinendum sibi fuisse in contextu p. 5, aut corrigendum ἀφ' Ἑλικῶνος. Qua emendatione recepta ille p. 257 in contextu suo scripsit ἡ δὲ δοκοῦσα ἀρχαῖα Ἰλιάς, λεγομένη δὲ ἀφ' Ἑλικῶνος. Sic ἀφ' Ἑλικῶνος etiam aliis locis, e. g. p. XI. 260 cett. Scribendum fuisse non solum ἀρχαία liquet sed

etiam Ἀπελλικῶνος, id quod primus, quantum scio, monuit Augustus Nauck, cujus schedae insertae sunt Schneidewini Philologo 6, 3 (1851) p. 560 — 563. Cum iis conferenda censura libri Osanniani doctissime et facetissime scripta a Woldemaro Ribbeckio in Jahnii annall. 66, 1 p. 3 sqq.

Quinque illae quas enumeravi editiones κατ' ἄνδρα certo ad tempora referuntur Alexandrinis grammaticis superiora. Incerta aetas est editionum duarum κατ' ἄνδρα, quae nonnullis scholiorum locis nominantur, τῆς Σωσιγένους et τῆς Φιλήμονος s. κατὰ Φιλήμονα. Commemoratur ἡ Φιλήμονος scholl. *B* 258 (Bkk. Bachm.) *Π* 467 (Bkk.), ἡ Σωσιγένους scholl. *A* 91 (Bkk. Bachm.) 124. 435. 585. *Γ* 51 (Bkk.). His igitur in transcursu nominatis ad alteram editionum antiquarum classem transeo τὰς κατὰ πόλεις, quae nomen traxerunt a populis. Eae numero sunt septem: ἡ Αἰολική (ἡ Αἰολίς), ἡ Ἀργολική, ἡ Κρητική, ἡ Κυπρία (ἡ Κύπριος), ἡ Μασσαλιωτική, ἡ Σινωπική, ἡ Χία. Has septem editiones omnes et Iliadem et Odysseam continuisse non est dubium, quamvis Iliadis lectiones in scholiis non proferantur ex Aeolica, Odysseae lectiones nullae e Cretica, Cypria, Sinopica, Chia. Proferuntur lectiones in scholiis e Massaliotica quantum scio viginti novem locis: *A* 97. 298. 423. 585. 598 *B* 258. 865 *Γ* 10 *M* 281. 283 *Ξ* 418 *O* 44 *Π* 59. 127 *Σ* 502. 538 *T* 56. 76 *Υ* 62 *Φ* 88. 162. 282. *Ψ* 870. 879 *Ω* 109. 192. 304 *α* 38. 97. Ad *α* 97 videas Prellerum, ad *α* 38 Buttmannum, ad *M* 283 Bekkerum, Bachmannum, Eustathium 283 p. 905, 15, praeter Bekkerum ad *A* 97 Bachmannianum scholium mendose ad *A* 91 scriptum, item Bekkerum et Bachmannum ad *B* 258, ad *A* 298 *O* 44 *Ψ* 870 praeter Bekkerum Eustathium *A* 298 p. 106, 36 *O* 44 p. 1005, 18 *Ψ* 870 p. 1334, 5, ad *B* 865 solum Eustathium 865 p. 366, 13, in reliquis locis solum Bekkerum. Eustathius etiam *A* intr. p. 6, 43 editiones nonnullas narrans Massalioticam commemorat. Transeo ad Chiam, quam quattuordecim locis commemoratam vidi *Γ* 10 *N* 59 *Ξ* 349. 418 *P* 134 *T* 56. 76. 86. 96. 117 *Υ* 188 *Φ* 126 *Ω* 109. 332. Ad *Φ* 126 videas Cram. Ann. Parr. 3 p. 292, 5, ad reliquos locos omnes solum Bekkerum. Octo locis mentio facta est τῆς Ἀργολικῆς, *A* 298. 435. 598 *Γ* 51 *N* 363 *O* 44 *Σ* 39 *α* 424. Testantur sola Buttmanniana et Bekkeriana

scholia. Sequitur η Σινωπική, cujus lectiones quinque locis vidi allatas *A* 298. 423. 435 *B* 258 *E* 461. Conferas ad *E* 461 *B* 258 Bekkerum et Bachmannum, ad *A* 298 Bekkerum et Eustathium 298 p. 106, 36, ad *A* 423. 435 solum Bekkerum. Commemorat τὴν Σινωπικὴν etiam Eustathius *A* intr. p. 6, 44. Quattuor locis memoria nititur τῆς Κυπρίας, *A* 332. 381. 423 *E* 461. Ad *E* 461 testantur Bekkeriana et Bachmanniana, in reliquis sola Bekkeriana. De Aeolica tres in Buttmannianis scholiis certi sunt loci ξ 280. 331 σ 98, unus incertus ω 147 in Harlejano ap. Cram. Ann. Parr. 3 p. 511, 21. Restat septima ἡ Κρητική, de qua unus certus locus est in scholiis Bekkerianis *A* 381; incertum unum addidit Beccard Scholl. Venn. p. 48 not. 6 et 10; is enim schol. A *B* 258 pro ἐν δὲ τῇ κατὰ Φιλήμονα τὸν Κρητικὸν legendum censuit ἐν δὲ τῇ κατὰ Φιλήμονα καὶ Κρητικῇ. Non commemoravit Beccard scripturam Φιλήμονα τὸν κριτικόν, de qua videri potest e. g. Duentzer Zenodot. p. 41 not. 49. Hic autem addere poterat apte dictum videri Φιλήμονα τὸν κριτικὸν ut distingueretur a Philemone comico; quod observatum reperies in Fabricii Bibl. Gr. ed. Harl. 1 p. 361.

Dubium hoc visum est, cur potissimum a populis nomina traxerint editiones. Alii enim civitatum publica auctoritate confectas esse eas editiones statuerunt, alii nomina esse ducta ab iis civitatibus, unde transportatae essent Alexandriam editiones. De qua re qui disceptant, non attendere illi videntur nomina populorum. Sunt quattuor Ionici, Chiorum, Massaliensium, Sinopensium, Cypriorum (nam de Doriensibus Cypriis hac in re non cogitandum videtur), tres non Ionici, Argivorum, Cretensium, Aeolensium h. e. Lesbiorum; nam si Cumaeorum fuisset editio, audiret ea ἡ Κυμαία; soli Lesbii nudo Aeolensium nomine saepius designantur. Apud populos non Ionicos Homerica carmina intrusis multis vocabulorum formis non Ionicis foedata fuisse et per se liquet, et exemplis demonstrari potest. Sic versum Parvae Iliadis quem attuli supra, quo tempus eversionis Trojae definitur, Ionice scriptum exhibent alii νὺξ δ' ἄρ' ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη et νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὴ δ' ἐπέτελλε σελήνη, alii corruptum εἰς τὸ Αἰολικώτερον vel Δωρικώτερον sic νὺξ μὲν ἔην μεσάτα, λαμ-

πρὰ δ' ἐπέτελλε σελάνα, alii media quadam ratione, quam Schneidewin Exercitatt. critt. cap. 6 add. Eustath. Prooem. comm. Pindarr. p. 41 poëtae ipsius fuisse suo jure statuit, Ionica et Aeolica (vel Dorica) dialecto commode mixta, νὺξ μὲν ἔην μέσση, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελήνη. Vide Tzetz. Posthomm. 720. 773 Tzetz. Lycophr. 344 Eudoc. p. 31 Clement. Stromm. 1, 104 scholl. Euripid. Hecub. 892. Eadem vero ratione, qua in hoc versu μεσάτα, σελάνα, fortasse etiam λαμπρά introductum, universa Homeri carmina Aeolice legenda esse autumaverunt Zopyrus Magnes et Dicaearchus teste auctore Anecdoti Romani ed. Osann. p. 5. Totam igitur hanc corruptionem εἰς τὸ Αἰολικώτερον vel Δωρικώτερον grassantem ut interciperent, eae civitates Aeolicae et Doricae, quibus in cura insigni fuerunt Homerica carmina, editionibus publica auctoritate et fide in vulgus emissis constituendum curasse mihi videntur textum. Maxime autem Homerici si quaeris quinam fuerint Dorienses et Aeolenses, ipsa illa nomina offeruntur populorum, a quibus editiones vocatas fuisse tradunt, Cretensium, Argivorum, Lesbiorum. Magis Homerici quam hi ne Spartani quidem fuerunt, quorum ab indole atque natura ceteroquin alienum fuit editionibus carminum vacare critice condendis. Hi procul dubio Cretica editione in usus suos translata erant contenti. Osannus autem vir doctissimus quod miratus est An. Rom. p. 279 ex Aeolica Odysseae editione quae proferantur lectiones in iis nihil reperiri quod Aeolensium sermonem sapiat, non erat profecto quod miraretur ille. Nam ne proferri possent Aeolismi ex Aeolica editione edita ea fuit. Jam videamus rationes Ionicarum quattuor editionum. Ex his tres populorum sunt in extremo orbe terrarum medios inter barbaros collocatorum, Massiliensium, Sinopensium, Cypriorum. Talis conditio quarum fuit civitatium, iis a barbarismo in Homerum irrepente cavendum erat prout Aeolensibus et Doriensibus a Dorismo et Aeolismo. Jam si quaeris quae fuerint maximae et opulentissimae civitates Graecae ex iis, quae mediis in barbaris habitarint longissimeque a Graecia proprie dicta fuerint remotae, Cyprii, Massilienses, Sinopenses nominandi; hos igitur proprias sibi habuisse Homeri editiones publica fide sancitas est consentaneum.

Aequasse illorum studium Homericum videntur Borysthenitae, Cyrenenses, Naucratitae; sed Naucratitae Cypriam, Cyrenenses aut Cypriam aut Creticam, Borysthenitae Sinopicam editionem suam fecisse videntur. Restat septima editio Chia. Ex iis Ionibus, qui medios inter Graecos habitabant, soli Chii quod propriam sibi habuerunt editionem Homeri, mirum videri non poterit ubi reputaveris in Chio insula, quam plurimos Homeri patriam habuisse vidisti, totam gentem sedes habuisse collocatas quae ab ipso Homero et genus duceret et ipsum nomen. Gentem eam Homeridarum ab Acusilao et Hellanico commemoratam esse atque ab Homero deductam supra rettuli; etiam longo tempore post logographorum aevum eam fuisse superstitem e. g. Suidae locus docet (Eudocia p. 357): *Παρθένιος Χῖος, ἐποποιός, υἱὸς Θέστορος· ὃς ἐπεκαλεῖτο Χάος, Ὁμήρου δὲ ἦν ἀπόγονος. ἐποίησεν εἰς Θέστορα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα. οὗτος ἔγραψε καὶ Περὶ μεταμορφώσεως.* Dubitant viri docti de verbis *οὗτος — μεταμορφώσεως*, quae apud Eudociam desiderantur, apud Suidam in uno codice leguntur vetustissimo: quae etiamsi dempseris restabunt in reliquis indicia quae doceant, Parthenii hujus Chii aetatem, quam alii scriptores non definiunt, antiquam non esse.

Chiae editionis aetatem superiorem dicere vix licebit medio saeculo a. Chr. n. quinto, quibus ipsis temporibus sat multos Chios fuisse constat literis qui navarent operam insignem. Tres Chios medio et exeunte saeculo quinto literas ornantes supra attigimus, Licymnium, Nessum, Metrodorum; iis nunc commode subjungam Ionis tragici poëtae clarissimum nomen, et Democritum Chium musicum, qui teste Diogene Laertio 9, 49 aequalis fuit Abderitae Democriti; cfr. Polluc. 4, 65, Praxidamantem, Socratem, Aristophanem ap. Suid. s. v. *Χιάζειν* (Mein. Comm. 2, 2, 1200), Eupolin ap. Hesych. s. v. *Βάστας ὁ Χῖος* (Mein. 2, 1, 449), Lucian. Pseudolog. 3, Aristotel. Rhetor. 3, 9, 6 (ubi versus qui profertur depromptus est ex Hesiodi Opp. 265). Iisdem porro temporibus Oenopides et Hippocrates Chii vixerunt, uterque in philosophia et mathematica clarus. Proclus Diad. libro 2 ad Euclid. Elementt. lib. 1 ed. Basil. Hervag. 1533 fol. p. 19 *μετὰ δὲ τοῦτον* (intell. *τὸν Πυθαγόραν*) *Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομέ-*

νιος πολλῶν ἐφήψατο κατὰ γεωμετρίαν, καὶ Οἰνοπίδης ὁ Χῖος, ὁ τὸν τοῦ μηνίσκου τετραγωνισμὸν εὑρών, καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος, ὀλίγῳ νεώτερος ὢν τοῦ Ἀναξαγόρου, ὧν καὶ ὁ Πλάτων ἐν τοῖς Ἀντερασταῖς ἐμνημόνευσεν, ὡς ἐπὶ τοῖς μαθήμασι δόξαν λαβόντων. ἐφ' οἷς Ἱπποκράτης ὁ Χῖος, ὁ τὸν τοῦ μηνίσκου τετραγωνισμὸν εὑρὼν καὶ Θεόδωρος ὁ Κυρηναῖος ἐγένοντο περὶ γεωμετρίαν ἐπιφανεῖς. πρῶτος γὰρ ὁ Ἱπποκράτης τῶν μνημονευομένων καὶ στοιχεῖα συνέγραψε. Πλάτων δὲ ἐπὶ τούτου γενόμενος κτἑ. Interpolata sunt quae leguntur inter *Οἰνοπίδης ὁ Χῖος* et *ἐφ' οἷς Ἱπποκράτης*, verba dico *ὁ τὸν τοῦ μηνίσκου — λαβόντων.* Vide Procl. libro 3 p. 59 *πρῶτον δέ φασι τῶν ἀπορουμένων διαγραμμάτων τὴν ἀπαγωγὴν ποιήσασθαι Ἱπποκράτην τὸν Χῖον, ὃς καὶ μηνίσκον τετραγώνισεν καὶ ἄλλα πολλὰ κατὰ γεωμετρίαν εὗρεν, εὐφυὴς περὶ τὰ διαγράμματα εἴπερ τις ἄλλος γενόμενος.* Nec Platonem recte de Theodoro et Oenopide testantem fecit interpolator. Nam in Platonico dialogo Amatorum titulo inscripto cap. 1 p. 132 Steph. non Oenopides et Theodorus commemorantur, sed Anaxagoras et Oenopides. Pythagoreum philosophum fuisse Hippocratem testatur Iamblichus De philosophia Pythagor. lib. 3 Villoison. Anecdd. 2 p. 216, ubi post Hippasum nominatur Hippocrates cum Theodoro: *ἐπέδωκε δὲ τὰ μαθήματα, ἐπεὶ ἐξενηνέχθησαν δισσοὶ προαγόντε, μάλιστα Θεόδωρός τε ὁ Κυρηναῖος καὶ Ἱπποκράτης ὁ Χῖος.* De Theodoro Socratis aequali conferas Xenoph. Memorabb. 4, 2, 10; sic de Hippocrate quoque quum plures possim unum addidisse locum satis habeo Plutarch. Solon. 2. Oenopidem Chium Proclus in eodem opere praeter illum quem modo protuli tribus locis memoravit, lib. 2 p. 23 lib. 3 p. 75. 87. Memorabilis maxime locus est p. 23, ubi sectam propriam fuisse Oenopidis legimus: *οἱ δὲ περὶ Ξενόδοτον τὸν προσήκοντα μὲν τῇ Οἰνοπίδου διαδοχῇ, τῶν μαθητῶν δὲ Ἄνδρωνος διορίζονται τὸ θεώρημα τοῦ προβλήματος.* Problemata singula ab Oenopide inventa narrantur p. 75. 87, quorum alterum (p. 75) *χρήσιμον πρὸς ἀστρολογίαν* putasse ille dicitur. Aequalem Archelai philosophi Oenopidem fuisse tradit Diogenes L. 9, 41, quo cum loco conferre potes § 37, Sext. Empir. Pyrrhonn. hypotypp. 3, 30 p. 135 Fabr. Adv. dogmatt. 3 (Adv. physicos 1) 361 p. 620 Fabr. Diodor. 1, 41. 96. 98

Athen. 2, 87 Aelian. V. h. 10, 7 Plutarch. Placitt. philoss. 2, 12 Achill. Tat. Isag. in Arati Phaenomm. cap. 24 (Uranol. Petav. p. 86) alios. Quae Achilles Tat. l. c. dicit, Oenopidem mythologica astrologicis immiscuisse arguunt: *ἕτεροι δέ φασιν, ὧν ἐστι καὶ Οἰνοπίδης* (Pet. *Οἰνωπίδης*) *ὁ Χῖος, ὅτι πρότερον κατὰ τούτου ἐφέρετο ὁ ἥλιος, διὰ δὲ τὰ Θυέστεια δεῖπνα ἀπεστράφη, καὶ τὴν ἐναντίαν τούτῳ πεποίηται περιφοράν, ἣν νῦν περιγράφει ὁ ζωδιακός. ἔστι δὲ μυθῶδες τοῦτο καὶ ψεῦδος. τί γὰρ ἐροῦσιν οἱ ταῦτα λέγοντες περὶ τῆς σελήνης, καὶ τῶν πέντε ἀστέρων; οὐ γὰρ δὴ καὶ οὗτοι διὰ τὰ Θυέστεια δεῖπνα ἀπεστράφησαν.* Iisdem temporibus, quibus Oenopides, Hippocrates, Democritus, Ion, Metrodorus, Nessus, Licymnius, vixisse constat Xenomedem Chium logographum, de quo videndus Mueller HGF 2, 43. Paullo superiorem eum bello Peloponnesiaco aequalemque Hellanici Lesbii et Damastis Sigeensis nuncupat Dionys. Hal. De Thucyd. jud. 5. Etiam hunc in Homericis studiis fuisse occupatum schol. *Π* 328 docet, ubi pro *Ξενομήδῃ*, quod exhibet Bekker, scribendum *Ξενομήδης*. En illustrium Chiorum catalogum, qui medio et exeunte saeculo quinto a. Chr. n. in Chio insula maxime floruisse literas et artes Homericaque ante cetera studia liquido commonstrat. Sed hoc bene tenendum, unum solum Chium reperiri clarum in viris doctis, qui medio a. Chr. saeculo quinto fuerit antiquior, Cynaethum rhapsodum, de quo conferendus Welcker Ep. cycl. 1, 237 sqq. Hujus Cynaethi memoria prorsus incerta est atque fabulosa. Quod si verum est quod narratur in scholl. Pindar. Nem. 2, 1 (cfr. Eustath. *A* intr. p. 6, 38) hymnum In Apollinem, Homero quem adscribit Thucydides et, ut videtur, Aristophanes comicus, a Cynaetho Chio esse confectum, antiquissimum illum fuisse necesse statuamus. Sed ut fuerit recentior, editionem Homericorum carminum Chiam ad eum certe nemo referet qui quidem sani est judicii; nam rettulerunt quidam viri docti ad eum re vera. Sed hos verbo attigisse sufficit. Editionem Chiam medio a. Chr. saeculo quinto superiorem non esse liquet, ex quo inde tempore Chii insignem literis operam navare coeperunt. Similes rationes in reliquis *κατὰ πόλεις* editionibus valent, ex quibus nonnullae ne attigisse quidem initium saeculi quinti viden-

tur. Neque in altera illa editionum classe ταῖς κατ' ἄνδρα reperitur quae ultra Antimachi tempora cum veri aliqua specie possit referri. Editionum Homeri adornandarum studium bello Peloponnesiaco vetustius non fuit. Excitavit haud dubie et aluit Homeri edendi libidinem mercatura librorum frequentata primum a temporibus inde Periclis. Certe βιβλιοπωλῶν vocabulum et negotium poëtae comoediae antiquae Atticae videntur commemorasse primi. Locus classicus est apud Pollucem Lex. 7, 210. 211: ὡς δὲ μηδὲ τῶν βιβλίων ἀμελεῖν δοκοῖμεν, εἴποις ἂν βίβλοι, βιβλίον, βιβλάριον. παρὰ δὲ Ἀριστοφάνει βιβλιδάριον (Mein. Comicc. 2, 2, 1207). καὶ χάρτας δὲ τοὺς γεγραμμένους Πλάτων εἴρηκεν ὁ κωμικός· „τὰ γραμματεῖα τούς τε χάρτας ἐκφέρων (Mein. 2, 2, 684)". ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἐπὶ ἀγράφου τὸ βιβλίον εἴρηκεν Ἡρόδοτος εἰπὼν „γράψας ἐν βιβλίῳ (1, 125. 3, 40)". καὶ βιβλιοπώλην μὲν παρὰ Ἀριστομένει εὑρήσεις ἐν Γόησι (M. 2, 2, 732). βιβλιογράφον δὲ παρὰ Κρατίνῳ ἐν Χείροσι (M. 2, 1, 159). βιβλιογράφος δὲ παρὰ Ἀντιφάνει ἐν Σαπφοῖ (M. 3, 114). παρὰ δὲ τῷ νεωτέρῳ Κρατίνῳ ἐν Ὑποβολιμαίῳ βιβλιοθήκη (M. 3, 378). Ἀντιφάνης δὲ ἐν τῷ Μύλωνι εἴρηκε βιβλιδίου κόλλημα (M. 3, 88). Ἡρόδοτος δὲ (5, 58) τοὺς Ἴωνάς φησι τὰς βίβλους διφθέρας λέγειν ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ. τὰς δὲ διφθέρας καλοῦσι καὶ ἰττέστας. Poll. 9, 47 ἐν δὲ τῶν κοινῶν βιβλιοθῆκαι, ἢ ὡς Εὔπολίς φησιν, „οὗ τὰ βιβλία ὤνια (M. 2, 1, 550)", καὶ αὐτὸ ἐφ' αὑτοῦ· οὕτω γὰρ τὸν τόπον οὗ τὰ βιβλία οἱ Ἀττικοὶ ὠνόμαζον· ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλους τόπους ἐκ τῶν πιπρασκομένων, ὡς εἰ φαῖεν ἀπῆλθον εἰς τοὖψον, καὶ εἰς τὸν οἶνον κτἑ. Ex Theopompo comico Zonaras Lex. p. 388 verba servavit τοὺς βιβλιοπώλας λεύσομαι (M. 2, 2, 821). Apud Athenaeum 3 p. 126 E Nicophontis comici versus exstant, quibus inter alia multa cauponum genera, ἀλφιτοπώλας, μυστριοπώλας, ceteros, etiam βιβλιοπώλας recenset (M. 2, 2, 852). His comicorum locis unum addo Xenophontis historici testimonium Anabas. 7, 5, 14, unde constat exeunte saeculo quinto a. Chr. libros a mercatoribus in Pontum transportatos esse vendendos. Loquitur ibi Xenophon de Salmydesso ora Ponti navium periculis infami, ἔνθα, dicit § 12, τῶν εἰς τὸν Πόντον πλεουσῶν νεῶν πολλαὶ ὀκέλλουσι καὶ ἐκπίπτουσι· τέναγος γάρ ἐστιν ἐπὶ

πάμπολυ τῆς θαλάττης. ἐνταῦθα, pergit § 14, *εὑρίσκοντο πολλαὶ μὲν κλῖναι, πολλὰ δὲ κιβώτια, πολλαὶ δὲ βίβλοι γεγραμμέναι, καὶ τἆλλα πολλά, ὅσα ἐν ξυλίνοις τεύχεσι ναύκληροι ἄγουσιν*. Belli igitur Peloponnesiaci temporibus floruit librorum mercatura; iisdem temporibus novam legendi libros rabiem incessisse Athenienses Aristophanes testatur Rann. 1109 sqq: *εἰ δὲ τοῦτο καταφοβεῖσθον, μή τις ἀμαθία προσῇ | τοῖς θεωμένοισιν, ὡς τὰ | λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντοιν, | μηδὲν ὀρρωδεῖτε τοῦθ᾽· ὡς οὐκ ἔθ᾽ οὕτω ταῦτ᾽ ἔχει. | ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι, | βιβλίον τ᾽ ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά· | αἱ φύσεις τ᾽ ἄλλως κράτισται, | νῦν δὲ καὶ παρηκόνηνται. | μηδὲν οὖν δείσητον, ἀλλὰ | πάντ᾽ ἐπέξιτον, θεατῶν γ᾽ οὕνεχ᾽, ὡς ὄντων σοφῶν*. Iisdem temporibus fuisse complures Athenienses constat, qui bibliothecas conderent, E u c l i d e m, opinor illum, quo archonte 403 a. Chr. Athenienses vetere Attico literarum ordine abrogato decreverunt ut in publicis actis obtineret Ionicarum literarum usus, porro E u r i p i d e m p o ë t a m, cujus aliquem cognatum editionem Homericorum carminum curasse verosimile est, E u t h y d e m u m dein illum, de quo Xenophon Memorabb. 4, 2, 1: *καταμαθὼν γὰρ Εὐθύδημον τὸν καλὸν γράμματα πολλὰ συνειλεγμένον ποιητῶν τε καὶ σοφιστῶν τῶν εὐδοκιμωτάτων καὶ ἐκ τούτων ἤδη τε νομίζοντα διαφέρειν τῶν ἡλικιωτῶν ἐπὶ σοφίᾳ καὶ μεγάλας ἐλπίδας ἔχοντα πάντων διοίσειν τῷ δύνασθαι λέγειν τε καὶ πράττειν, πρῶτον μὲν αἰσθανόμενος αὐτὸν διὰ νεότητα οὔπω εἰς τὴν ἀγορὰν εἰσιόντα, εἰ δέ τι βούλοιτο διαπράξασθαι, καθίζοντα εἰς ἡνιοποιεῖόν τι τῶν ἐγγὺς τῆς ἀγορᾶς, εἰς τοῦτο καὶ αὐτὸς ᾔει* .... § 8 *παρακαθεζομένου δ᾽ αὐτῷ τοῦ Εὐθυδήμου, εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Εὐθύδημε, τῷ ὄντι, ὥσπερ ἐγὼ ἀκούω, πολλὰ γράμματα συνῆξας τῶν λεγομένων σοφῶν ἀνδρῶν γεγονέναι; νὴ τὸν Δί᾽, ἔφη, ὦ Σώκρατες· καὶ ἔτι γε συνάγω, ἕως ἂν κτήσωμαι, ὡς ἂν δύνωμαι πλεῖστα. νὴ τὴν Ἥραν, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἄγαμαί σου, διότι οὐκ ἀργυρίου καὶ χρυσίου προείλου θησαυροὺς κεκτῆσθαι μᾶλλον ἢ σοφίας· δῆλον γάρ, ὅτι νομίζεις, ἀργύριον καὶ χρυσίον οὐδὲν βελτίους ποιεῖν τοὺς ἀνθρώπους, τὰς δὲ τῶν σοφῶν ἀνδρῶν γνώμας ἀρετῇ πλουτίζειν τοὺς κεκτημένους* .... § 10 *τί δὲ δὴ βουλόμενος ἀγαθὸς γενέσθαι, ἔφη, ὦ Εὐθύδημε, συλλέγεις τὰ γράμματα; ἐπεὶ δὲ*

διεσιώπησεν ὁ Εὐθύδημος, σκοπῶν ὅτι ἀποκρίναιτο· πάλιν ὁ Σωκράτης, ἆρα μὴ ἰατρός, ἔφη, πολλὰ γὰρ καὶ ἰατρῶν ἐστι συγγράμματα. καὶ ὁ Εὐθύδημος, μὰ Δί', ἔφη, οὐκ ἔγωγε. ἀλλὰ μὴ ἀρχιτέκτων βούλει γενέσθαι; γνωμονικοῦ γὰρ ἀνδρὸς καὶ τοῦτο δεῖ. οὔκουν ἔγωγ', ἔφη. ἀλλὰ μὴ γεωμέτρης ἐπιθυμεῖς, ἔφη, γενέσθαι ἀγαθός, ὥσπερ ὁ Θεόδωρος; οὐδὲ γεωμέτρης, ἔφη. ἀλλὰ μὴ ἀστρολόγος, ἔφη, βούλει γενέσθαι; ὡς δὲ καὶ τοῦτο ἠρνεῖτο, ἀλλὰ μὴ ῥαψῳδός, ἔφη· καὶ γάρ τὰ Ὁμήρου σέ φασιν ἔπη πάντα κεκτῆσθαι. μὰ Δί' οὐκ ἔγωγ', ἔφη. τοὺς γάρ τοι ῥαψῳδοὺς οἶδα τὰ μὲν ἔπη ἀκριβοῦντας, αὐτοὺς δὲ πάνυ ἠλιθίους ὄντας. De Euripide et Euclide testatur Athenaeus 1 p. 3: *ἦν δέ, φησί, καὶ βιβλίων κτῆσις αὐτῷ* (int. *τῷ Λαρηνσίῳ*) *ἀρχαίων Ἑλληνικῶν τοσαύτη, ὡς ὑπερβάλλειν πάντας τοὺς ἐπὶ συναγωγῇ τεθαυμασμένους, Πολυκράτην τε τὸν Σάμιον, καὶ Πεισίστρατον τὸν Ἀθηναίων τυραννήσαντα, Εὐκλείδην τε τὸν καὶ αὐτὸν Ἀθηναῖον καὶ Νικοκράτην τὸν Κύπριον, ἔτι δὲ τοὺς Περγάμου βασιλέας, Εὐριπίδην τε τὸν ποιητήν, Ἀριστοτέλην τε τὸν φιλόσοφον, καὶ τὸν τὰ τούτων διατηρήσαντα βιβλία Νηλέα· παρ' οὗ πάντα, φησί, πριάμενος ὁ ἡμεδαπὸς βασιλεὺς Πτολεμαῖος, Φιλάδελφος δὲ ἐπίκλην, μετὰ τῶν Ἀθήνηθεν καὶ τῶν ἀπὸ Ῥόδου εἰς τὴν καλὴν Ἀλεξάνδρειαν μετήγαγε.* Ut inter bibliothecam Euripidis poëtae et editionem Homeri *τὴν Κατ' Εὐριπίδην* aliquem nexum obtinuisse probabile est, ita Nicocrates Cyprius, qui bibliothecam ab Athenaeo narratur condidisse, ab editione Cypria fortasse non alienus. Sed ut hoc incertum esse concedam, certum videtur esse, multas ex *ἀρχαίαις* illis Homeri editionibus ad Euripidis et Euclidis tempora pertinere, quibus ad legendum homines factos esse propensiores vidimus, mercaturam librorum effloruisse vidimus, vidimus etiam bibliothecas a privatis compluribus conditas esse, quum antea reges soli Polycrates et Pisistratus libros collegisse videantur. Belli Peloponnesiaci temporibus quam late grassata sit Homerum edendi et emendandi libido, narratiuncula patefacit a Plutarcho vit. Alcib. 7 tradita. *τὴν δὲ παιδικὴν ἡλικίαν παραλλάσσων* (intell. *ὁ Ἀλκιβιάδης*) *ἐπέστη γραμματοδιδασκάλῳ καὶ βιβλίον ᾔτησεν Ὁμηρικόν. εἰπόντος δὲ τοῦ διδασκάλου μηδὲν ἔχειν Ὁμήρου, κονδύλῳ καθικόμενος αὐτοῦ παρῆλθεν.*

ἑτέρου δὲ φήσαντος ἔχειν Ὅμηρον ὑφ' αὑτοῦ διωρθωμένον, εἶτ', ἔφη, γράμματα διδάσκεις, Ὅμηρον ἐπανορθοῦν ἱκανὸς ὢν, καὶ οὐχὶ τοὺς νέους παιδεύεις; Cfr. Apophthegmatt. regg. et imperatorr. Alcib. 3 (p. 40 Tauchn.) Aelian. V. h. 13, 37.

Criticam si quaeris dignitatem editionum Homeri τῶν ἀρχαίων, parum bonae frugis exhibuisse plerasque indubitanter respondeo. Quam ex omnibus dixi saepissime commemorari Massaliotica illa septem tantummodo locis cum Aristarcho conspiravisse narratur, *A* 97. 298. 423. 585. 598 *M* 283 *α* 97; reliquis viginti duobus locis Aristarchum diversa praeoptasse aut expresse scholia tradunt aut tacite indicant. In his viginti duobus locis duo sunt, quibus Bekkerus Aristarchea spreta Massiliensem lectionem in textum recepit, *Ξ* 418 *Ω* 109. Elegantior, doctior, Ὁμηρικωτέρα ubique est Aristarchea lectio; nam *Ω* 109 quoque Aristarcheum ὀτρύνεσκον magis Homericum esse patet quam Massalioticam scripturam ὀτρύνουσιν, *Ξ* 418 Aristarcheum μένος ὠκὺ ἔπεσε magis Homericum quam Massalioticum ὦκα. Sed non agitur nunc de elegantia, agitur de fide antiquissima lectionis Homericae. Eam in omnibus ut sequeretur Aristarchum summopere fuisse nisum post ea, quae Lehrsius Arist. p. 348—386 exposuit, nulla eget demonstratione. Jam ut concedamus errare potuisse interdum Aristarchum erravisseque re vera, Massaliotica nihilo secius si locis multis diversa exhibuit atque Aristarchus, Massalioticam multis locis fidem antiquissimam lectionis Homericae dereliquisse certissimum est. Etiam deterior quam Massaliotica videtur fuisse Chia editio. Hanc commemorari narravi 14 locis, in quibus ne unus quidem est, quo Aristarchus Chiam lectionem praeoptasse reperiatur. Antimacheae editionis quae fuerit ratio Stoll intellexit; is p. 16 „Rationem qua Homerum tractaverit (intell. Antimachus) si quaerimus, veterum librorum auctoritatem in multis parum aestimantem et ad suum arbitrium cum audacia mutantem eum deprehendimus; quo praecipue pravis de grammaticis rebus et de Homerica dictione judiciis et studio, ut perplexos Homeri et impeditos locos expeditiores et faciliores quasi redderet intellectu, perductus videtur“. Haec Stoll, cujus judicio verissimo subscribo, addens in tredecim locis, quibus Antimacheam nominari supra

relatum est, tres esse, quibus cum Antimacho consentiat Aristarchus, *Α* 298. 423. 598, decem, quibus discedendum duxerit ab Antimacho. Melioris notae quam plurimae videtur fuisse editio Argolica; quod ut statuam non tam id me adducit, quod inter octo locos, quibus ea commemoratur, quinque sunt, ubi ejus scripturam suam fecit Aristarchus, *Α* 298. 435. 598 *Γ* 51 *Σ* 39, quam ratio qua duobus locis in scholiis mentio ejus facta est. Didymus schol. A *Γ* 51 *κατηφείην*: *οὕτως „κατηφείην" σὺν τῷ ν ὡμολόγουν αἱ Ἀριστάρχου καὶ ἡ Ἀριστοφάνους καὶ ἡ Σωσιγένους καὶ ἡ Ἀργολική, καὶ σχεδὸν ἐν ταῖς χαριεστάταις οὕτως εἶχεν. ἡ δὲ Ζηνοδότου χωρὶς τοῦ ν „κατηφείη"*. Haec ita dicta sunt, quasi ad editiones *τὰς χαριεστάτας* pertinuerit Argolica. Didymus schol. A *Ν* 363 *Καβησόθεν ἔνδον ἐόντα*: *ἐν τῇ Ἀργολικῇ „Ἑκάβης νόθον υἱὸν ἐόντα". καὶ τάχα ἂν εἴη ἁμάρτημα, κατ' ἄγνοιαν τῆς Καβήσου.* Pluygers De scholl. retr. edit. p. 11 in codice non legi narrat verba *υἱὸν ἐόντα*. Loquitur autem Didymus quasi non editori Argolicae errorem, sed librario imputet *σφάλμα γραφικόν*. Sed incerta indicia esse concedo; atque post *α* 424 versum exhibuisse Argolica videtur, quem Aristarchus ne scripsit quidem. Talem versum post *Β* 866 exhibuisse Euripideam editionem supra legisti; duos ejusdem notae versus interpositos post *Θ* 131 exhibuisse narrantur complures veteres editiones in scholio V: *ἔν τισι τῶν παλαιῶν φέρονται δύο στίχοι· „Τρῶες ὑπ' Ἀργείων, ἔλιπον δέ κεν Ἕκτορα δῖον | χαλκῷ δηιόωντα, δάμασσε δέ μιν Διομήδης"*. Ad versum 131 quae servata est Aristonici annotatio in cod. A *ὅτι τὸ „σήκασθεν" αὐτὸς ἐπεξηγεῖται εἰπὼν „ἠύτε ἄρνες"*, eam supplendam esse liquet: *καὶ ὅτι τινὲς ὑποτάσσουσι δύο στίχους· „Τρῶες ὑπ' Ἀργείων κτέ.*

Leviter attingo locos illos, quibus non singulae editiones nominantur, sed vaga significatione *ἔνιαι τῶν ἐκδόσεων* dicuntur, *τινὲς τῶν ἐκδόσεων*, *αἱ πλείους τῶν ἐκδόσεων*, *αἱ πλείους*, *αἱ πλεῖσται*, *πᾶσαι*, *ἅπασαι*, *αἱ πᾶσαι*, *σχεδὸν ἅπασαι*, *σχεδὸν πᾶσαι*, *αἱ ἀπὸ τῶν πόλεων*, *τινὲς τῶν ἀπὸ πόλεων*, *ἔνιαι τῶν κατὰ πόλεις*, *αἱ κατὰ ἄνδρα*, *αἱ πλείους τῶν κατὰ ἄνδρα*, *αἱ ἀρχαῖαι*, *τινὲς τῶν παλαιῶν*, *αἱ δημώδεις*, *αἱ εἰκαιότεραι*, *αἱ κοιναί*, *αἱ κοινότεραι*, *αἱ μέτριαι*, *αἱ χαριέστεραι*,

αἱ πλείους καὶ χαριέστεραι, *αἱ πλείους τῶν χαριεστέρων*, *αἱ χαριέσταται*, *αἱ πλείους καὶ χαριέσταται* et si quae alia sunt ejusmodi. Talibus enim ex locis quum fortasse multa extricari possint quae ad dijudicandam dignitatem variarum editionum faciant, si extricare velis immorandum in iis est diutius, ut singula quaeque diligentissime ponderentur. Hoc vero nunc jam adjicere licet (omnia enim perscrutatus sum maxima cum anxietate), aut paucissimos aut nullos fuisse locos, quibus Aristarchus omnium editionum consensui se opponeret, paucos, ubi plurimas haberet adversantes. Quodsi fuerunt loci, quibus ejus scriptura recessit ab omnibus editionibus, dubium non est quin gravissimas habuerit caussas, e. g. testimonia vetustissimorum auctorum versus eos de quibus ageretur proferentium. De conjectura Aristarchum nihil scripsisse supra monui; video jam respiciendam esse Mauricii Schmidt opinionem in diversa discedentis. Hic enim vir doctus, quem egregia imbutum esse eruditione scholiorumque Homericorum uti satis accurata cognitione probe intelligo, in excursibus suis Aristarchomericis, quorum prior insertus est Philologo 9, 3 p. 426—434 (addenda vide 9, 4 p. 752—756), posterior Jahnii annalibus 71, 4 p. 220—228, in plurimis quidem Aristarchum secutum esse codicum auctoritatem statuit, singulos autem nonnullos locos notat, quibus de conjectura illum lectionem immutasse *ἐπὶ τὸ χεῖρον* contendit. Quin etiam eo progressus est ut fabricam appellare auderet scripturarum Aristarcheam corruptaque verba poëtae ab Aristarcho. Ad quae respondendum primum leges criticas illas quas Schmidt sibi reperisse videtur extra dubitationem minime esse positas, quod demonstrarem nisi angusti hujus scriptionis fines impedirent; dein concedendum Aristarchum haud dubie interdum deteriores lectiones recepisse; porro ut non dico concedamus sed ut ponamus pro deterioribus habendas esse quas deteriores haberi jubet Schmidt, urgendum tamen hoc, virum doctissimum nullum commonstrasse indicium quo edoceamur in nullo codice antiquo perscriptas Aristarchum repperisse lectiones eas deteriores. Atque haec obloquor non malitiose ut carpam hominem acutissimum, sed quoniam esse occupatum sese patefecit ille in libro de Aristarchi studiis grammaticis et criticis con-

scribendo; quo in opere occupatus etiam atque etiam optandum ut in animum penitus inducat summa cum cautione de criticorum principe esse pronuntiandum. De conjectura Aristarchum nihil scripsisse evincitur locis talibus qualis est in scholiis *Γ* 262, ubi A *προκρίνει μὲν τὴν διὰ τοῦ ε γραφὴν „βήσετο", πλὴν οὐ μετατίθησιν ἀλλὰ διὰ τοῦ α γράφει Ἀρίσταρχος*, Townl. Cram. Ann. Parr. 3 p. 282, 17 *ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ἄμεινόν φησι τὸ βήσετο, οὐ μεταποιεῖ δὲ τὴν γραφήν*. Tam anxie igitur secutus est ille fidem librorum, ut ne *βήσατο* quidem in *βήσετο* mutare auderet contra codicum auctoritatem. Plura id genus collegit Lehrs Arist. p. 375. Sed qui hanc totam materiem volet uberius tractare, eum maxima cum cura atque cautione progredi fas est. Nam in scholiis nonnulli qui huc pertinent loci corrupti sunt; pro *ἅπασαι* e. g. uno alteroque scribendum videtur *αἱ Ἀριστάρχου*; in aliis nulla quidem corruptela, sed levis atque frivola ratio dicendi. Imprimis levem in hac re sese praebet codex L, praesertim ubi *πάσας* dicit. Et ex hoc quidem codice et ex V Lehrs exempla collegit Ar. p. 38; juvat autem annotare a tali levitate ne codicem A quidem esse liberum. Nam e. g. quod *Ξ* 259 legitur scholium A *οὕτως ἐν πάσαις „δμήτειρα". Ἀριστοφάνης καὶ Ζηνόδοτος „μήτειρα"*, id haud dubie parum accurate dictum est. Levius sane ad eundem versum cod. V *αἱ πᾶσαι „μήτειρα", ἐπεὶ ἀρχαία θεός. ἄμεινον δὲ „δμήτειρα"*. *Ο* 307 duo exstant scholia A, quorum alterum *βιβάς: Ἀρίσταρχος „βιβῶν"*, alterum *„βιβῶν" πᾶσαι εἶχον. Ζηνόδοτος „βοῶν", ἐπεὶ καὶ ἑξῆς φησὶν „ἐπὶ δ' αὐτὸς ἄυσε μάλα μέγα* (321)". Schol. A *Τ* 95 *Ἀρίσταρχος „Ζεὺς ἄσατο"· καὶ οὕτως ἐν ἁπάσαις, „Ζεὺς ἄσατο"· καὶ ἔστι ποιητικώτερον. ἐν δέ τισι τῶν εἰκαιοτέρων „Ζῆν' ἄσατο"*.

Difficillimam quaestionem is videbitur solvisse qui indagaverit Aristarchus utrum praeter editiones antiquas etiam usus fuerit codicibus antiquis vulgatae quae ante editionum *τῶν ἀρχαίων* aevum fuit lectionis. Eam quaestionem qui solvere studebit, is videbit, vocabulorum eorum quibus non editiones designantur sed singuli codices, *γραφαί, ἀντίγραφα* usum frequentem apud Eustathium demum esse et recentiores quosdam scholiastas vel scholiorum excerptores;

plurimis locis, quibus hi ἀντίγραφα dicant, antiquiores scholiastas dixisse ἐκδόσεις; locutiones ubi in codice A legantur ἐν ἄλλῳ, ἐν ἐνίοις, similes, ibi non Didymum loqui sed excerptorem Didymi; paucis illis locis, ubi antiquiores scholiastae ἀντίγραφα dicant, de codicibus vetustis antiquae illius vulgatae vix esse cogitandum; ejusmodi locos qualis est Strabonis 12, 550, supra ille prolatus, quo Ephorus lectionem immutasse narratur παρὰ τὴν τῶν ἀντιγράφων τῶν ἀρχαίων πίστιν, in censum non venire. Locum Aristonici Z 4 ἡ διπλῆ ὅτι ἐν τοῖς ἀρχαίοις ἐγέγραπτο κτέ. supra correxi ubi legendum esse docui ἐν τῇ προτέρᾳ τῶν Ἀρισταρχείων. In scholio A Ω 557 extr. leguntur haec: οὗτος ὁ στίχος οὐχ εὑρέθη ἐν τῷ παλαιῷ; legendum esse suspicatur ἐν τοῖς παλαιοῖς Duentzer Zenod. p. 42 not. 53. Pluygers De scholl. retr. edit. p. 7: „Simili errori diplen debemus Ω 558, cui in margine manus recens adscripsit οὗτος ὁ στίχος οὐχ εὑρέθη ἐν τῷ παλαιῷ; quae iterum male ad vs. 557 retulerunt scholiorum editores, et hoc loco et Υ 447 nihil monentes annotationes recentiori demum aetate in codice esse adscriptas, quod tamen scire multum interest". Cfr. eund. p. 12. Jam vero ut ultro concedamus, nihilosecius scholium illud manus recentis derivatum videri posse e Didymo, hoc certe tenendum erit, Didymum non ἐν τοῖς παλαιοῖς dixisse, sed certas nonnullas editiones nominasse antiquas; ἐν τοῖς παλαιοῖς hoc loco si unquam scriptum fuit, id ab aliquo excerptore Didymi introductum est. Sed etiamsi docueris Didymum nusquam provocasse ad fidem codicum antiquae vulgatae, tamen inde non sequetur, Aristarchum talibus codicibus non fuisse usum. Qui enim mos Aristarchi videtur fuisse, ut rationes reddens scripturarum suarum caussas ex usu Homerico petitas ubique exponeret, raro ad fidem librorum expresse provocaret, statui potest Didymum excerpentem illum Aristarchi ὑπομνήματα, quum omnibus hoc cognitum esset, sine auctoritate librorum Aristarchum nihil scripsisse, solarum editionum varietatem annotare vel voluisse vel potuisse, codicum antiquae illius vulgatae diorthotae nomen non prae se ferentium varietatem, quam paucis tantum locis addere posset, consulto exclusisse. Sed possunt multa, quae huc spectarint, ab excerptoribus scholiorum omissa videri; nam e. g. editio Arati

in scholiis ne uno quidem loco nominatur; Creticae autem editionis nisi unus ille locus exstaret *Λ* 381 ne minimam quidem haberemus notitiam. Repertos autem fuisse Zenodoti certe aetate codices antiquae illius vulgatae, qui ad nullam pertinerent editionem, admodum probabile est. Aristarchum quidem putasse, Zenodotum usum videri posse codicibus vetere more Attico scriptis, quem usque ad annum 403 a. Chr. Athenienses in publicis actis retinuerunt, quo anno Euclide archonte Ionicarum literarum usus publicus factus est, e scholio consequitur Aristonici *Λ* 104. Narrat Homerus *Λ* 101 sqq haec: *αὐτὰρ ὁ βῆ ῥ' Ἶσόν τε καὶ Ἄντιφον ἐξεναρίξων, | υἷε δύω Πριάμοιο, νόθον καὶ γνήσιον, ἄμφω | εἰν ἑνὶ δίφρῳ ἐόντας. ὁ μὲν νόθος ἡνιόχευεν, | Ἄντιφος αὖ παρέβασκε περικλυτός· ὥ ποτ' Ἀχιλλεύς | Ἴδης ἐν κνημοῖσι δίδη μόσχοιο λύγοισιν, | ποιμαίνοντ' ἐπ' ὄεσσι λαβών, καὶ ἔλυσεν ἀποίνων.* Pro *ὥ ποτ' Ἀχιλλεύς* Zenodotum scripsisse *ὅν ποτ' Ἀχιλλεύς*, excepisse vero *ποιμαίνοντ'* illud *ποιμαίνοντα* Aristonicus testatur ad 104. 106. 111; dicit autem Aristonicus ad 104 haec: *ἡ διπλῆ ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ὅν“. μήποτε δὲ πεπλάνηται, γεγραμμένου τοῦ ο ὑπ' ἀρχαϊκῆς σημασίας ἀντὶ τοῦ ω, προσθεὶς τὸ ν· ἔστι γὰρ περὶ δυεῖν ὁ λόγος, διὸ καὶ ἐπιφέρει „καὶ γάρ σφε πάρος παρὰ νηυσίν* (111)“. A. Ex his non consequitur, quod fortasse iis consequi videbitur qui procliviores sunt ad concludendum, Aristarchum codices *τῆς ἀρχαϊκῆς σημασίας* non habuisse; consequitur autem quod dixi Aristarchum arbitratum fuisse, Zenodotum usum videri posse talibus codicibus. Conferenda cum hoc scholio quae scripta sunt ad *H* 238 *α* 52. 254. 275, quae quum incertum videatur utrum ex Aristarchi commentariis derivata fuerint nunc non lustrabimus. Nec moror quae Giese disputavit in libro De Aeolica dialecto (edito Berol. 1837) p. 162 sqq: quae gravissimis obnoxia esse liquet dubitationibus. Atque Giesium talia scripsisse vix mireris; hunc enim in scholiis interpretandis parum versatum fuisse apparet; sed hoc mireris, quod laudibus summis extulerunt ejus operam nonnulli viri docti qui dicuntur egregii esse. Converto me ad eas quas supra tetigi narrationes de Arato, Timone, Antiocho rege traditas illas apud Diogenem Laert. et in vita Arati 1. Quibus narrationibus simul confirmantur ea, quae de auctoritate

parum gravi editionum antiquarum quinti et quarti a. Chr. saeculi dixi. Namque Antiochus rex quum ab Arato poëta postularet, ut Iliadem ederet, teste auctore vit. Arati 1 lin. 61 West. eam ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι dixit; Arato vero interroganti πῶς τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀσφαλῶς κτήσαιτο Timon sillographus ap. Diog. L. 9, 113 respondisse traditur εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις. Quo dicto Alexandrinarum editionum varietatem non respici patet; nam Rhiano et ipso Zenodoto paullo superior fuit Timon, Zenodoti aequalis Aratus. Quas igitur respexit editiones varias? Qui sunt illi πολλοί, quos vituperavit Antiochus? Nullas alias, opinor, Antiochus respexit et Timon quam eas ipsas de quibus agimus editiones, antiquas illas, Chiam, Massalioticam, Antimacheam, Euripideam, reliquas. His quae opposuit Timon ἀντίγραφα ἀρχαῖα ejus fuerunt classis, cujus fidem et auctoritatem Plato, Thucydides, alii secuti esse videntur, codices antiquae lectionis quae vulgata fuit ante illas editiones.

Conditio quae fuerit editionis τῆς Ἐκ Μουσείου (Buttm. § 204) prorsus incertum est. Paullo confidentius pronuntiare licet de editionibus duabus, quarum altera ἡ Κυκλικὴ vocatur, altera ἡ Πολύστιχος. Commemoratur ἡ Πολύστιχος in Bkk. Scholl. *A* 258. 340 *Δ* 335, ἡ Κυκλική in Buttmannianis π 195 ρ 25. Alexandrinorum aevo neutram crediderim superiorem. Ἡ Πολύστιχος foetus grammatici videtur fuisse, qui omnes versus spurios, et eos, quos criticorum principes obelis notaverant, et eos, quos ne scripserant quidem illi, in unum quasi corpus conjunctos simul exhibere studeret. Seleuci τοῦ Ὁμηρικοῦ eam editionem fuisse nonnulli falso collegerunt e scholl. *A* 340. Ibi enim quae leguntur Σέλευκος ἐν τῇ Πολυστίχῳ γράφει „ἀναιδέος“· εὐεπίφορον γὰρ εἶναι τὸν Ἀχιλλέα εἰς τὸ ἀναιδῆ καλεῖν τὸν Ἀγαμέμνονα, iis narratur Seleucus contendisse, in editione τῇ Πολυστίχῳ recte scribi ἀναιδέος. Cfr. Scholl. Nicandri Alexiph. 393 καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τοῖς Ὁμήρου οὕτως εἶπεν· „στρόμβον δ' ὣς ἔσσευεν (Ξ 413)“. Apollon. De constr. 2, 167 ἐπεὶ οὖν προήλθομεν εἰς τὰς ἀντωνυμικὰς γραφὰς τοῦ Ζηνοδότου, οὐ παρέλκει καὶ περὶ τοῦ „τίς τ' ἄρ σφωι (*A* 8)“ διαλαβεῖν. τὴν γὰρ τοιαύ-

την γραφὴν καὶ Σέλευκος προκρίνει καὶ ἄλλοι πλεῖστοι παρατιθέμενοι καὶ ἐκδόσεις Ὁμηρικάς. Schol. vulg. *β* 190 *καὶ Ἀριστοφάνης κατὰ Σέλευκον ἔγραφε „φιλοκτεανέστατε (Α* 122)". Eustath. *β* 190 p. 1441, 18 *Σέλευκος δὲ παρ' Ὁμήρῳ φησὶ τὴν Ἀριστοφάνειον γραφὴν ἔχειν „Ἀτρείδη κύδιστε φιλοκτεανέστατε πάντων".* Schol. *Α* 381 *Σέλευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ καὶ Κρητικῇ „ἐπεί ῥά νύ οἱ φίλος ἦεν". καὶ Θεαγένης δὲ οὕτως προφέρεται.* Schol. *Α* 258 *οὕτως Ἀρίσταρχος καὶ ἐν τῇ Πολυστίχῳ.* Schol. *Δ* 335 *ὅτι δὲ ἡ κατὰ Ἀρίσταρχον ἔχει καὶ τὸ „Ἀχαιῶν", ἄμεινον ἀκούειν ἐπ' Ἀχαιούς .... διὸ καὶ μήποτε ἄμεινον ἐν τῇ Πολυστίχῳ φέρεται „ἕστασαν κτἑ.* Editioni *τῇ Πολυστίχῳ* similem quodammodo dixeris editionem quam vocant *τὴν Κυκλικήν*. Nam qui hanc confecit, homo anonymus, ad Alexandrinorum aevum et ipse haud dubie pertinens, simile is habuisse videtur omnia undique congerendi et cumulandi studium. Quid enim egisse illum statuamus nisi hoc, ut omnia carmina cyclica ad Homerum relata in unum conjungeret corpus? Quam operam exstiterunt inter viros doctos qui Zenodoto Ephesio adscriberent, negantes alius *τὴν Κυκλικὴν* et *τὴν Ζηνοδότειον* diversas fuisse, alius *τὴν Κυκλικὴν* fuisse editionem. Sed hoc in cassum. Editio vero Cyclica quomodo fuerit adornata, uno certe exemplo docemur, scholiorum Iliadis loco quo nomen quidem *τῆς Κυκλικῆς* desideratur. Iliadem excepisse in Cyclo constat Aethiopidis carmen, cujus narratio exorsa est ab adventu in Trojam Penthesileae Amazonum reginae Martis filiae auxilium ferentis Trojanis. Testatur Proclus in Chrestomathia. Aethiopidem jam quomodo cum Iliade conjunxerit editionis Cyclicae auctor e scholio V patet ultimo Iliadis versui adscripto: *ὣς οἵ γ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο: τινὲς γράφουσιν „ὣς οἵ γ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος· ἦλθε δ' Ἀμαζών, | Ἄρηος θυγάτηρ μεγαλήτορος ἀνδροφόνοιο".*

Praeter eas quas modo tractavi in scholiis septem tantummodo nominantur editiones, *ἡ Ζηνοδότειος, ἡ Ἀριστοφάνειος, ἡ προτέρα τῶν Ἀρισταρχείων, ἡ δευτέρα* s. *ἡ χαριεστέρα τῶν Ἀρισταρχείων, ἡ Ῥιανοῦ, ἡ Καλλιστράτου, ἡ Ἡρωδιανοῦ,* de quibus omnibus supra egi. Commentariis qui ornaret editionem primus exstitit Aristarchus. Cujus ante *ὑπομνήματα*

κατ' Ἀριστοφάνην grammatici omnes imitati sunt antiquas editiones, quae textum solum exhibebant.

Sed ex antiquarum editionum auctoribus unus, Antimachus, juxta editionem suam carminum Homericorum composuisse videtur opus peculiare *Περὶ Ὁμήρου*, quo hoc potissimum egisse eum crediderim ut patriae suae Colophoni vindicaret Homerum. Tatianus inter eos Antimachum refert, qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint, in vitis tribus, 2 B. 5. 6 Antimachus narratur Homerum dixisse Colophonium. Eandem sententiam Nicandri Colophonii fuisse supra rettuli; eandem fuisse tertii poëtae Colophonii Hermesianactis exposui in Jahnii annall. 67, 4, 394; ibidem a Xenophane quoque Colophonio, quem Hesiodum inferiorem aetate Homeri perhibuisse narrat Gellius 3, 11, Homerum inter Colophonios relatum videri monui. Probabile sane est, Colophonios poëtas omnes, quorum numerus sat magnus fuit, in eorum secessisse sententiam, qui Colophonium haberent poëtarum patrem et principem Homerum. Itaque mirum videri non potest, Antimachum in hac quidem re partes reliquisse praeceptoris sui Stesimbroti Thasii, a quo Smyrnaeum habitum esse Homerum tradunt.

Praeceptorem Antimachi Colophonii fuisse Stesimbrotum Thasium Suidas narrat s. v. *Ἀντίμαχος*. Quam narrationem confirmant vita 6 Homeri et Tatianus. Hic enim in catalogo suo Homericorum Stesimbroto arcte subjungit Antimachum, in vita 6 autem ubi recensentur variorum sententiae de patria Homeri Antimachum sequitur Stesimbrotus, quod eo notabilius, quia in diversas illi abiisse dicuntur sententias. Conveniunt temporum rationes. Antimachum versus finem saeculi quinti a. Chr. fuisse rettuli; Stesimbrotum supparem Cimonis appellat Plutarch. Cimon. 4, Periclis aequalem Athen. 13, 589; ante 430 a. Chr. mortuum eum non esse inde apparet, quod a Plutarcho Pericl. 36 mortem Xanthippi, filii Periclis, qui illo anno obiit, in aliquo scripto commemorasse narratur. Fuit hoc scriptum De Themistocle et Thucydide (Melesiae f.) et Pericle, uti constat ex Athenaei loco modo indicato. Fragmenta ejus libri servata sunt compluria. Exstant etiam fragmenta libri *Περὶ τελετῶν*. Unum de Polycratis Samii morte quo referas

non habes. Missis his fragmentis, quae collegit Mueller HGF 2, 52 sqq, converto me ad Homerica Stesimbroti studia, quibus majorem quidem quam reliquis suis scriptis comparasse sibi videtur gloriam.

In Thaso insula medio et exeunte fere saeculo quinto a. Chr. studia Homerica laetissime floruerunt. Hippiam Thasium, quem teste Aristotele Homerum emendasse supra legisti, ad ea fere tempora referendum esse vix negaveris. Fortasse is non diversus fuit ab Hippia Thasio illo, quem triginta viri capitis damnasse narrantur a Lysia Agorat. 54. 61. Iisdem temporibus floruisse Hegemonem Thasium certum, qui ab Aristotele Poët. 1, 18 Buhl. min. primus Homericas parodias confecisse traditur. Atque de hoc vide Welandium in libello De praecipuis parodiarum Homericarum scriptoribus p. 25 sqq; tertium illum Thasium nos agitamus Stesimbrotum. Hic utrum plura de Homero composuerit opera an unum non liquet; titulus servatus est nullus. Unum scripsisse eum opus titulumque fuisse *Περὶ Ὁμήρου* Mueller p. 58 sumpsit. Fragmenta Homerum spectantia praeter vitae 6 illum locum, quo Smyrnaeus fuisse secundum Stesimbrotum dicitur Homerus, tria servata sunt, quibus Iliadis loci explicantur *Λ* 636 *Ο* 193 *Φ* 76; vide Scholl. Bekkeri et Crameri Ann. Parr. 3 p. 16 et 27. Majoris longe momenti sunt duo alii loci, alter Xenophontis in Convivio 3, 6, Platonis alter in Ione cap. 2. Utroque loco Stesimbrotus in primis Homeri interpretibus fuisse traditur. Platon Ionem rhapsodum gloriantem facit sese Homerum melius interpretari posse Metrodoro Lampsaceno, Stesimbroto Thasio, Glaucone, aliis; Xenophon in Convivio Niceratum quendam introducit, qui a patre coactum, ut *καλὸς* scilicet *κἀγαθὸς* evaderet vir, totum Homerum memoriter sese edidicisse memoriaque etiam tum tenere superbireque profitetur accurata Homeri cognitione, quae plurimi sit facienda; vide 3, 5. 4, 6. 45. 8, 31. Hunc igitur Niceratum Socrates 3, 6 Stesimbroto et Anaximandro et aliis multis magnam pecuniam solvisse ait, ut Homeri allegorice interpretandi artem sibi impertirent. Atque ea re differre indicatur Niceratus a rhapsodis, qui Iliadem quidem atque Odysseam memoriter teneant, allegorias autem (*τὰς ὑπονοίας*) interpretari nesciant; stolidos

esse quam maxime rhapsodos, Niceratum nihil latere τῶν πολλοῦ ἀξίων.

Deducti sumus hic locis duobus Xenophontis et Platonis ad hominum doctorum classem quandam, qui operam suam primariam in Homero collocasse visi sunt explicando; nec dubium quin hi sint quos Aristoteles Metaphys. 14, 6 τοὺς ἀρχαίους Ὁμηρικοὺς vocat, Aristonicus *E* 83 τοὺς ἀρχαίους κριτικούς, quorum interpretationem locutionis πορφύρεος θάνατος ad versum indicatum dipla notatam fuisse ille narrat. Honorifice Aristoteles de iis non judicat; verba enim sunt haec: ὅμοιοι δὴ καὶ οὗτοι τοῖς ἀρχαίοις Ὁμηρικοῖς, οἳ μικρὰς ὁμοιότητας ὁρῶσι, μεγάλας δὲ παρορῶσιν. Nominantur a Platone et Xenophonte Stesimbrotus Thasius, Anaximander, Metrodorus Lampsacenus, Glaucon; fuisse plures uterque scriptor innuit; suppleri catalogus hodie potest certo nomine uno Theagenis Rhegini, incerto Dionysii Olynthii, quem solus Tatianus commemorat in catalogo eorum qui de Homeri poësi, genere, aetate quaesiverint. Subjungitur ibi Dionysius Herodoto. De Stesimbroto quod addam non habeo; nec de Metrodoro Lampsaceno, Anaxagorae discipulo, quem supra inter philosophos antiquissimos tractavi, ubi interpretationis allegoricae propugnatorem acerrimum eum fuisse legisti. Restant Theagenes, Glaucon, Anaximander. Ex his duo sunt, de quibus objiciuntur dubitationes, Glaucon et Anaximander.

Anaximandrum Homeri interpretem Mueller HGF 2, 67 historicum illum Milesium esse suspicatur, cujus Suidas (Eudocia 49) mentionem fecit s. v. Ἀναξίμανδρος Ἀναξιμάνδρου Μιλήσιος ὁ νεώτερος et Diog. L. 2, 2. Suidas temporibus eum Artaxerxis Mnemonis fuisse ait, qui 405—359 a. Chr. regnavit, scripsisseque Συμβόλων Πυθαγορείων ἐξήγησιν. Ad hunc Milesium Mueller dicit referendum esse etiam Athenaei locum 11, 498 ubi Ἀναξίμανδρος ἐν τῇ Ἡρωολογίᾳ excitatur; item Bekk. Ann. p. 783, ubi de Danao literarum usum in Graeciam introducente praeter Pythodorum et Phillim Delium ad partes vocantur οἱ Μιλησιακοὶ συγγραφεῖς Ἀναξίμανδρος καὶ Διονύσιος καὶ Ἑκαταῖος, quos Apollodorus in Navium catalogo excitaverit; apud Fulgentium Myth. 1, 14, ubi

de Apolline et novem Musis testis cum aliis nominatur Anaximander Lampsacenus, aut Anaximandrum Milesium esse intelligendum, aut Anaximenem Lampsacenum. Equidem sane fuisse aliquem Anaximandrum Lampsacenum praefracte non negaverim. Anaximandri enim et Anaximenis nomina, quae, si universam Graeciam spectas, non ita frequentata videntur fuisse, in Milesiis saepius redeunt; redit autem Anaximenis nomen Lampsaci, quae colonia fuit Milesiorum; quidni rediisse statuamus Anaximandri? Quodsi fuit Anaximander Lampsacenus, hunc potius Homericum illum esse conjecerim Xenophontis quam Milesium Diogenis et Suidae, cujus ne tempora quidem, si fides Suidae, apte conveniunt. Accedit quod medio et exeunte saeculo quinto a. Chr. n. studia Homerica Mileti non floruerunt, floruerunt Lampsaci, ubi ex quo inde tempore Anaxagoras Clazomenius sedem fixit, hujus maxime doctrina Homerica, de qua supra vidisti, exculta et expolita esse videtur. Anaxagorae discipulum Metrodorum Lampsacenum latius propagasse praeceptoris illam doctrinam e Diogene Laertio 2, 11 rettuli; cui Metrodoro quominus addamus alterum Homeri interpretem celebrem Anaximandrum Lampsacenum nihil obstat. Saeculo quarto dein a. Chr. n. qui de Homero peculiare opus scripsit Anaximenes Lampsacenus doctrinae Anaximandri et Metrodori Lampsacenorum Homericae videbitur heres.

Pro *Γλαύκων* apud Platonem Ion. cap. 2 sunt qui conjiciant esse legendum *Γλαῦκος* intelligendumque Glaucum Rheginum, qui De poëtis et musicis scripserit librum. Formam *Γλαύκων* tueri crediderim Aristotelem Poët. in cap. 15 Buhl. min. *Περὶ προβλημάτων καὶ λύσεων*, ubi § 23 *Γλαύκων* ut Homeri interpres commemoratur. Sed hoc non impedit quominus Glaucum Rheginum ab Aristotele et Platone designari statuamus. Chium *Νέσσον* ab aliis dictum esse vidisti *Νεσσᾶν*; simili modo de Glaucone statui potest; nam *Γλαύκων* et *Γλαῦκος* non diversa sunt nomina, sed ejusdem nominis formae variae. Qui memoratur Glauco Teius ab Aristotele Rhet. 3, 1, 3 scriptor artis rhetoricae videtur fuisse, non poëticae. Glauconem quem nominat Athenaeus 11, 61, *Γλαύκων δ' ἐν ταῖς Γλώσσαις Κυπρίους φησὶ τὴν κοτύλην κύλικα καλεῖν*, Home-

ricum fuisse liquet, sed antiquiorem eum fuisse Platone vix concesseris; quamquam glossas Homericas scriptas fuisse medio saeculo quinto a. Chr. constat, quum ab anonymis, tum a Democrito. Fortasse Glaucon Athenaei Tarsensis ille est, cujus mentionem factam videmus schol. *Α* 1 (Bachmann. Bekk. p. 1 A 23). Glaucus non addita patriae significatione in scholiis nominatur bis; altero loco, *Π* 414 (Bekk. Bachm.) Glaucus non *θυμοραϊστής* legisse narratur sed *θυμοραίστης*; altero, *Λ* 636, Glaucus de interpretatione loci excitatur cum Stesimbroto Thasio et Antisthene (Bk. Cram. Ann. Parr. 3 p. 16, 18). Posteriore loco intelligi Rheginum apparet. Glaucum Rheginum, cujus fragmenta collegit Mueller HGF 2, 23 Addendd. 4, 653, Democriti Abderitae, quem a Pythagorae doctrina profectum esse autumarit, aequalem fuisse dicit Diogenes Laertius 9, 38. Idem sine dubio Rheginus intelligendus apud Diog. L. 8, 52, ubi de Empedocle testis Glaucus producitur. Item de Rhegino accipiendum quod narrat Plutarchus De musica 4: *πρεσβύτερον γοῦν αὐτὸν* (intell. *τὸν Τέρπανδρον*) *Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας ἐν συγγράμματί τινι τῷ Περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν*; item cap. 7, ubi de Olympo antiquissimo vate haec: *ὅτι δ' ἐστὶν Ὀλύμπου ὁ ἁρμάτιος νόμος ἐκ τῆς Γλαύκου ἀναγραφῆς τῆς ὑπὲρ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν μάθοι ἄν τις· καὶ ἔτι γνοίη, ὅτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος οὔτ' Ὀρφέα, οὔτε Τέρπανδρον, οὔτ' Ἀρχίλοχον, οὔτε Θαλήταν ἐμιμήσατο, ἀλλ' Ὄλυμπον κτἑ.*; item cap. 10, ubi nec patriae nec libri addita significatione Glaucus testis producitur de Archilocho, Thaleta, Orpheo, Terpandro, Olympo, Xenocrito Locro poëtis. De Musaeo poëta Glaucus dicitur exposuisse apud Harpocrationem s. v. *Μουσαῖος*; de Polyxena, Ulixe, Diomede, Neoptolemo deque carmine Cypriorum Glaucus in scholl. Euripidis Hecub. 41. Quo loco Cypria ita excitantur, ut aliena ea ab Homero judicasse Glaucum appareat; dicitur enim ὁ *τὰ Κυπριακὰ ποιήσας φησὶν* — *ὡς Γλαῦκος γράφει*. Apud Plutarch. Vitt. decem oratorr. in Antiphonte legimus, nonnullos ad Antiphontem Atheniensem oratorem Glauci Rhegini librum *Περὶ ποιητῶν* referre. Quae fabula inde orta est quod Antiphontem, cujus pater *γραμμάτων διδάσκαλος* erat, poëtarum maxime libris excutiendis sese de-

disse constabat composuisseque et ipsum tragoedias. Neque vero unicus ille liber *Περὶ τῶν ἀρχαίων ποιητῶν τε καὶ μουσικῶν* Glauci Rhegini videtur fuisse; nam, ut alia indicia mittam, Rheginus videtur intelligendus esse in argumento Persarum Aeschyli, ubi leguntur haec: *Γλαῦκος ἐν τοῖς Περὶ Αἰσχύλου μύθων ἐκ τῶν Φοινισσῶν φησι Φρυνίχου τοὺς Πέρσας παραπεποιῆσθαι. ἐκτίθησι δὲ καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ δράματος ταύτην· „Τάδ' ἐστὶ Περσῶν τῶν πάλαι βεβηκότων". κτἑ.* Hunc locum laudatum a multis, e. g. ab Jonsio Scriptorr. hist. phil. 1, 4, 4 (p. 29 ed. Dorn.) Muellerus omisit.

Venio ad alterum illum Rheginum, Theagenem. Hunc inter antiquissimos Homericos primum ponit Tatianus, Cambysis eum temporibus fuisse addens, qui 529—522 a. Chr. regnavit. Congruit cum Tatiano scholium *Υ* 67, quod Theagenem illum primum exstitisse diserte testatur qui data opera de Homero scriberet. Ibi enim postquam interpretatio quaedam loci allegorica prolata est, p. 533 A 30 Bekk. adduntur haec: *οὗτος μὲν οὖν τρόπος ἀπολογίας ἀρχαῖος ὢν πάνυ καὶ ἀπὸ Θεαγένους τοῦ Ῥηγίνου, ὃς πρῶτος ἔγραψε περὶ Ὁμήρου, τοιοῦτός ἐστιν ἀπὸ τῆς λέξεως.* Fluxit hic scholii locus, ut Tatiani totus catalogus, ex Alexandrinae doctrinae copiis, cohaerentque cum utroque loco arctissime duo alii, quibus Theagenes primus fuisse dicitur grammaticus. Quod inepte non videbitur dictum esse ubi reputaveris in Homericis praecipue carminibus veterum grammaticorum sese exercuisse ingenia repetendumque esse ab illorum carminum explicatione universae grammaticae Graecae studium atque originem. Cujus grammatici studii non absone is initium fecisse dicitur qui primus in Homero operam qualemcumque posuit explicando. Legitur alter locus in Scholiis ad grammaticam Dionysii Thracis nomine inscriptam editis in Ann. Bekk. vol. 2, quae scholia referta sunt veteris Alexandrinae disciplinae vestigiis. Ibi p. 729 scripta exstant haec: *διττὴ δὲ ἔστιν ἡ γραμματική. ἡ μὲν γὰρ περὶ τοὺς χαρακτῆρας καὶ τὰς τῶν στοιχείων ἐκφωνήσεις καταγίνεται, ἥ τις καὶ γραμματικὴ λέγεται παλαιά, οὖσα καὶ πρὸ τῶν Τρωικῶν, σχεδὸν δὲ καὶ ἅμα τῇ φύσει προελθοῦσα· ἡ δὲ περὶ τὸν Ἑλληνισμόν, ἥ τις καὶ νεωτέρα ἐστίν, ἀρξαμένη μὲν ἀπὸ Θεαγένους* (Bk. *Θεογένους*), *τελεσθεῖσα δὲ παρὰ τῶν περι-*

πατητικῶν Πραξιφάνους (Bk. παρ' Ἐξιφάνους) τε καὶ Ἀριστοτέλους. καὶ τῆς μὲν τέλος τὸ εὖ ἀναγινώσκειν, τῆς δὲ τὸ εὖ γράφειν. Alter locus est in excerptis variis editis a Cramero Ann. Oxx. vol. 4 p. 308 sqq, quae excerpta et ipsa fluxerunt e commentariis in Dionysii Thracis grammaticam scriptis, qua de re videas Cramerum p. 308. Locus qui huc facit p. 311 legitur: διαφέρει δὲ γραμματικὴ γραμματιστικῆς. ἡ γὰρ γραμματικὴ νεωτέρα ἀπὸ Θεαγένους· τετέλεσται δὲ ἀπὸ τῶν περιπατητικῶν Πραξιφάνους τε καὶ Ἀριστοτέλους. ἡ δὲ γραμματιστικὴ παλαιά· ἴσως δὲ σχεδὸν ἅμα τῇ φύσει προελθοῦσα. καὶ τῆς μὲν τὸ τέλος τὸ γράφειν, τῆς δὲ τὸ ἀναγινώσκειν. Conferendus est tertius locus in catalogo grammaticorum edito a Cramero Ann. Parr. vol. 4 p. 195: Ὅσοι περὶ γραμμάτων. Λυκόφρων· Διονύσιος ὁ Θρᾷξ, Ἀπολλώνιος ὁ δύσκολος· Ἀλέξανδρος (leg. Ἀλεξανδρεὺς Cr.)· Ἄρος (leg. Ὧρος Cr.)· Ἀστυάγης· Ὠριγένης· Ἀγαπητός· Φιλόπονος· Σέργιος νεώτερος· Ἰωάννης ὁ Χάραξ· Αὐξόνιος· Ἄδραστος, Θεαγένης· Ἡρωδιανὸς ὁ μέγας· Γεώργιος ὁ Χοιροβοσκός. Quo in catalogo non primo loco nominatum esse Theagenem non est mirandum propterea quod temporum ibi ne minima quidem habita est ratio. Simile quid accidit in catalogo e codice Veneto A edito a Bekkero Scholl. Iliad. p. III: Ἀρίσταρχος, Ζηνόδοτος, Στασῖνος, Θεόπομπος, Πολέμων, Ἀπολλόδωρος, Ἡρωδιανός, Νικάνωρ, Πορφύριος, Ἀπολλώνιος, Σωσιγένης, Ἀριστοφάνης, Δίκτυς, Εὐριπίδης, Πτολεμαῖος ὁ Ὀροάνδου, Τυραννίων, Ζωίλος, Χρύσιππος, Ἡσίοδος, Σέλευκος, Ἀλκμᾶν ὁ λυρικός, Φιλόξενος, Καλλίμαχος, Πίνδαρος, Ἀριστόνικος, Πάμφιλος, Θεαγένης, Δίδυμος, Σοφοκλῆς, Καλλίστρατος, Σιδώνιος, Ἰξίων, Θεόφραστος, Ὧρος, Ῥιανός. Index est auctorum in scholiis Venetis A laudatorum. Propius ad similitudinem accedit Crameriani catalogus in anonymi De artium et disciplinarum inventoribus libello e cod. Coislin. 388 edito in Fabricii Bibl. Gr. ed. I vol. 9 p. 599 sqq. Ibi p. 601 enumerantur Ὅσοι γραμματικοί, Διονύσιος ὁ Θρᾷξ, Ἀπολλώνιος Δύσκολος, Ἀλέξανδρος, Ἀστυάγης, Ἀγαπητός, Σέργιος ὁ νεώτερος, Αὐξόνιος, Ἄδραστος, Θεαγένης, Ἡρωδιανός, Θεοδόσιος ὁ τοῦ ..., Τρύφων, Δίδυμος ὁ νεώτερος, Νικοκλῆς, Εὐδαίμων, Ὧρος, Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεύς, Πορφύριος, Ἀχιλ-

λεύς, *Ἀρκάδιος*, *Ὡραπόλλων*, *Τιμόθεος Γαζαῖος*. Haec cum Crameriano catalogo in eum congruunt modum, ut communi fonte auctores usos esse vix negaveris, quae conditio reliquorum quoque catalogorum est utroque loco editorum. Catalogum a Fabricio editum Mueller quoque respexit HGF 2, 12, ubi de Theagene agit; attamen Theagenem in eo catalogo nominatum non Rheginum esse arbitratur, sed eundem qui in Etymol. m. s. v. *Βεβαιῶ* ad partes vocetur, Cnidium fortassis Theagenem, Herodis Attici magistrum, de quo Philostrat. Vitt. sophistarr. 2, 1, 14. Jam vero quod in Etymol. legerat Mueller *οὕτω Θεαγένης*, pro eo Gaisford scripsit *οὕτω Θεόγνωστος*, adhibitis cod. D, in quo nomen literis *Θγν̃* expressum est, Cramerique Ann. Oxx. volumine 2, cui qui insunt Theognosti Canones p. 53 locum exhibent, unde in Etymologicum transscripta esse apparet ea, quae ibi proferuntur e Theognosto, non e Theagene. Herodis autem Attici magister ille Theagenes Cnidius ut fuerit Homericus, tanta certe non fuit auctoritate, ut de eo potius cogitasse catalogorum nostrorum scriptores putandi sint quam de Theagene Rhegino grammaticorum vetustissimo. Neque enim in scholiis Homericis, neque apud Eustathium, neque in Apollonii Lexico, neque ullo alio loco, quo aliquid Homericum expositum sit, Cnidii illius nomen me reperire memini. Theagenis contra Rhegini etiam in scholiis ad Aristophanem comicum scriptis mentio facta est. In Pacis versu 927 ad verba *Θεαγένους* (vel ut Dindorfio edere placuit *Θεογένους*) *ὑηνία* scholium exstat de Theagene scriptum ab Aristophane commemorato. De quo postquam exposuit enarrator haecce addit: *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος Θεαγένης, ὁ εἰς Ὅμηρον γράψας, ὃς καὶ ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο, καὶ ἄλλοι πολλοί*. Verba *ὃς καὶ ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο* ex iis, quae de Theagene ab Aristophane commemorato exposita sunt, perperam repetita videntur a librariis. Mendum tamen antiquum esse Suidas s. v. *Ὑηνεία* coarguit, qui locus ex illo ad Aristophanem scholio vel ex ejus fonte haustus est. Ibi postquam de Aristophanis Theagene expositum, additur *ἦν δὲ καὶ ἄλλος ὁ εἰς Ὅμηρον γράψας· ὃς ἐπὶ μαλακίᾳ διεβάλλετο*. Transeo ad scholium Avv. Aristoph. 821 sqq *ἆρ' ἐστὶν αὑτηγὶ Νεφελοκοκκυγία, | ἵνα καὶ τὰ Θεαγένους* (Dindorf. *Θεογένους*)

τὰ πολλὰ χρήματα | τά τ' *Αἰσχίνου γ' ἅπαντα*; quae his verbis illustrantur: *προείρηται ὅτι πένης οὗτος, ἔλεγε δὲ ἑαυτὸν πλούσιον. εἰσὶ δὲ ἄλλοι δύο Θεαγένεις, εἷς μὲν ὁ περὶ Ὁμήρου γράψας, ἕτερος δὲ ὁ ἐπὶ μαλακίᾳ σκωπτόμενος*. Respexit Suidas s. v. *Θεαγένους χρήματα τά τ' Αἰσχίνου· ἐπὶ τῶν πενήτων, ἀλαζονευομένων δέ. οὗτος γὰρ πένης ὢν ἔλεγεν ἑαυτὸν πλούσιον εἶναι. εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλοι δύο Θεαγένεις, εἷς μὲν ὁ περὶ Ὁμήρου γράψας, ἕτερος δὲ ἐπὶ μαλακίᾳ σκωπτόμενος*. Tertius Suidae locus est s. v. *Ἑκάτειον*, repetitus, ut videtur, ex aliquo scholio ad Aristophanis Lysistr. 63 scripto quod aetatem non tulit. Namque Aristophanis loco indicato Theagenis (sive malis cum Dindorfio Theogenis) memoratur *Ἑκάτειον*; Suidas vero *Ἑκάτειον*, inquit, *Ἑκάτης ἄγαλμα. καὶ παροιμία· Θεαγένους Ἑκάτειον. οὗ ἐπυνθάνετο πανταχοῦ ἀπιών. ὃς καπνὸς ἐκαλεῖτο. ἦσαν δὲ Θεαγένεις ἄλλοι β'. ὁ περὶ Ὁμήρου γράψας, καὶ ὁ ἐπὶ μαλακίᾳ διαβεβλημένος*. Inter *Θεαγένους Ἑκάτειον* et *οὗ ἐπυνθάνετο* Kusterus e voce *Θεαγένης* inseruit *οὗτος δειλὸς ἦν· εἶχε δὲ Ἑκάτης ἄγαλμα*.

Apposui hos locos ex Alexandrinorum haud dubie commentariis repetendos in Aristophanem scriptis, ut appareret quantopere Theagenis, quem quod primus de Homero quaesivisset primum statuebant exstitisse grammaticum, apud illos viguisset memoria. Vix enim veteris aliquem scriptoris locum quo aliquis Theagenes commemoratus esset explicuisse videntur quin recordatio eos subiret Theagenis Homerici diversumque hunc Homericum esse diligenter annotarent. Quod autem ex iis quos adhuc protuli locis concludere non possumus, non solum memoriam Theagenis viguisse recentem apud Alexandrinos, sed ipsum ejus librum quoque horum fuisse in manibus, id uno reliquo docemur loco, schol. A *A* 381 *ἐπεὶ μάλα οἱ φίλος ἦεν: Σέλευκός φησιν ἐν τῇ Κυπρίᾳ καὶ Κρητικῇ „ἐπεί ῥά νύ οἱ φίλος ἦεν". καὶ Θεαγένης δ' οὕτως προφέρεται. ἀπίθανον γὰρ τὸ „ὁ δέ νυ λίαν φίλος ἦεν"*. Praesens *προφέρεται* non sinit nos dubitare quin is ipse, cujus verba sunt, sive is Seleucus fuerit sive alius Alexandrinus, Theagenis inspexerit librum ipsum. Accederet autem huic Homerico scholio ad versum illud *T* 127 scriptum quod Valckenaerius in dissertatione De scholiis in Homerum Opusc. 2 p. 127

publici juris fecit, si vera esset conjectura a Muellero HGF 2, 12 prolata. Inest nimirum in eo scholio de bello Titanum adversus Jovem deque Styge dea narratio cujus in fine leguntur verba ἡ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ καὶ Θεογόνῳ. Corrigendum igitur censuisse refert Mueller Welckerum Ep. cycl. 1, 29 καὶ Θεοπόμπῳ; ipse dein Theagenem indicari Rheginum conjicit. Infelicissimam, opinor, conjecturam pressurus fuisset vir bonus, si legisset quibus Carolus Muetzell a Welckero ipse l. c. injuria castigatus in libro De emendatione Theogoniae Hesiodeae tertio p. 475 temerariam Osanni notavit audaciam Theogonum nescio quem e scholio Valckenaeriano effingentis Theogoniae cyclicae auctorem. Perspicuum enim esse Muetzell rectissime contendit verba καὶ Θεογόνῳ corrupta esse ex ἐν Θεογονίᾳ.

Vitarum Homeri scriptores et patres ecclesiae quorum locos initio hujus dissertationis apposui nec Theagenis neque aliorum illorum Homericorum Alexandrinis superiorum inspexisse libros certissimum est. Hi quaecumque ex antiquioribus Homericis proferunt ea omnia transscripserunt ex Alexandrinorum libris vel Pergamenorum. Alexandrinae autem aetatis grammatici universorum etiam antiquissimorum Homericorum scripta procul dubio lustrarunt ipsa, excepto uno Acusilao, de quo supra exposui. De Theagene modo vidimus. Alia jam nonnulla ut addam exempla, quae locis supra indicatis Aristarchus, quae in scholiis *B* 585. 592 Herodianus, quae *H* 135 *T* 116 apud Marcellinum Thucyd. vit. 2 Didymus protulit e Pherecyde logographo, ea omnia ex ipso Pherecydis opere illos transscripsisse patet. Stesimbrotum Thasium testem producit Demetrius Scepsius apud Strabonem 10, 472; ex eodem Stesimbroto Apollonium Rhodium aliquid in Argonauticorum suorum usum transtulisse scholium 1, 1129 affirmat. Glaucum Rheginum testantem introducit Apollodorus ap. Diog. L. 8, 52. Grammaticorum vero e narrationibus toti vitarum auctores et patres pendent; hos excerpta tantummodo ex illorum scriptis proponere non est quod ambigas.

MAXIMILIANI SENGEBUSCH

HOMERICA DISSERTATIO

POSTERIOR.

Quae de patria et aetate Homeri grammatici Graeci statuerunt, ea omnia in duas discedere partes apparet, alteram eorum, quae ab antiquioribus scriptoribus illi acceperunt tradita, alteram eorum, quae excogitaverunt ipsi. Namque ut unum posterioris classis exemplum afferam luculentissimum, Aristodemus Nysaeensis, quem Diss. 1 p. 31 natione Romanum dixisse vidimus Homerum, nullis certe id fecit antiquorum Homericorum testimoniis innisus aliisve temporum vetustiorum monumentis, sed ratiunculis tantummodo commotus a se ductis. Quis enim est qui sibi persuadeat, priusquam Graecia et universae terrae quae orientem solem spectant Romanis subigerentur, Graecum hominem ad Romanorum urbem originem et genus rettulisse Homeri? Rem confirmant illius quae sola Aristodemi de Homeri patria judicium respexit vitae sextae verba lin. 8 West. *Ἀριστόδημος δ᾽ ὁ Νυσαεὺς Ῥωμαῖον αὐτὸν ἀποδείκνυσιν ἔκ τινων ἠθῶν Ῥωμαϊκῶν, ἄλλοι δ᾽ Αἰγύπτιον.*

Maximam tamen partem eorum, quae in vitis et ab aliis recentioris aetatis scriptoribus Graecis narrantur de Homero, e vetustiorum auctorum libris grammaticos hausisse extra dubitationem positum est. Permulta enim ex iis quae narrantur ita sunt comparata, ut a doctis hominibus excogitata esse nequeant; multa vero reperimus, quae antiquissimorum scriptorum auctoritate et fide relata esse disertis verbis tradantur. Veluti Smyrnaeum Homerum fuisse Stesimbroti et Pindari est confirmatum testimoniis (Diss. 1 p. 205 sq et 166); Chium illum perhibuisse idem Pindarus fertur (Diss. 1 p. 166) praetereaque Simonides (Diss. 1 p. 169), Damastes (Diss. 1 p. 163), alii. Narrationem vero istam de piscatorum aenigmate quae legitur et in vitis Homeri compluribus et apud alios inferioris aetatis scriptores Graecos,

quis est, quaeso, quin eam ab Alexandrinis grammaticis fictam esse neget? Meletemve fluvium Homeri exstitisse patrem nisi antiquorum auctorum fide traditum esset, numquid putas Alexandrinos vel Pergamenos fuisse narraturos?

Et hujusmodi quidem narrationibus utrum qui fidem haberent in Alexandrinis fuerint grammaticis necne quaeri potest. De patria contra et aetate Homeri optimum quemque grammaticum non temere finxisse sibi narrationem sed ex iis quae ab antiquis Homericis traditae fuerunt elegisse sibi cui fidem haberet non est quod dubites. Quam vero elegisset sibi narrationem, hanc ut fulciret argumentis idoneis carmina quemque adiisse ipsa consentaneum videtur. Ea enim Homericorum carminum est conditio, ut, quum ne verbum quidem in iis de poëta ipso dicatur, insint permulta, quibus usus fore ut divinando de patria poëtae certior fias aetateque facile tibi persuadeas. In iis igitur perscrutandis dijudicandisque indiciis plurimos fuisse occupatos grammaticos per se patet. Ante omnes tamen huic quaestioni incubuisse scimus Aristarchum; qui suam sententiam, Homerum fuisse Atheniensem, eo maxime adhibito defendit argumento, quod Homerus Attice potissimum strueret verba. Cujus rei si testimonia quaeris, adeas Jahnii annales 67, 3, 252 sqq, ubi Aristonici fragmenta servata quae huc pertinent nonnullorumque aliorum locos probantes collegi. Nunc id potissimum videtur monendum esse, ne quis inde, quod Atticae Homeri originis vetustiorem Aristarcho testem nominatum videamus nullum, Aristarchum hanc omnem de Homero Atheniensi sententiam ipsum sibi excogitavisse conjiciat. Neque enim is fuit Aristarchus, qui nudam conjecturam in locum narrationis antiquorum monumentorum fide probatae suffici posse opinaretur. Accedit quod apud Clementem Alexandrinum Stromm. 1, 117 (Diss. 1 p. 14) Aristarchus ipse testatur, sententiam de aetate Homeri quam ipse secutus sit traditam esse. Facillime autem fieri potuit, ut eorum, quorum in hac re testimonia sequeretur Aristarchus, prorsus evanesceret memoria. Tanta enim Aristarchi fuit auctoritas, ut ejus quam ille probasset de Homeri patria aetateque sententiae si missis antiquioribus testibus illum ipsum vel primum vel unicum produxissent testem, videri sibi

possent scriptores rem bene gessisse. Simile quid factum esse in narratione de Io insula Homeri patria liquido demonstrari potest. Cujus narrationis testes nominantur in quattuor vitis, Pseudoplutarchea utraque, quinta, sexta. Nominantur autem Bacchylides (Diss. 1 p. 170), Timomachus (Diss. 1 p. 93), Aristoteles (Diss. 1 p. 77). Sed nulla ex quattuor quas dixi vitis hos auctores nominat cunctos; in sexta omittitur Bacchylides, in quinta Timomachus, uterque in Pseudoplutarcheis. Is igitur, qui trium illorum testium antiquissimus est, Bacchylides, in una tantum vita commemoratur; Aristoteles contra in nulla omittitur, in duabus memoratur ita, ut, si eas adhibeas solas, fieri non possit quin unicus ille totius narrationis testis videatur esse. Ecquid animadvertis scriptores sibi visos esse rem absolvisse ubi vetustioribus testibus spretis in summi philosophi acquievissent testimonio allato? Quod quum in Aristotele usu venire potuerit, cujus apud grammaticos Homericorum studiorum curiosos auctoritas minus valuit, numquid Aristarcho, cujus apud omnes summa fuit auctoritas, simile quid miraberis contigisse? Nec deest quem ante Aristarchum Homerum pro Atheniensi habuisse conjiciam. Theagenes Rheginus ille, qui primus de Homeri poësi, genere, aetate scripsisse traditur (Diss. 1 p. 210), quid de aetate et patria Homeri statuerit, traditum non reperimus. Jam hoc non esse mirum clamas; me ipsum mones exposuisse, quomodo antiquiorum testium memoria obscurata fuerit recentiorum nominibus. Et hoc quidem verum est, fateor. Sed in Theagene illud accedit, quod is exstitit primus, qui de Homero scriberet, unde magnam auctoritatem fuisse recentemque ejus viguisse memoriam apud Alexandrinos in dissertatione priori p. 210 sqq docui. Ex iis igitur, qui Theagene inferiores fuerunt aetate, quem tandem auctoritatis tantae fuisse credamus, ut in hac re illius nomen obscuraret? Neminem, opinor, praeter Aristarchum. Itaque valde probabile duco, Theagenis eam ipsam fuisse de patria atque aetate Homeri sententiam, quam Aristarchus suam fecit.

Sed enim Theagenes quae de patria et aetate Homeri protulit, unde ea hausisse illum censebimus? Et qui Theagenem exceperunt, alii illi saeculorum sexti et quinti

a. Chr. scriptores, Stesimbrotus, Pindarus, Acusilaus, ceteri, quibus argumentis illi in suam quisque sententiam fuerunt deducti? Etenim duo quum repererimus genera eorum esse, quae in vitis Homeri et apud alios inferioris aetatis scriptores Graecos legantur de Homero, quorum alterum in conjecturis constet grammaticorum, alterum in narrationibus antiquiorum scriptorum fide traditis, grammaticorum sagacitate fulcitis, res jam eo redit ut anquiramus, quibus fontibus usi sint vetustiores illi scriptores, ex quibus Alexandrini hauserunt.

Ex iis quos in priori dissertatione mea recensui antiquissimos de Homero testes Hippiam (Diss. 1 p. 111) si mittimus et alios nonnullos, quos, quum incerti quodammodo videantur esse, quintum tamen certum est non antecedere saeculum, haec relinquuntur nomina certa: Acusilai (Diss. 1 p. 163), Aeschyli (Diss. 1 p. 170), Alcidamantis (Diss. 1 p. 114), Antimachi (Diss. 1 p. 205), Aristophanis comici (Diss. 1 p. 178 sqq), Bacchylidis (Diss. 1 p. 170), Cratini (Diss. 1 p. 177), Damastis (Diss. 1 p. 162), Eugaeonis (Diss. 1 p. 164), Glauci Rhegini (Diss. 1 p. 209), Gorgiae (Diss. 1 p. 113), Hellanici (Diss. 1 p. 156. 159), Herodoti (Diss. 1 p. 150—154), Pherecydis (Diss. 1 p. 157—159), Pindari (Diss. 1 p. 166 sqq), Platonis philosophi (Diss. 1 p. 126. 129), Simonidis (Diss. 1 p. 169), Sophoclis (Diss. 1 p. 172), Stesimbroti (Diss. 1 p. 206), Theopompi comici (Diss. 1 p. 178), Thucydidis (Diss. 1 p. 140. 147), Xenophanis (Diss. 1 p. 205). Horum alii de carminibus tantummodo Homero adscribendis testantur, alii sola de vita ejus, alii et de carminibus et de poëta ipso. Jam quae de carminibus Homero adscribendis aut abjudicandis nonnulli e scriptoribus illis statuerunt, ea singulorum ex arbitrio repetenda esse dixeris. Cratinus Margiten esse Homeri carmen putavit, Aristophanes comicus et Margiten et hymnum In Apollinem et Epigonos, Thucydides hymnum In Apollinem, Simonides Thebaidem, Pindarus Cypria et, ut videtur, compluria alia praeter Iliadem et Odysseam; Sophocles si non cyclica carmina, certe παίγνια quaedam

Homero adscripsisse videtur, Aeschylus omnia carmina cyclica Homeri nomine signanda duxit; Herodotus abjudicavit ab Homero Cypria et Epigonos, Plato philosophus sese Iliadem tantum et Odysseam pro genuinis Homeri carminibus habere prodit, Glaucus sese aliena putare ab Homero Cypria. Haec igitur dijudicasse solum suum quisque judicium de praestantia carminum illorum secutus videri potest. Sed narrationes de Homeri patria et aetate unde fluxisse in antiquissimorum illorum scriptorum libros credamus? Chium appellatum esse vidisti Homerum a Thucydide, Damaste, Pindaro, Simonide; jam Thucydidem et Damasten Pindaro subscripsisse dicas; Pindarus vero, id quod in dissertatione priori p. 166 monui, Acusilao fortasse fidem habuit quum Homerum dicebat Chium; nam Acusilaum prout postea Hellanicum Homeridarum certe genus Chium ab Homero ipso derivasse legisti Diss. I p. 157 et 163. Eundem Acusilaum fortasse secutus est Simonides; sed unde hausit Acusilaus? Alio loco Smyrnaeum a Pindaro dictum fuisse Homerum vidisti; Stesimbrotus igitur quod Smyrnaeum statuit esse Homerum, id Pindari fretum auctoritate eum fecisse conjicias. Sed unde Pindarus, quum alio loco Chium diceret Homerum, alio ut eundem Smyrnaeum perhiberet adductus est? Unde Bacchylides rescivit, Ietam natione fuisse Homerum? Antimachus unde Colophonium? Jam Xenophanem memoras, quem Diss. I p. 205 Homerum Colophonium appellasse ipse arbitratus fuerim. Sed res eadem est; nomina tantum permutas; unde Xenophanes hausit? Vetustissimus omnium qui de Homero data opera scripsit Theagenes fuit; numquid omnium illarum narrationum inter se diversarum primum fontem unicum et communem unum idemque Theagenis opus fuisse censebis? Atque ut hoc ponas, varias multas de Homeri genere, patria, aetate narrationes Theagenem ita fuisse complexum, ut ex ejus opere omnes illi scriptores diversam quisque potuerint derivare sententiam rationibus vel a Theagene jam fulcitam vel ab ipsis demum fulciendam; ut hoc, inquam, ponas, unde, quaeso, Theagenem tantam narrationum farraginem congessisse putabimus?

In Aristonici annotationibus Iliacis nonnullae reperiuntur, quibus commemorati sunt poëtae quinto a. Chr. saeculo superiores. Sic diplas explicans Aristonicus nominat Alcmanem ad *E* 774 *Υ* 138, Anacreontem ad *Γ* 219, Archilochum ad *Z* 507 *Λ* 786, Ibycum ad *E* 5 *X* 23, Stesichorum ad *E* 31, Hesiodum ad *B* 507 *E* 269 *Θ* 455 *I* 246 *K* 431 *Λ* 155. 601. 750 *M* 22 *Ξ* 119. 124. 338 *Π* 748 *Ω* 25. 45. 527. 624 *Σ* 39 *Ω* 614. Nonnulli ex his locis notati fuerunt ab Aristarcho propterea quod recentior poëta verba Homeri ante oculos habuerit atque imitatus sit. Tales igitur poëtarum Homeri aetate inferiorum notationes testimonia quodammodo sistere dicas de vetustate Iliadis. Vide e. g. annotationem ad *M* 22, ubi diplam positam fuisse legimus *ὅτι ἀνέγνω Ἡσίοδος τὰ Ὁμήρου ὡς ἂν νεώτερος τούτου.* Hesiodo nimirum, quum pangeret catalogum fluviorum Theogon. 337 sqq, ob oculos fuisse apparet locum *M* 18 sqq. Ante Hesiodi tempora igitur hic locus Iliadis factus. Ex alio genere e. g. scholium Aristonici *K* 431 est: *ἡ διπλῆ, ὅτι ἑτέρους τῶν Τρώων οἶδε τοὺς Φρύγας· καὶ ὅτι Ὅμηρος οὐκ οἶδε καλουμένους Λυδοὺς ἀλλὰ Μήονας. πρὸς τὰ περὶ ἡλικίας Ἡσιόδου.* De priori scholii parte Friedlaender relegavit lectorem ad Lehrsii Arist. p. 238; de ultimis, *πρὸς τὰ περὶ ἡλικίας Ἡσιόδου*, idem haec: „Edd. *περὶ Κιλικίας*, corr. Lehrs. Herodian. 454. *ἡλικίας* in cod. [intell. A] esse affirmat Pluygers. [intell. Retr. ed.] p. 11.“ Marckscheffel inter Hesiodi fragmenta sub numero 42 rettulit Aristonici locum, quo *Λυδοὺς* dixisse Hesiodum edocemur; Homerum igitur, utpote qui *τὴν ὀνομασίαν τῶν Λυδῶν* nondum cognitam habuerit, vetustiorem Hesiodo esse conclusit Aristarchus. Et hujus et prioris illius classis diplae propter poëtas quinto saeculo priores olim multo plures fuerunt, nec solum in Iliade, sed etiam in Odyssea; atque deperditarum magna pars restitui potest collatis inter sese scholiis variis, Eustathio, lexicographis, fragmentis poëtarum illorum, verbis Homeri ipsis. Nec praetermittenda testimonia veterum quorundam scriptorum, quibus singulis carminum locis non indicatis nonnulli poëtae saeculo quinto superiores imitatores dicuntur exstitisse Homeri. Sic e. g. Diss. 1 p. 121 a Dionysio Hal. Comp. verborr. 24 inter

imitatores Homeri numerari vidimus Stesichorum et Alcaeum, sic p. 120 a Longino cap. 13 Stesichorum et Archilochum; sic Archilochum et Stesichorum Dio Chrysost. 55, 6 Homeri ζηλωτὰς fuisse narrat. Idem 2, 33 Stesichorum Homeri μιμητὴν perhibet; accedunt epigrammata Anthol. Pal. 7, 75, quod infra proferam, et 9, 184, ubi ad Stesichorum poëta Ὀμηρικὸν ὅς τ' ἀπὸ ῥεῦμα | ἔσπασας οἰκείοις Στησίχορ' ἐν καμάτοις.

Sed hoc bene tenendum est, nec ejusmodi laudibus nec Aristarchi notationibus quas indicavi testimonia sisti de Homero. Esse testimonia illa vetustorum poëtarum de Iliade et Odyssea concedo; testimonia de ipso poëta Homero non sunt. Vidimus Dissert. 1 p. 169 Simonidem Ceum nomen Homeri nominasse: οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς. A poëtis Simonide Ceo aetate superioribus num Homeri nomen nominatum fuerit dubitari potest. Apud Pausaniam 9, 9, 3 quod tetigi Diss. 1 p. 45 legimus Καλαῖνον Thebaidem cyclicam Homero adscripsisse. Volunt ibi pro Calaeno, quod nihili est, Callini introducere nomen poëtae cujus ἀκμὴν quum accurate definire nequeamus superiorem tamen anno a. Chr. 600, inferiorem anno 700 fuisse constat. Sed apud Pausaniam (cfr. Bergk. Lyrr. ed. 2 p. 315) utrum ejus nomen introducendum sit an Callimachi non plane liquet; atque ut de Callino ibi sit cogitandum, incertum manebit, utrum Callinus Thebaidem carmen dixerit Ὁμήρου esse an alio nescio quo titulo modove designaverit poëtam. Similiter dicendum de loco Eustratii ad Aristot. Eth. Nicom. 6, 7 p. 65 B, quo praeter Aristotelem (Diss. 1 p. 70) et Callimachum (Diss. 1 p. 45, ubi hunc Eustratii locum commemorare debebam) et Cratinus comicus (Diss. 1 p. 177) et (Bergk. Lyrr. ed. 2 p. 570) Archilochus, poëta exeuntis a. Chr. saeculi octavi, Margiten Homeri carmen dixisse narrantur. Cui narrationi fortasse error subest, quo Cratini comoedia illa Archilochorum titulo inscripta cum ipso poëta Archilocho confusa videtur esse. Bergk l. c. pro καὶ Ἀρχίλοχος καὶ Κρατῖνος probabiliter rescribi posse arbitratur καὶ Ἀρχιλόχοις Κρατῖνος. Sin vero Archilochus Margiten revera Homeri sese habere carmen prodidit, incertum rursus hoc videtur esse,

qua tandem ratione poëtam ille indicaverit. Homeri nomen legitur tribus locis reliquiarum, quae Hesiodi nomine inscribuntur. Primum Opp. 657, quo loco poëta sese narrat ex Aulide Chalcidem in Euboeam insulam trajecisse ibique musico vicisse certamine, Proclus annotat pro *ἔνθα μέ φημι | ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα* nonnullos legere *ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.* Docuit autem Goettlingius ad vs. nominatum, erravisse Proclum dicendumque ei fuisse, addere quosdam post versum 657 alterum versum: *ἔνθα μέ φημι | ὕμνῳ νικήσαντα φέρειν τρίποδ' ὠτώεντα, | ὕμνῳ νικήσαντ' ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον.* Quae scriptura utrum vera sit dubium est; atque ut veram censeas esse, rursus hoc dubium, totus iste Operum locus utrum Hesiodo ipsi debeatur an alicui interpolatori. Goettlingius omnia a versu 646 *εὖτ' ἂν ἐπ' ἐμπορίην* usque ad versum 662 *Μοῦσαι γάρ μ' ἐδίδαξαν* uncis inclusit. Pausaniae is contendit ad vs. 646 persuasum fuisse, totum hunc locum non esse Hesiodi, uti pateat ex iis quae dicat 9, 31, 3. Versus 654—662 etiam Plutarcho pro spuriis esse; sed quum versus antecedentes 646—653 ita prorsus inepti esse videantur, necessarium esse ut etiam hos pro spuriis habuerint antiqui; versum denique 650 repugnare versui 683. In animo fortasse Proclum habuisse Goettlingius ad vs. 657 addit eum versum, quem inscripsisse tripodi Hesiodum dicat auctor Certaminis Hesiodi et Homeri; et hoc quidem extra dubitationem positum videtur esse, obtinere aliquem nexum inter locum Operum, quem modo tractavimus, et epigramma a Goettlingio designatum, quod Hesiodi nomine inscriptum exstat in Certamine West. lin. 210, in Anthol. Pal. 7, 53, apud Dionem Chrysostomum 2, 11, in vita Homeri Procliana lin. 50 sqq. Locus hic vitae Proclianae propterea memorabilis est, quod Operum simul illum locum respicit auctor necessitudinemque intercedere inter eum et epigramma declarat intimam. *εἰσὶ δ' οἵτινες*, inquit, *ἀνεψιὸν αὐτὸν* (int. *τὸν Ὅμηρον*) *Ἡσιόδου παρέδοσαν ἀτριβεῖς ὄντες ποιήσεως· τοσοῦτον γὰρ ἀπέχουσι τοῦ γένει προσήκειν, ὅσον ἡ ποίησις διέστηκεν αὐτῶν. ἄλλως δ' οὐδὲ τοῖς χρόνοις συνέβαλον ἀλλήλοις. ἄθλιοι δ' οἳ τὸ αἴνιγμα πλάσαντες τοῦτο· „Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν | ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι*

θεῖον Ὅμηρον". *ἀλλὰ γὰρ ἐπλανήθησαν ἐκ τῶν Ἡσιοδείων Ἡμερῶν· ἕτερον γάρ τι σημαίνει.* Proclum igitur non totum Operum locum spurium habuisse vides, sed variam tantummodo illam lectionem, qua Homeri additur nomen, aut ignorasse aut tacite rejecisse. Dio Chrysostomus oratione 2 Alexandrum magnum cum patre Philippo facit colloquentes *περὶ βασιλείας* sive *περὶ Ὁμήρου*. Leguntur autem ejus orationis cap. 11 haec: *ταῦτα μέντοι ποιῶν Ὅμηρος ἡττᾶτο ὑπὸ Ἡσιόδου, ὁ Φίλιππος εἶπεν· ἢ οὐκ ἀκήκοας τὸ ἐπίγραμμα τὸ ἐν Ἑλικῶνι τὸ ἐπὶ τοῦ τρίποδος· „Ἡσίοδος Μούσαις Ἑλικωνίσι τόνδ' ἀνέθηκεν, | ὕμνῳ νικήσας ἐν Χαλκίδι θεῖον Ὅμηρον*"; Idem epigramma Marcus Varro pro genuino habuit teste Gellio, qui super aetate Homeri atque Hesiodi disputans 3, 11 inter alia haec narrat: „Marcus autem Varro in primo De imaginibus uter natus prior sit parum constare dicit; sed non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint; idque ex epigrammate ostendit, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur". Goettlingius, qui Gellii, Dionis, Anthologiae locos tacens in Certamine epigramma exstare narrat, Pausaniam 9, 31, 3 indicare autumat, sese non legisse illud epigramma; dicere enim Pausaniam *ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι καὶ ἄλλοι τρίποδες κεῖνται καὶ ἀρχαιότατος, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐπ' Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον νικήσαντα ᾠδῇ.* Jam de verbis Pausaniae utut statuas, longo tempore ante eum fuisse epigramma illud scriptum Varronis testimonio efficitur. Cave tamen hoc Varronis effici putes verbis, revera Hesiodi ipsius epigramma illud fuisse. Idem valet de versibus quibusdam Hesiodi nomine signatis, qui e Philochoro afferuntur in scholio Pindar. Nem. 2, 1, frgmt. Marckscheffel. no 221 Goettling. ed. 1 no 163 ed. 2 no 227: *Φιλόχορος δὲ ἀπὸ τοῦ συντιθέναι καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδὴν οὕτω φησὶν αὐτοὺς* (int. *τοὺς ῥαψῳδοὺς*) *προσκεκλῆσθαι· δηλοῖ δὲ Ἡσίοδος λέγων· „ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοὶ | μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν, | Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τέκε Λητώ". ῥαψῳδῆσαι δέ φησι πρῶτον Ἡσίοδον Νικοκλῆς.* Priores duos versus Philochoro non nominato proponit Eustath. *Α* p. 6, 13. Satis antiquos versus esse hoc docet, quod Philochorus jam eos pro genuinis habuit. Hesiodi

tamen eos revera esse non liquet; nec quo demum tempore sint scripti illi indagari facile poterit.

Sed fac Hesiodi non solum hos versus esse, sed etiam epigramma illud a Varrone commemoratum, fac etiam Operum loco indicato Hesiodum mentionem injecisse Homeri, fac Archilochum Margiten, Callinum Thebaidem carmen dixisse Homeri: inde non explicabitur, unde variae illae narrationes de Homeri patria, genere, aetate ad Theagenem defluxerint et reliquos illos sexti et quinti a. Chr. saeculi scriptores, qui hodie antiquissimi earum sunt testes.

Testimoniorum literis mandatorum deficiente memoria ad fabulas jam video te confugere ore hominum traditas. Patriis narras mihi Colophoniorum fabulis Colophonium Homerum fuisse appellatum; eodem modo Smyrnaeos Smyrnae illum vindicasse, reliquas sibi singulas civitates. Additas fuisse fabulis de patria narratis singulis singulas de aetate, de genere, de parentibus, de vita narrationes. Ex his vero fabulis ipsis vulgo narratis antiquissimos illos Homericos hausisse, Theagenem, Glaucum, Stesimbrotum, reliquos.

Probabilitatis certe aliquid, fateor, ea sententia habet. Namque scriptores non solos sed etiam civitates ipsas decertasse de Homero constat. Vide modo vitam Procli lin. 7 sqq: *καὶ διὰ τοῦτο οἱ μὲν Κολοφώνιον αὐτὸν* (int. *τὸν Ὅμηρον*) *ἀνηγόρευσαν, οἱ δὲ Χῖον, οἱ δὲ Σμυρναῖον, οἱ δ' Ἰήτην, ἄλλοι δὲ Κυμαῖον καὶ καθόλου πᾶσα πόλις ἀντιποιεῖται τἀνδρός, ὅθεν εἰκότως ἂν κοσμοπολίτης λέγοιτο.* Sic in epigrammate quodam, quod infra apponam integrum, de Homero Athenienses dicunt *ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν.* Certamen porro Homeri et Hesiodi his incipit verbis: *Ὅμηρον καὶ Ἡσίοδον τοὺς θειοτάτους ποιητὰς πάντες ἄνθρωποι πολίτας ἰδίους εὔχονται γενέσθαι. ἀλλ' Ἡσίοδος μὲν τὴν ἰδίαν ὀνομάσας πατρίδα πάντας τῆς φιλονεικίας ἀπήλλαξεν, εἰπὼν* (Opp. 639) *ὡς ὁ πατὴρ αὐτοῦ „εἴσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀιζυρῇ ἐνὶ κώμῃ | Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ". Ὅμηρον δὲ πᾶσαι ὡς εἰπεῖν αἱ πόλεις καὶ οἱ ἄποικοι αὐτῶν παρ' ἑαυτοῖς γεγενῆσθαι λέγουσιν. καὶ πρῶτοί γε Σμυρ-*

ναῖοι Μέλητος ὄντα τοῦ παρ' αὐτοῖς ποταμοῦ καὶ Κρηθηΐδος (leg. Κριθηΐδος) νύμφης κεκλῆσθαί φασι πρότερον Μελησιγένη, ὕστερον μέντοι τυφλωθέντα Ὅμηρον μετονομασθῆναι διὰ τὴν παρ' αὐτοῖς ἐπὶ τῶν τοιούτων συνήθη προσηγορίαν. Χῖοι δὲ πάλιν τεκμήρια φέρουσιν, ἴδιον εἶναι πολίτην λέγοντες, καὶ περισώζεσθαί τινας ἐκ τοῦ γένους αυτοῦ παρ' αὐτοῖς Ὁμηρίδας καλουμένους. Κολοφώνιοι δὲ καὶ τόπον δεικνύουσιν, ἐν ᾧ φασιν αὐτὸν γράμματα διδάσκοντα τῆς ποιήσεως ἄρξασθαι καὶ ποιῆσαι πρῶτον τὸν Μαργίτην. Cicero Pro Archia poëta cap. 8 „Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei vero suum esse confirmant: itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii praeterea pugnant inter se atque contendunt". Epigramma in Anthol. Planud. 4, 294 Ὁπποίας τὸν Ὅμηρον ἀναγραψώμεθα πάτρης,| κεῖνον, ἐφ' ᾧ πᾶσαι χεῖρ' ὀρέγουσι πόλεις; Ibid. epigr. 297 Ἑπτὰ ἐριδμαίνουσι πόλεις διὰ ῥίζαν Ὁμήρου, | Κύμη, Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Ibid. 298 Ἑπτὰ πόλεις μάρναντο σοφὴν διὰ ῥίζαν Ὁμήρου,| Σμύρνα, Χίος, Κολοφών, Ἰθάκη, Πύλος, Ἄργος, Ἀθῆναι. Ibid. 299 Χῖος ἔφυς; οὔ φημι· τί δέ, Σμυρναῖος; ἀπαυδῶ. | Κύμη δ' ἢ Κολοφὼν πατρὶς Ὅμηρε σέθεν; | οὐδετέρη. Σαλαμὶς δὲ τεὴ πόλις; οὐδ' ἀπὸ ταύτης | ἐξέφυν. ἀλλ' αὐτὸς λέξον ὅπῃ γέγονας. | οὐκ ἐρέω. τίνος ἦρα; πέπεισμ' ὅτι τἀτρεκὲς εἰπὼν| ἕξω τὰς ἄλλας ἄμμιν ἀπεχθομένας. Strabo 13, 622 postquam Ephorum et Hesiodum Cumaeos fuisse narravit, Ὅμηρος δὲ, pergit, οὐχ ὁμολογουμένως (int. Κυμαῖός ἐστι)· πολλοὶ γὰρ ἀμφισβητοῦσιν αὐτοῦ. Idem 14, 645 ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Ὁμήρου Χῖοι, μαρτύριον μὲν τοὺς Ὁμηρίδας καλουμένους, ἀπὸ δὲ τοῦ ἐκείνου γένους προχειριζόμενοι, ὧν καὶ Πίνδαρος μέμνηται· „Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι, | ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοί". Pag. 646 idem scriptor de Smyrna urbe loquens ἔστι δὲ, inquit, καὶ βιβλιοθήκη καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος, ἔχουσα νεὼν Ὁμήρου καὶ ξόανον· μεταποιοῦνται γὰρ καὶ οὗτοι διαφερόντως τοῦ ποιητοῦ· καὶ δὴ καὶ νόμισμά τι χαλκοῦν παρ' αὐτοῖς Ὁμήρειον λέγεται. ῥεῖ δὲ πλησίον τοῦ τεί-

χους ὁ Μέλης ποταμός. Plura possent coacervari; sed parcam chartis. E nonnullis vero eorum quos attuli locorum etiam id elucet, non solum de origine ipsa Homeri pugnasse civitates, sed additas esse a singulis civitatibus fabulas quasdam proprias de parentibus, de aetate, de vita, de carminibus. Veluti Homeri parentes Meletem fuisse et Critheidem, Smyrnaeis propriam atque domesticam fuisse docemur fabulam; Colophonios sibi propriam habuisse videmus narrationem, qua Homerus primum Colophone versus panxisse Margitemque ibi primum confecisse diceretur. Id quoque genus plura congeri possent.

Theageni, Stesimbroto, Pindaro, reliquis illis quinti et sexti a. Chr. saeculi scriptoribus fabulas eas urbiumque contentiones de Homero si non omnes, plurimas tamen fuisse cognitas vix negari potest. Neque ego id diffiteor. Hoc vero mihi exploratum habere videor, non in fide illos fabularum quarundam acquievisse vulgo circumlatarum, sed auctoritatem requisivisse ipsorum Homeri carminum, quibus de se poëta ipse videretur testari. Id neque in Iliade neque in Odyssea eum fecisse certum est, atque diserte apud nonnullos scriptores, etiam in vitis Homeri quibusdam expressum legimus, eam esse caussam diversitatis, quae inter narrationes de poëtae vita obtineat. Sed alia fuerunt praeter Iliadem et Odysseam Homero vulgo adscripta carmina multa, quae Alexandrini quidem et, uti videtur, ante eos Plato divinus ille philosophus universa ab Homero abjudicarunt, e reliquis vero Homericis Alexandrinorum superioribus aetate alii omnia genuina crediderunt esse, alii ex parte. Margiten, quem modo legimus secundum Colophonios Colophone factum esse, plurimi pro genuino Homeri carmine habuerunt; hymnum In Apollinem Thucydides et Aristophanes ad Homerum rettulerunt, Epigonos Aristophanes, Thebaidem Simonides Ceus, Cypria Pindarus, Sophocles παίγνια quaedam, Aeschylus universa carmina cyclica. Inter haec igitur carmina nonnulla reperiuntur, in quibus poëta de se ipso aliquid prodidit. Itaque ii, qui tale carmen, in quo aliquid de se ipso poëta prodidit, ab Homero ipso conditum esse crederent, non potuerunt facere

quin Homerum ipsum in eo de se testantem deprehendisse sibi viderentur.

Singula jam recensebo. Hymno in Apollinem facto insunt quidam versus, quibus poëta in Chio insula sese habitare dicit, ed. Wolf. vs. 165 sqq: ἀλλ' ἄγεθ', ἱλήκοι μὲν Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξύν, | χαίρετε δ' υμεῖς πᾶσαι· ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθεν | μνήσασθ', ὁππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων | ἐνθάδ' ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἐλθών· | „Ὦ κοῦραι, τίς δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν | ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα"; | ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθ' εὐφήμως· | „Τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἔνι παιπαλοέσσῃ· | τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί". Hymnum Homeri esse Homerumque eo quem apposui loco sui ipsius mentionem facere Thucydides autumat gravissimus scriptor, lib. 3 cap. 104. Homerum igitur Chium esse ille existimavit. Fidem igitur Thucydides habuit narrationibus Chiorum Homerum sibi vindicantium, quas narrationes eum probe novisse nemo negabit. Dubitari posse primo aspectu videtur, utrum Thucydides fabulis Chiorum fidem habuerit, quia sibi persuaserat hymnum Homeri esse, an hymnum Homeri esse crediderit, quia Chiorum fabulis fidem habebat. Sed quum narrationes Chiorum ne uno quidem verbo ille commemorandas duxerit, facile intelligitur, quod priori loco posui verum esse: adscribebat ille hymnum Homero; inde consequebatur, ut in partes Chiorum sibi Homerum vindicantium decederet Homerumque pro Chio haberet. Eadem ratione haud dubie reliqui illi scriptores antiqui, Damastes, Pindarus, Simonides et si qui alii fuerunt, in eam deducti sunt sententiam, ut Chium appellandum arbitrarentur Homerum. Noverant illi omnes sine dubio fabulas Chiorum proprias de Homero cive suo traditas; fidem vero apud scriptores fabulis ore hominum traditis sola hymni In Apollinem verba addiderunt.

Simile quid accidit iis, qui Colophonium Homerum fuisse crederent. Hi versibus quibusdam Margitis decipi se passi sunt. Cujus carminis, quamvis aetatem non tulerit, initium tamen fuisse hoc scimus: Ἦλθέ τις εἰς Κολοφῶνα γέρων καὶ θεῖος ἀοιδός, | Μουσάων θεράπων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος, | φίλης ἔχων ἐν χερσὶν εὔφθογγον λύρην. Lo-

cum servatum in aliquo scripto grammatici cujusdam Latini inedito, quod delitescit in bibliotheca regia Berolinensi, publici juris fecit Fr. Lindemann in opere inscripto Die Lyra. Eine Sammlung von Uebersetzungen aus dem classischen Alterthum, tom. I (prodiit is tomus Misniae apud Goedschium 1821) p. 82. Versum secundum in scholiis Aristoph. Avv. 913 exstare vidisti Diss. I p. 179. Senem, qui tribus hisce versibus commemoratur, poëtam ipsum esse eum, qui Margitem fecerit, negari vix potest. Itaque ii, qui Margitem Homeri carmen esse crederent, testantem illum de se his versibus Homerum ipsum esse credebant. Poterat enim e versibus prolatis hoc certe elici, Homerum Colophone aliquamdiu habitasse, quod sufficiebat sententiae ei stabiliendae, qua Colophonius diceretur poëta. Sed fuerunt fortasse plures ejusmodi in Margite loci, quibus de Colophonio Homero etiam luculentius testatum esse videretur.

Smyrnaeum porro qui Homerum perhibebant scriptores, id fecerunt auctoritate, opinor, carminis adducti, quod in vitam Pseudoherodoteam receptum exstat cap. 14. Initium ejus carminis hocce est: *Οἵη μ' αἴση δῶκε πατὴρ Ζεὺς κύρμα γενέσθαι, | νήπιον αἰδοίης ἐπὶ γούνασι μητρὸς ἀτάλλων, | ἥ ποτ' ἐπύργωσαν βουλῇ Διὸς αἰγιόχοιο | λαοὶ Φρίκωνος, μάργων ἐπιβήτορες ἵππων, | ὁπλότεροι μαλεροῖο πυρὸς κρίνοντες Ἄρηα, | Αἰολίδα Σμύρνην ἁλιγείτονα ποντοτίνακτον, | ἥν τε δι' ἀγλαὸν εἶσιν ὕδωρ ἱεροῖο Μέλητος.* Homerum auctorem carminis vita Pseudoherodotea dicit, cujus scriptor non dubitavit Smyrnae natum Homerum praedicare; vid. cap. 1. 2. 3. 38. Nec posset hodie aliter facere si quis carmen genuinum esse crederet. Panxisse vero id carmen narratur in vita quam nominavi poëta adversus Cumaeos, qui publico sumptu ipsum alere nollent. Quod postquam conquestum est carmen, adduntur in fine hi versus: *οὐδέ τί μοι φίλα γυῖα μένειν ἱεραῖς ἐν ἀγυίαις | Κύμης ὁρμαίνουσι, μέγας δέ με θυμὸς ἐπείγει | δῆμον ἐς ἀλλοδαπῶν ἰέναι ὀλίγον περ ἐόντα.* Itaque si carmen genuinum esse credis, sequitur id quoque, ut Homerum aliquamdiu Cumis commoratum esse statuas. Smyrnam vero quoniam et Cumis Aeolica deducta fuit colonia et Epheso Ionica, de eo quoque litigabant, utrum ex

hac Ionica Ephesiorum an ex Aeolica illa Cumaeorum colonia oriundus fuisset Homerus. Jam inspice carminis nostri versum sextum, quo poëta Aeolicam Smyrnam patriam suam vocat, conditam a populo Phriconis, id est a Cumaeis; fac Homerum carminis auctorem credas: bellissimum habebis testimonium de Aeolica Homeri origine. Denique in iis, qui ex Aeolica Smyrnam deducta colonia Homerum fuisse ajebant oriundum, fuerunt qui Smyrnae quidem prognatum, Cumis vero paullo ante deductam coloniam generatum illum perhiberent: hi Cumaeum suo sibi jure videbantur Homerum nuncupare. Atque huic quoque sententiae favere quodammodo videtur carmen. Itaque vita Pseudoherodotea, quae carmen servavit, illam quoque sequitur narrationem; vide cap. 1. 2. 3. 38.

Leguntur porro capite nono vitae Pseudoherodoteae alii nonnulli versus, quibus poëta prodit se Neonteichos pervenisse, quae colonia fuit Cumaeorum ad Hermum fluvium sita inter Cumas et Smyrnam media. Capite dein 17mo versus exstant, quibus Erythras se navigaturum esse poëta dicit. Homerum fac esse hunc poëtam, id quod vita Pseudoherodotea facit: statim concedendum tibi erit, id quod vita illa perhibet, Erythras Homerum iter suscepisse.

Ex hymno vero in Apollinem facto itinera multa suscepisse Homerum clarissimum carminibus suis redditum concludes, ubi hymnum Homeri esse statueris. Eorum enim quos protuli supra versuum ultimo, *τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί*, subjunguntur in illo hymno haecce: *ἡμεῖς δ' ὑμέτερον κλέος οἴσομεν, ὅσσον ἐπ' αἶαν | ἀνθρώπων στρεφόμεσθα πόλεις εὐναιεταώσας· | οἱ δ' ἐπὶ δὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν.*

Pauperem porro Homerum fuisse canendoque sustentasse vitam ex hymno in Cererem facto concludes, si genuinum censueris; ibi enim vss. 490—495 a Cerere cum filia Proserpina precatus est poëta, ut pro cantu victum sibi praeberent: *πρόφρων ἀντ' ᾠδῆς βίοτον θυμήρε' ὄπαζε· | αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.* Iidem versus recurrunt in fine hymni tricesimi *Εἰς Γῆν μητέρα πάντων.* Simillimi sunt versus, quibus clauditur hymnus tricesimus

unus, Εἰς Ἥλιον: χαῖρε, ἄναξ, πρόφρων δὲ βίον θυμήρε' ὄπαζε· | ἐκ σέο δ' ἀρξάμενος κλήσω μερόπων γένος ἀνδρῶν | ἡμιθέων, ὧν ἔργα θεοὶ θνητοῖσιν ἔδειξαν.

Duos hymnos in ipsa Cypro insula a poëta cantatos esse in certamine musico non est quod ambigas, quintum et nonum. Uterque Venerem celebrat deam, cujus numen prae ceteris omnibus diis scis Cyprios coluisse. Quintus exorditur sic: Αἰδοίην χρυσοστέφανον καλὴν Ἀφροδίτην | ἄσομαι, ἣ πάσης Κύπρου κρήδεμνα λέλογχεν | εἰναλίης; clauditur vero idem hymnus hisce: χαῖρ' ἑλικοβλέφαρε γλυκυμείλιχε· δὸς δ' ἐν ἀγῶνι | νίκην τῷδε φέρεσθαι, ἐμὴν δ' ἔντυνον ἀοιδήν· | αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς. Nonus hymnus incipit verbis Κυπρογενῆ Κυθέρειαν ἀείσομαι, finitur hisce: χαῖρε θεά, Σαλαμῖνος ἐυκτιμένης μεδέουσα, | καὶ πάσης Κύπρου, δὸς δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν· | αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς. His igitur carminibus ii procul dubio innisi sunt, qui Cyprium Homerum fuisse perhiberent.

Jam hymnum inspice octavum; aut Colophone aut Smyrnae eum cantatum esse a poëta in certamine musico videbis. Hymnum In Apollinem Deli cantatum esse poëta dicit aperte; sin vero hymno illi duo carmina majora inesse dixeris, quorum alterum Delium, alterum Delphicum celebret Apollinem, hymnum hunc In Delphicum Apollinem numquid Delphis cantatum esse negabis? Hymnum denique In Cererem nonne Athenis vel Eleusine cantatum esse pro certo affirmari debet?

Carminibus Homeri nomine signatis Hesiodei illi versus accedunt, quos ante apposui. Eos si Hesiodi esse credideris, versibus ap. schol. Pind. Nem. 2, 1 et Eustath. *A* p. 6, 13 servatis effici concedendum tibi erit, in Delo insula Homerum et Hesiodum musico certamine cecinisse; ex epigrammate autem illo, quod Certamen, Dio, Anthologia, M. Varro ap. Gellium testantur, et ex Operum versu, quem Proclus commemorat, concludas necesse erit, Chalcide in urbe Euboeae poëtas illos decertasse vicisseque Hesiodum. Marckscheffel, qui in libro de Hesiodi, Eumeli, aliorum fragmentis scripto p. 33—42 diligenter in narrationem de Homero

Hesiodoque Chalcide certantibus inquisivit, recentioris memoriae eam narrationem et Plutarcho, si recte quae dicit p. 40 accipio, inferiorem esse contendit. Qua in re falsum esse virum doctum apparet. Namque epigramma illud Hesiodi nomine inscriptum quum non solum a Dione Chrysostomo, sed etiam a M. Varrone pro genuino habitum fuisse viderimus, satis antiquae esse notae negare non possumus. Hoc vero si concesseris, ad tempora antiqua pertinere et epigramma ipsum et locum Operum, qui cum eo arctissime cohaeret, et quos nec Goettlingius nec Marckscheffel impugnaverunt versus de Deliaco certamine inter Homerum et Hesiodum instituto, fontem jam habebis, unde narrationes istas de Homero Hesiodi aequali profluxisse primum dicas.

Redeo ad ea carmina, quae falso Homeri inscribebantur nomine. Horum in numero fuerunt nonnulla, quae qua in civitate pacta essent, certissime vel ipse titulus videretur docere. Veluti Cypriorum carmen pepigisse alii Homerum ipsum perhibebant, alii Stasinum Cyprium, alii alios; in eo vero plerique consensisse videntur, in Cypro insula carmen esse compositum. Sic carmen illud, quod Phocaidis inscribebatur nomine, Phocaeae in urbe Ionica Cumis et Smyrnae vicina compositum esse nemini non constabat. Homerum igitur si quis Phocaidis auctorem habebat, proclive erat ei fidem habere Phocaeensium narrationi, quam vita Pseudoherodotea cap. 15. 16 exhibet: Homerum diutius Phocaeae habitasse ibique Phocaidem confecisse, quam Thestoridae Phocaeensi donaret hospiti suo; quem scilicet Thestoridam alii ipsum carminis fuisse dicebant auctorem. Simile quid Cyprii narrabant; Homerum enim ipsum pepigisse Cypriorum carmen Stasinoque donavisse autumabant, ut huic filiam in matrimonium collocaret. Quam narrationem, cujus testes infra nominabo, eos veram habere oportebat, qui Homerum Cypriorum auctorem crederent; siquidem explicandum iis erat, qui factum esset, ut a multis Stasinus perhiberetur auctor.

Sed genuinis quoque Homeri carminibus, Iliade et Odyssea illi, qui saeculo quinto sextoque a. Chr. primi Homericas instituerunt quaestiones, vel usi vel abusi videntur esse ad opiniones suas vel confirmandas

vel conformandas. Iliadem enim et Odysseam, quamvis diserte nihil de poëta ipso contineant dictum, ita tamen comparatas esse monui supra, ut in iis repperisse facile sibi videatur aliquis vestigia multa, quae secutus certiora quaedam de poëtae aetate, patria, vita edoceatur. Hac igitur via Alexandrinos progressos esse grammaticos indicavi, quorum cura et doctrina quamvis multo accuratior fuerit contentionibus primorum illorum Homericorum, hos tamen inchoasse quaecumque ab Alexandrinis postea perficerentur, extra dubitationem videtur positum esse. Differunt autem antiquorum illorum Homericorum studia et Alexandrinorum maxime Aristarchi eo, quod hi tota carmina diligenter excutiebant, singula quaeque perscrutabantur, nihil fere negligebant, quod quidem ad rem facere posse videretur; illi vero desultoria opera hic illic carminibus incidentes, prout fors ferebat, occasione ultro oblata alius in aliud casu magis quam severo et continuato studio deducebantur vestigium. Quae vero quisque repperisse sibi visus esset, iis avide arreptis firmiter insistebat reliqua parum curans, si quid in iis inesset, quod sententiae adversaretur primum usurpatae. Quam quum sequerentur rationem vetusti illi Homerici, fieri vix potuit quin alio tempore diversa probaret idem auctor; ut Pindarum in alio carmine Chium, in alio Smyrnaeum appellasse Homerum vidimus Diss. 1 p. 166. Sed eandem rationem etiam posteriori tempore fuisse quorundam doctorum negari non potest. Lege mihi haec Gellii 3, 11: „Attius autem in primo Didascalico levibus admodum argumentis utitur, per quae ostendit Hesiodum natu priorem. Quod Homerus, inquit, quum in principio carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus non addidit. Quam rem procul, inquit, dubio dixisset, nisi ab Hesiodo jam dictum videretur. De Cyclope itidem, inquit, vel maxime quod unoculus fuit, rem tam insignem non praeterisset, nisi aeque prioris Hesiodi carminibus vulgatum esset". Talia si dici potuerunt a L. Attio, homine doctissimo, Graecarum literarum peritissimo, qui iisdem fere quibus Aristarchus viveret temporibus, qualia ab iis dicta esse putabimus, qui primi quasi fundamenta artis jacerent philologicae?

Notandum vero id est, non solum e sermone poëtae at-

que e rebus ab eo commemoratis indicia collecta esse ab antiquis, quorum ope patriam atque aetatem ejus accuratius definire conarentur, sed exstitisse etiam, qui quae ille de moribus, condicione, fatis heroum quorundam narravit, haec a se ipso et a suis amicis inimicisque ad heroës illos eum transtulisse Homerumque dum alios depingere videretur, se suamque depinxisse fortunam conjicerent. Sic quod Phaeacum vatem Demodocum ϑ 63 sqq narrat caecum fuisse, *τὸν πέρι Μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε· | ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν*, id *εἰς ἑαυτὸν αἰνίττεσθαι* Homerum putabant. Cfr. scholia ad locum indicatum. Laothoam, uxorem Priami, filiam fuisse *Ἄλταο γέροντος* Homerus perhibet *Φ* 85. 86 *X* 51. Ad *X* 51, ubi *γέρων ὀνομάκλυτος* Altes dicitur magnamque dotem filiae dedisse narratur, in scholio V Athenocritus traditur contendisse Homerum *πρώην Ἄλτην καλεῖσθαι διὰ τὸ ἐπαινεῖν αὐτόν*. Quae narratio respicitur in Certamine West. lin. 27, ubi mendose scriptum exstat *Αὐλήτης*. Correxit Welcker Cycl. 1 p. 149 not. 183. Mentorem Ithacesium quendam fuisse autumabant, qui Homerum in Ithaca insula aegrotantem hospitio exciperet valetudinemque ejus curaret; commorantem apud Mentorem Ulixis fata comperisse Homerum. Cfr. Pseudoherodot. cap. 7. Menten mercatorem fuisse *ἀπὸ τῶν περὶ Λευκάδα τόπων*, quocum Homerus multa itinera faceret, eadem Pseudoherodotea narrat cap. 6. 7. 8. Phemium vitricum Homeri fuisse eumque literis erudivisse idem scriptor perhibet cap. 4. 5; Tychium opificem, qui *H* 220 *σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος* fuisse praedicatur, Neonteichos quum venisset Homerus, hospitio eum excepisse in Pseudoherodotea legimus cap. 9 et in scholiis ad Iliadis locum nominatum, apud Eustathium *H* 221 p. 678, 13. Tychii igitur, Phemii, Mentae, Mentoris nomina Homerum postea in carmina sua recepisse laudibusque eos celebravisse ob accepta beneficia quam maximis sibi persuaserant. Cfr. Pseudoher. cap. 26. Thersitam contra, quum tutor Homeri esset, hujus bona sua fecisse conjiciebant ideoque Homerum ei *B* 212 sqq maledixisse. Vide scholl. *B* 212 Eustath. *B* 212 p. 204, 13 σ 85 (84) p. 1839, 7. Echetum illum regem, *Ἔχετον βασιλῆα*

βροτῶν δηλήμονα πάντων, commemoratum σ 85. 115 φ 308, exstiterunt qui Homeri temporibus vixisse autumarent injuriamque intulisse Homero, unde factum esset, ut poëta ejus mentionem injiceret ὡσανεὶ παλαιοῦ τινος ἀδίκου. Vide scholia σ 85 Eustath. σ 85 (84) p. 1839, 5. Hac igitur ratione, quum poëta neque in Iliade neque in Odyssea de se ipso quidquam praedicasset, extorquere illi id ausi sunt ut aliquid de se licet tecte, sed praedicaret tamen.

Narrationum de Homero ex Homericis Hesiodeisque carminibus et genuinis et suppositiciis vel petitarum vel confirmatarum quam late patuerit campus hodie jam non dico accurate definire, sed ne suspicari quidem possumus. Neque enim servata sunt omnia illa Homero falso adscripta et Hesiodo carmina integra; sed interierunt longe plurima, ita ut ex multis fragmenta pauca tantum sint servata, aliorum ne unus quidem versus, sed tituli tantummodo, multa denique fuisse videantur, quorum quum ne tituli quidem exstent, memoria penitus deleta sit. Haesitare igitur possit aliquis suo jure, an quaecumque in civitatibus singulis Graecis de Homero apud vulgus narrabantur, e carminibus hausta esse videantur omnia. Quid enim obstat, quominus hac in re vulgus eadem fere qua postea doctos sese gessisse dicamus ratione, ut de Homero quum traditum esset nihil, e carminibus vel depromere vel conformare narrationes studerent quantulascumque? At etiamsi omnia, quae de Homero unquam narrabantur, e carminibus esse petita statuamus, nihilosecius fieri posse autumas, ut aliquid veri inesse narrationum illi farragini suspicemur. Concedo. Etenim Iliadi et Odysseae quidni concedamus inesse fortassis indicia, ex quibus de Homero ipso aliquid concludere liceat? In reliquis autem carminibus illis vulgo ad Homerum relatis, quamvis supposita sint, quidni aliquid vere de Homero dici potuerit? Sed quis fidem faciet singulis? Ubi fundamentum est, cui pedem tuto imponamus circumspecturi, quid vere, quid falso sit dictum? At tale fundamentum mones in ipsis fortasse carminibus illis ad Homerum vulgo relatis esse positum; restare enim, ut eorum originem anquiramus accurate. Ea quum Homerum negem confecisse, quem tandem confecisse credam? Quo tempore, quo loco confecta ea esse? Hoc si investigari

queat, fieri posse, ut de Homero quoque ipso aliquid certi exploremus.

Carmina igitur illa, quae primus Plato ab Homero abjudicasse universa videtur, principes grammaticorum Alexandrinorum omnes ab Homero abjudicasse universa constat, quamvis recte in vita Homeri quinta καὶ τῇ φύσει καὶ τῇ δυνάμει deteriora esse dicantur Iliade et Odyssea, ita tamen comparata fuisse concedendum est omnia, ut magna inter ea similitudo intercederet et genuina illa duo Homeri opera. Qui enim usu venire potuisset, ut ipsius Homeri ea fuisse crederentur, nisi genuinis simillima essent? Firmant sententiam frustula quae aetatem tulerunt, παίγνια quae dicuntur, hymni, Batrachomyomachia, fragmenta reliquorum. Quibus omnibus, quamvis superentur Iliade et Odyssea, Homerici tamen coloris aliquid adspersum esse nemo est quin facile percipiat. Sectatores igitur imitatoresque Homeri ea carmina confecisse in aprico positum est. Sed qui fuerunt sectatores illi? Nomina servata sunt multorum, quibus carmina, quae vulgo Homeri dicebantur, ab aliis tribuerentur: Creophyli Samii, Arctini Milesii, Stasini Cyprii, Aristeae Proconnesii, Leschae Lesbii, Hagiae Troezenii, Cynaethi Chii, Pigretis Halicarnassensis, aliorum; sed his non immorabor; neque enim catalogo eorum nominum opus est hoc loco. Id autem valde memorabile videtur, fuisse multa hujus generis carmina, quae qua in civitate composita essent, constare videretur, a quo composita essent, non constaret; nam cui vulgo adscriberentur, Homerum severiores judices intelligebant auctorem non esse; praeter Homerum vero aut nullum auctoris traditum videbant nomen, aut tradita quidem compluria nomina, e quibus quod eligendum esset, non posset dijudicari; aut traditum unum, sed de quo dubitaretur. Et haec quidem conditio, ut praeter Homerum unum traditum esset nomen, de quo dubitaretur, Batrachomyomachiae erat et Margitis; quae carmina praeter Homerum Pigreti attribuebantur Halicarnassensi, fratri Artemisiae clarissimae illius Halicarnassensium reginae, quae in pugna navali apud Salaminem commissa audacissimam sese praebuisse traditur. Vide Suid. s. v. Πίγρης Eudoc. p. 358 et quae de Ba-

trachomyomachia collecta exhibet Baumeister in libello de Batrachomyomachia scripto (Gotting. 1852) p. 40 sqq. Jam Batrachomyomachiam recte forsitan veteres videri possunt ad Pigretem rettulisse; Margitem contra quod attinet, longe verisimilius est, Pigretem interpolasse tantummodo carmen versibus jambicis inter hexametros interpositis. Namque initio carminis, quod supra apposui, priores duos versus hexametros sequi vidisti jambicum senarium, quem constructione reliquorum non turbata omittere possis; atque expresse testatur Suidas et Eudocia l. c. singulis Iliadis versibus pentametros subjunxisse Pigretem. Auctor igitur primus hexametris solis absolvisse Margitem videtur, quibus Pigres jambicos versus interposuit. Sed auctor primus Margitis quisnam fuit? Margitem suae civitati vindicasse vidimus C o l o p h o n i o s, auctorem perhibuisse Homerum ipsum; atqui hic non fuit. Quis igitur fuit? Venio ad alterum genus eorum carminum, quorum auctores nominantur quidem, singulorum tamen non singuli sed plures. Cujus generis luculentissimum exemplum est C y p r i o r u m carmen. Hoc vulgus dicebat Homerum pepigisse; fuisse dixi qui S t a s i n u m C y p r i u m, fuisse qui alios perhiberent auctores. Sic teste Proclo nonnulli H e g e s i n u m S a l a m i n i u m perhibuerunt auctorem; sed fuerunt quoque ad H e g e s i a m H a l i c a r n a s s e n s e m qui referrent Cypria; quod intelligitur ex loco illo Athenaei 15, 30, in quo emendando explicandoque docti quidam viri desudarunt frustra. Legendus nimirum est hic locus ita: *ἀνθῶν δὲ στεφανωτικῶν μέμνηται ὁ μὲν τὰ Κύπρια ἔπη πεποιηκώς, Ἡγησίας ἢ Στασῖνος. Δημοδάμας γὰρ ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἢ Μιλήσιος ἐν τῷ Περὶ Ἁλικαρνασσοῦ Κύπρια μὲν ἐπιγράφεσθαι, Ἡγησίου Ἁλικαρνασσέως δ' αὐτὰ εἶναί φησι ποιήματα.* Inserui verba *μὲν ἐπιγράφεσθαι, Ἡγησίου*, qua emendatione recepta sanatus esse videtur locus conjecturis Welckeri infamis, Casauboni, Hemsterhusii, Salmasii, aliorum, quos nominat Welcker Ep. cycl. 1 p. 305 not. 494. Restat tertium genus eorum carminum, quorum auctores praeter Homerum nominantur nulli. Huc pertinent omnes fere h y m n i H o m e r i c i, excepto uno hymno I n A p o l l i n e m, quem C y n a e t h u s C h i u s composuisse dicitur schol. Pindar. Nem. 2, 1.

Exempla tantummodo posui trium horum generum. Plura qui cognoscere gestit, Welckeri is adeat librum de Cyclo epico scriptum. Hoc vero loco explicandum ante omnia id videtur, qui factum sit, ut tot tantaque carmina in iisque plurima pulcherrima circumferrentur aut *ἀδέσποτα* aut *πολυδέσποτα*. Neque enim in ullo alio Graecarum literarum genere tale quid unquam usu venit; neque etiam in epicis poëmatis iis, quae post Persica bella sunt composita. Deprehenduntur sane nonnullae tragoediae, comoediae, lyrica carmina, quorum de auctoribus disceptatum sit; attamen si ea contuleris ad numerum eorum, quorum auctores sunt certissimi, paucissima *ἀδέσποτα* et *πολυδέσποτα* videbuntur esse; contra in hac vetere epica poësi quorum auctores certi sunt, ea numero longe superantur iis, in quibus certos desideramus auctores. Cujus rei qui caussam esse diceret ipsam vetustatem horum epicorum carminum, vehementer, opinor, falleretur. Nam lyrica poësis iisdem fere temporibus maxime floruit, quibus epica illa, quae Homerum et Hesiodum insecuta est, octavo, septimo, sexto a. Chr. n. saeculis; lyricorum vero qui illis temporibus vixerunt poëtarum nomina, Archilochi, Simonidis Amorgini, Callini, Tyrtaei, Stesichori, Alcaei, reliquorum, dubitationum ut tanta mole premantur, quanta eorundem temporum epici multum abest. Epicorum illorum aut tetris tenebris obruta sunt capita, aut quasi per caliginem conspiciuntur; lyrici quos dixi ad unum omnes in aprico agunt sole, ita ut vix de uno et altero dubitandum videatur carmine lyrico. Atqui lyrica illa carmina breviora fuerunt multo quam epica, exceptis solis *παιγνίοις* quibusdam quae dicuntur Homericis hymnisque minoribus. Majores hymni et Batrachomyomachia ambitu longe superant lyrica; longissima vero e reliquis carminibus fuerunt plurima, veluti Cypria in undecim libros patuisse traditum est. Haec igitur a quo confecta essent carmina ambigebatur, lyricorum illorum ambitu multo angustiorum auctores erant certi. Id, quaeso, qui factum est?

Superincidit alia cogitatio. Homeri imitatores sectatoresque fuisse scripsi eos, qui carmina Homero falso tributa conficerent. Homeri imitatores sectatoresque plurimos

fuisse poëtas Graecos constat, maxime epicos. Sed res non eadem est. Ut enim scenicos mittam lyricosque poëtas, qui quod in generibus versabantur poëseos plane diversis ab epico facile excusantur, ne epica quidem carmina ea, quae post Persica bella composita sunt, tam prope accesserunt ad Homerum quam vetera illa carmina, in quibus versatur disputatio nostra. Sive enim respicias sermonem narrationisque colorem universum, Apollonii Rhodii Argonautica, Choerili quae supersunt fragmenta, reliqua omnia quae ad id genus epicae pertinent poëseos, quamvis pulchra sint, multo tamen longius abesse ab Iliade et Odyssea senties quam frusta veterum illorum epicorum; sive argumenta spectes, arctissimam plurimis vides carminibus vulgo ad Homerum relatis intercedere cum Homero ipso Iliadeque et Odyssea necessitudinem, reliquorum vero carminum ab Iliade et Odyssea seposita quasi et sejuncta esse argumenta. Horum enim poëtarum alius Argonautas sibi sumpsit celebrandos, alius bellum Persicum, alius Heronem et Leandrum, alius Herculis vitam, alius Bacchi res gestas, alius bellum Thebanum; veteres contra epici illi, quae Homerus ipse Iliade et Odyssea narravisset, eorum supplementa continua exhibuerunt carminibus iis, quae cyclica vocantur. Batrachomyomachiam parodiam esse Iliadis videmus; similem fuisse Margitae rationem e fragmentis veterumque scriptorum disputationibus intelligitur; similia fuisse etiam alia quaedam carmina minora videntur ex iis, quae ad Homerum referebantur; plurima παίγνια quae dicuntur Homerica in fatis Homeri ipsius versantur narrandis; hymnos denique Homericos eum in finem compositos esse dicunt veteres, ut iis praeluderetur rhapsodiis ipsis Iliadis et Odysseae vel canendis vel declamandis.

Non solum Platonis temporibus et quae sunt insecuta, sed etiam saeculis sexto et septimo a. Chr. Iliadem et Odysseam in certaminibus musicis recitata fuisse a rhapsodis in dissertatione priori exposui, cujus conferas p. 91. 128. 147. Quod per se patet, plerumque non totam Iliadem, totam Odysseam uno tenore esse recitatam, sed singulas carminum partes, uno loco indicavi p. 149. Jam disputationem nostram eo esse perductam sentio, ut quod maximi est

momenti commemorari debeat, plurimis et locupletissimis veterum scriptorum testimoniis extra dubitationem hoc esse positum, ab initio Homerum ipsum Iliadem et Odysseam non lectioni destinasse sed soli recitationi; inde ab initio per longum complurium saeculorum spatium recitata ea carmina non fuisse nisi carptim; neque Homerum ipsum literis mandasse carmina sua, nec per longum illud temporis intervallum, quod fuit inter Homerum et medium fere saeculum a. Chr. sextum, literis consignata unquam ea fuisse; primum Pisistratum Atheniensium tyrannum Iliadis et Odysseae partes e dissipatione illa retraxisse operaque adjutum virorum nonnullorum doctorum colligenda omnia disjecta quasi membra poëtae, ordinanda, literis curasse describenda. Quae res ad Homericorum carminum historiam recte dijudicandam tantum valet, ut omnia quae quidem in promptu habeam veterum scriptorum testimonia una proponenda esse arbitrer.

Primus igitur locus esto Josephi C. Apion. 1, 2 *ὀψὲ δὲ καὶ μόλις ἔγνωσαν* (int. *οἱ Ἕλληνες*) *φύσιν γραμμάτων. οἱ γοῦν ἀρχαιοτάτην αὐτῶν τὴν χρῆσιν εἶναι θέλοντες παρὰ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύνονται μαθεῖν. οὐ μὴν οὐδ' ἀπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου δύναιτό τις ἂν δεῖξαι σωζομένην ἀναγραφήν, οὔτ' ἐν ἱεροῖς οὔτ' ἐν δημοσίοις ἀναθήμασιν, ὅπου γε καὶ περὶ τῶν ἐπὶ Τροίαν τοσούτοις ἔτεσι στρατευσάντων ὕστερον πολλὴ γέγονεν ἀπορία τε καὶ ζήτησις, εἰ γράμμασιν ἐχρῶντο· καὶ τἀληθὲς ἐπικρατεῖ μᾶλλον περὶ τοῦ τὴν νῦν οὖσαν τῶν γραμμάτων χρῆσιν ἐκείνους ἀγνοεῖν. ὅλως δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. οὗτος δὲ καὶ τῶν Τρωικῶν ὕστερον φαίνεται γενόμενος· καί φασιν οὐδὲ τοῦτον ἐν γράμμασι τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφωνίας.* Annotat ad hunc locum F. A. Wolfius Proll. p. 77 not. 38 „Tironum gratia cum Meriano notandum est, illud *φασίν* de rebus vel certissimis usurpari in *fama minime obscura*, non de iis, quae a nonnullis sive paucis tra-

duntur. De his Graece est φασὶν ἔνιοι, φασί τινες". Pergo ad Aelianum, qui Var. hist. 13, 13 caput exhibet inscriptum Περὶ Ὁμήρου ἐπῶν καὶ ποιήσεως. Ejus verba sunt haec: Ὅτι τὰ Ὁμήρου ἔπη πρότερον διῃρημένα ᾖδον οἱ παλαιοί. οἷον ἔλεγον τὴν Ἐπὶ ναυσὶ μάχην, καὶ Δολωνίαν τινά, καὶ Ἀριστείαν Ἀγαμέμνονος, καὶ Νεῶν κατάλογον, καὶ Πατρόκλειαν, καὶ Λύτρα, καὶ Ἐπὶ Πατρόκλῳ ἆθλα, καὶ Ὁρκίων ἀφάνισιν. ταῦτα ὑπὲρ τῆς Ἰλιάδος. ὑπὲρ δὲ τῆς ἑτέρας· Τὰ ἐν Πύλῳ, καὶ Τὰ ἐν Λακεδαίμονι, καὶ Καλυψοῦς ἄντρον, καὶ Τὰ περὶ τὴν σχεδίαν, Ἀλκίνου ἀπολόγους, Κυκλωπίαν, καὶ Νεκυίαν, καὶ Τὰ τῆς Κίρκης, Νίπτρα, Μνηστήρων φόνον, Τὰ ἐν ἀγρῷ, Τὰ ἐν Λαέρτου. ὀψὲ δὲ Λυκοῦργος ὁ Λακεδαιμόνιος ἀθρόαν πρῶτος εἰς τὴν Ἑλλάδα ἐκόμισε τὴν Ὁμήρου ποίησιν. τὸ δὲ ἀγώγιμον τοῦτο ἐξ Ἰωνίας, ἡνίκα ἀπεδήμησεν, ἤγαγεν. ὕστερον δὲ Πεισίστρατος συναγαγὼν ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν. Libanius in Socrat. apologia ed. Reisk. tom. 3 p. 25 postquam Socrati licuisse affirmavit et alios poëtas vetustos vituperare et Homerum (neque enim compertum habuisse illum, Atheniensium tyrannum esse Homerum Theognidemve) καὶ Πεισίστρατος μέν, pergit, ὁ μάλιστα σπουδάσας περὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν οὐδένα τῶν πώποτε ἀπέκτεινε λαβὼν ἔπους ἐπιλαμβανόμενον· εἰκὸς δὲ πολλὰ τοιαῦτα γεγονέναι τῶν Ὁμήρου συλλεγομένων. Idem Εἰς Ἰουλιανὸν αὐτοκράτορα ὕπατον ed. Reisk. tom. 1 p. 385 εἰ δὲ Πεισίστρατον ἐπαινοῦμεν ὑπὲρ τῆς τῶν ἑτέρῳ πεποιημένων συλλογῆς, ποῦ θήσομεν τὸν Ὁμήρου μιμητήν; Cicero De oratore 3 cap. 34 § 137 „Sed ut ad Graecos referam orationem, quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus: nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda: septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior fuisse traditur quam Pisistrati? Qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque praestaret". Eustath. *K* init. ante vs. 1 p. 785, 42 φασὶ δὲ οἱ παλαιοὶ τὴν ῥαψῳδίαν

ταύτην ὑφ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι καὶ μὴ ἐγκαταλεγῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν. Schol. V *K* init. ante vs. 1 *Φασὶ τὴν ῥαψῳδίαν ὑφ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι, καὶ μὴ εἶναι μέρος τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν.* Vita Homeri quarta *περιιὼν δὲ τὰς πόλεις ᾖδε τὰ ποιήματα. ὕστερον δὲ Πεισίστρατος αὐτὰ συνήγαγεν, ὡς τὸ ἐπίγραμμα τοῦτο δηλοῖ· „Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε | δῆμος Ἐρεχθῆος καὶ τρὶς ἐπηγάγετο, | τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὅμηρον | ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον. | ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, | εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπῳκίσαμεν“.* Vita Homeri quinta *οὐδὲν δ' αὐτοῦ θετέον ἔξω τῆς Ἰλιάδος καὶ τῆς Ὀδυσσείας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὕμνους καὶ τὰ λοιπὰ τῶν εἰς αὐτὸν φερομένων ποιημάτων ἡγητέον ἀλλότρια καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα. τινὲς δ' αὐτοῦ φασιν εἶναι καὶ τὰ φερόμενα δύο γράμματα, τήν τε Βατραχομυομαχίαν καὶ τὸν Μαργίτην. τὰ δὲ ποιήματα αὐτοῦ τὰ ἀληθῆ σποράδην πρότερον ᾀδόμενα Πεισίστρατος Ἀθηναῖος συνέταξεν, ὡς δηλοῖ τὸ φερόμενον ἐπίγραμμα Ἀθήνησιν ἐπιγεγραμμένον ἐν εἰκόνι αὐτοῦ τοῦ Πεισιστράτου. ἔχει δ' ὧδε· „Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε | δῆμος Ἐρεχθῆος καὶ τρὶς ἐπηγάγετο, | τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὅμηρον | ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον· | ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, | εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπῳκίσαμεν“.* Vita Homeri septima (Suidiana) *ποιήματα δ' αὐτοῦ ἀναμφίλεκτα Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια. ἔγραψε δὲ τὴν Ἰλιάδα οὐχ ἅμα οὐδὲ κατὰ τὸ συνεχές, καθάπερ σύγκειται, ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἑκάστην ῥαψῳδίαν γράψας καὶ ἐπιδειξάμενος ἐν τῷ περινοστεῖν τὰς πόλεις τροφῆς ἕνεκεν ἀπέλιπεν. ὕστερον δὲ συνετέθη καὶ συνετάχθη ὑπὸ πολλῶν καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου.* Carmina sua *γράψαι* Homerum Suidas aut *καταχρηστικῶς* dixit aut perperam acceptis iis, ex quibus hausit. Sic quod et multos alios et maxime Pisistratum narrat carmina illa composuisse Car. Lachmann Betracht. ueber Homers Ilias p. 32 perhibere Suidam recte contendit male intellectis quae de viris compluribus doctis Pisistratum in Iliade et Odyssea adornanda juvantibus le-

gerit. Complurium sociorum opera in colligendis Homeri poëmatis usum fuisse Pisistratum indicat Pausanias 7, 26, 6. *Αἰγείρας δὲ*, hic ait, *ἐν τῷ μεταξὺ καὶ Πελλήνης πόλισμα ὑπήκοον Σικυωνίων Δονοῦσα καλουμένη ἐγένετο μὲν ὑπὸ τῶν Σικυωνίων ἀνάστατος· μνημονεύειν δὲ καὶ Ὅμηρον ἐν καταλόγῳ τῶν σὺν Ἀγαμέμνονί φασιν αὐτῆς ποιήσαντα ἔπος· „οἵ θ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Δονόεσσαν". Πεισίστρατον δέ, ἡνίκα ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ἄλλα ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο, ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον, ἢ τῶν τινα ἑταίρων μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα ὑπὸ ἀγνοίας.* Exstat nimirum *B* 573 scriptum *οἵ θ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Γονόεσσαν | Πελλήνην τ' εἶχον.* Nominantur Pisistrati *ἑταῖροι* quattuor in scholio Plautino quod edidit Ritschelius libello De bibliothecis Alexandrinis, ubi „Ex Caecio in commento comoediarum Aristophanis poetae in pluto quam possumus opulentiam nuncupare" prolata p. 4 leguntur haec: „Ceterum pisistratus sparsam prius homeri poesim ante ptolemaeum philadelphum annis ducentis et eo etiam amplius sollerti cura in ea quae nunc extant redegit volumina usus ad hoc opus divinum industria quattuor celeberrimorum et eruditissimorum hominum videlicet Concyli Onomacriti atheniēn. Zopyri heracleotae et Orphei crotoniatae. nam carptim prius homerus et non nisi difficillime legebatur. Qum etiam post pisistrati curam et ptolemaei diligentiam aristarchus adhuc exactius in homeri elimandam collectionem vigilavit. Heliodorus multa aliter nugatur quae longo convitio cecius reprehendit. Nam ol' LXXII. duobus doctis viris a pisistrato huic negotio praepositis dicit homerum ita fuisse compositum. qui quidem zenodoti et aristarchi industria omnibus praelatam comprobarint, quod constat fuisse falsissimum. quippe cum inter pisistratum et Zenodotum fuerint anni supra ducentos. Aristarchus autem quattuor annis minor fuerit ipso et Zenodoto atque ptolemaeo". Conferenda imprimis quae Ritschl exposuit in ipso libro quo hoc scholium edidit et in Corollario ejusdem libri memorato a me Diss. 1 p. 21. Ceteros qui operam in emendando et explicando hoc scholio posuerunt nominatos paene omnes reperies apud Ritschelium. Religioni autem duco commemorare quae Lachmanno in ea scholii parte quam trans-

scripsi corrigenda videbantur; dixit enim olim mihi ille sese legendum censere „Quin etiam“ pro „Qum etiam“, „Nam olim LXXII. doctis viris“ pro „Nam ol' LXXII. duobus doctis viris“, „industriam omnibus praelatam“ pro „industria omnibus praelatam“, „quattuor regnis“ pro „quattuor annis“, „ipse“ pro „ipso“. Unum e quattuor illis Pisistrati ministris, qui in scholio Plautino enumerantur, Orpheum Crotoniatam Pisistrati socium vocatum fuisse ab Asclepiade Myrleano in opere De grammaticis, quod commemoravi Diss. 1 p. 61, Suidas docet in capite eo, quo Orpheum illum tractavit: *Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης, ἐποποιός, ὃν Πεισιστράτῳ συνεῖναι τῷ τυράννῳ Ἀσκληπιάδης φησὶν ἐν τῷ ϛ' βιβλίῳ τῶν Γραμματικῶν. Δεκαετηρίδα, Ἀργοναυτικά, καὶ ἄλλα τινά.* Alterum e quattuor Plautini scholii viris doctis, Onomacritum Atheniensem, interpolasse versum λ 604 *παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου* scholium ad eundem versum scriptum narrat: *παῖδα Διὸς μεγάλοιο: τοῦτον ὑπὸ Ὀνομακρίτου ἐμπεποιῆσθαί φασιν. ἠθέτηται δέ.* Legitur idem versus Hesiod. Theogon. 952. Caecium qui dicitur in scholio Plautino Tzetzam esse primus G. Dindorfius vidit, cujus egregia conjectura postea firmata est repertis quibusdam anecdotis Graece scriptis, quae ad Joannis Tzetzae Prolegomena Scholiorum in Aristophanem pertinent vel potius ex illis concinnata sunt. Repperit atque edidit cum commentario Henricus Keil Mus. Rhenan. philol. vol. 6 ann. 1848 p. 108—134 et 243—257. Ibi p. 116 scripta exstant haec: *ὡς ἄρτι ποτὲ τὴν ἔφηβον ἡλικὸν* („Ita videtur esse in codice, e quo excripsi sic ἡλιξ'.“ Keil.) *πασῶν καὶ τὸν αἰθέριον ἐξηγούμενος Ὅμηρον, πεισθεὶς Ἡλιοδώρῳ τῷ βδελυρῷ, εἶπον συνθεῖναι τὸν Ὅμηρον ἐπὶ Πεισιστράτου ἑβδομήκοντα δύο σοφούς, ὧν ἑβδομήκοντα δύο εἶναι καὶ τὸν Ζηνόδοτον καὶ Ἀρίσταρχον· καίτοι τεσσάρων ἀνδρῶν ἐπὶ Πεισιστράτου συνθέντων τὸν Ὅμηρον, οἵτινές εἰσιν οὗτοι· ἐπικόγκυλος, Ὀνομάκριτος Ἀθηναῖος, Ζώπυρος Ἡρακλεώτης καὶ Ὀρφεὺς Κροτωνιάτης· Ζηνοδότου δὲ χρόνοις ὑστέροις ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου αὐτὸν ἀνορθώσαντος, ἔπειτα δὲ πάλιν τοῦ Ἀριστάρχου. ταῦτα μέν μοι Ἡλιοδώρῳ συμπέπτωκεν, κτέ.* Ibidem p. 118 leguntur haec: *τὰς Ὁμηρείους δὲ* (intell. *βίβλους*) *κατεξαίρετον πρὸ διακοσίων καὶ πλειόνων ἐνι-*

αυτῶν Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου καὶ τῆς διορθώσεως Ζηνοδότου συντέθεικεν σπουδῇ Πεισίστρατος („πεισιστρα cod." Keil.) παρὰ τῶν τεσσάρων τούτων σοφῶν. ἐπὶ Κογκύλου, Ὀνομακρίτου τε Ἀθηναίου, Ζωπύρου τε Ἡρακλεώτου καὶ Κροτωνιάτου Ὀρφέως. οὕτω μὲν ἐν χρόνοις τοῦ Πεισιστράτου τοῖς τέσσαρσι τούτοις σοφοῖς αἱ Ὁμηρικαὶ συγγραφαὶ τεμαχίοις περιφερόμεναι συνετέθησαν καὶ βίβλοι ἐγένοντο· χρόνοις δ', ὡς ἔφην, τοῦ Φιλαδέλφου παρὰ τοῦ Ζηνοδότου ὠρθώθησαν· μετὰ δὲ Ζηνόδοτον Ἀριστάρχῳ πάλιν ὠρθώθησαν τετάρτῳ ἢ ε ἀπὸ Ζηνοδότου τελοῦντι. καὶ ὁ πεφυρμένος καὶ βδελυρὸς Ἡλιόδωρος, οὐκ εἰδὼς ὅτι ληρεῖ, φύρῃ καὶ πάντα σύμμικτον κυκεῶνα, μᾶλλον δὲ κοπρεῶνα ποιῇ, ἐπὶ Πεισιστράτου τὸν Ὅμηρον συντεθῆναι καὶ ὀρθωθῆναι ληρῶν παρὰ τῶν οβ, ἐπεκριθῆναι δὲ πάντων τὴν Ζηνοδότου καὶ Ἀριστάρχου σύνθεσίν τε καὶ διόρθωσιν, καὶ ἡμᾶς ἔτι νεάζοντας καὶ πρώτους ὑπηνήτας τελοῦντας ἔπεισεν οὕτως ἔτι ποῦ („ἐτῆ cod." Keil.) ἐξηγουμένους τὸν Ὅμηρον, ὡς καὶ ἕτεροί τινες κομψοὶ καὶ αἰθεροβάμονες, οἷς ἂν καὶ μέχρι μιᾶς λέξεως ἀβασανίστως („ἀβανίστως descripsi e codice". K.) ἐπείσθην, καὶ μὴ ἐκ τοῦ κειμένου τῆς παλαιᾶς βίβλου („βιβλίου cod." K.) τὸ ἀληθὲς ἀπηκρίβωσα, κατ' ἐκείνους παραληρῶν ἐφαινόμην, ἀλλ' ἅπαξ καὶ δὶς ταὐτὸ („τοῦτο cod." K.) παθὼν τῷ νεάζοντι τῷ πάθει μάθος ἐθέμην, κτέ. In his, quem scholium Plautinum dicit „Concylum", ejus nomen scriptum habes ἐπικόγκυλος et ἐπὶ Κογκύλου, qua de re Keil p. 257 monet, Epiconcyli nomen jam in illo libro, quo usus sit Tzetza, corruptum neque ab hoc ipso intellectum fuisse. Ceterum e Keilianis anecdotis hoc discimus, quod in scholio Plautino non est expressum, Tzetzam ipsum olim in ea fuisse sententia, quam Heliodoro exprobrat, ab hoc, ut ait, deceptum. Congruunt quae exhibet ejusdem Joannis Tzetzae Exegesis in Iliadem. In ea primum ed. Herm. p. 8 (Bachm. ad calcem Scholl. Lipsienss. Iliad. p. 749) epigramma illud in Pisistratum scriptum Τρίς με τυραννήσαντα κτέ. exstat; dein p. 37 Herm. p. 767 Bachm. reperiuntur haec: τοσαύτῃ δὲ ὁ ἀνὴρ (scil. Homerus) συνέζη πενίᾳ, ὡς, τὸ δὴ λεγόμενον, μηδὲ κύνα δύνασθαι τρέφειν· τοῦτο δὲ δῆλον ἐξ ὧν τε τὰ τούτου ποιήματα σποράδην πρώην ἐλέγετο, ἐν σα-

προῖς τισι χάρταις φερόμενα, ἃ καὶ συνήθροισεν ὕστερον ὁ Ἀθηναῖος Πεισίστρατος, ἔκ τε τοῦ ὑπὸ τῶν ἁλιέων ἐν τῷ αἰνίγματι ἀπατηθῆναι αὐτόν, κτἑ. Sequitur p. 45 Herm. p. 772 Bachm. locus primarius: *ῥαψῳδία δὲ οὐχ ὡς μέρος ποιήματος, καθά τινες φάσκουσιν, οὔτε ἀπὸ τοῦ δαφνίνῃ ῥάβδῳ ᾄδεσθαι τὰ Ὁμήρου ποιήματα, ἀλλὰ τοιῶσδέ πως τὸ τῆς ῥαψῳδίας ὄνομα τὴν κλῆσιν ἀπείληφε· τὰ τοῦ Ὁμήρου ποιήματα σποράδην πρώην ἐλέγετο, κατά τινας μέν, διὰ τὸ συγκεχύσθαι χρόνῳ τὰς βίβλους αὐτοῦ, κατ᾽ ἐμὲ δὲ διὰ τὸ μηδὲ ὅλως εἶναι πρώην αὐτὰ συγγεγραμμένα βιβλίοις, ἀλλὰ διὰ πενίαν τοῦ ποιητοῦ ἐν χάρταις ἁπλῶς φέρεσθαι. Πεισίστρατος δὲ ὁ φιλολογώτατος, ἐν χρόνοις τοῦ Σόλωνος τυραννήσας ἐν ταῖς Ἀθήναις, κήρυγμα ἐξεκήρυξε τὸν ἔχοντα ἔπη Ὁμήρου ἀποκομίζειν αὐτὰ πρὸς αὐτόν, καὶ ἑκάστου ἔπους χρυσοῦν ἀντιφορτίζεσθαι νόμισμα· οὕτω δὲ συναγείρας αὐτά, ἑβδομήκοντα καὶ δύο γραμματικοῖς ἑνὶ ἑκάστῳ ἐπέδωκε κατ᾽ ἰδίαν τεθεωρηκέναι καὶ συνθεῖναι αὐτά· ἐκεῖνος δὲ τὴν ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν σύνθεσιν ἀπεγράφετο. ὕστερον δὲ ὁμοῦ πάντας συναγαγὼν περακλήσεσι* („Cod. ex correctione *περικλήσεσι*". Herm. *παρακλήσεσι* Bachm.), *μεγάλαις τε δωρεαῖς ἐκείνους δεξιωσάμενος, ὑπέδειξε τὴν ἀπογραφὴν τῆς ἑνὸς ἑκάστου συνθήκης, καὶ ἠξίωσεν αὐτοὺς φιλαλήθως καὶ ἀφιλέχθρως εἰπεῖν, ὅτου ἄρα εἴη κρείττων ἡ σύνθεσις. καὶ πάντες τὴν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου ὑπερεξέκριναν· ἐκ δυεῖν δὲ πάλιν τὴν Ἀριστάρχειον, καθ᾽ ἣν νῦν τὸ παρὸν τοῦ Ὁμήρου βιβλίον συντέθειται. ὡς γοῦν ἐκ διαφόρων οὕτω συμφορηθέντες εἰς ἓν τεῦχος ἐρράφησαν, ῥαψῳδίαι καλοῦνται· ῥαψῳδίαι γὰρ κυρίως τὰ νῦν Ὁμηρόκεντρα λέγονται, ὡς ἐκλεγέντα ἢ ἀπὸ διαφόρων βιβλίων, εἴτε ἀπὸ διαφόρων τόπων βιβλίου ἑνός, καὶ ἰδίαν ἀπαρτίσαντα ἔννοιαν. ῥαψῳδίαι δὲ μεταφορικῶς ἐκλήθησαν, ἀπὸ τῶν ῥαπτῶν, οἵτινες διάφορα λαβόντες κομμάτια τινῶν ὑφασμάτων ἓν ἱμάτιον ἀπετέλεσαν. οὗτοι δὲ οἱ ῥηθέντες σοφοὶ καὶ εἰς κδ γράμματα μετὰ τὴν σύνθεσιν διεῖλον τὴν ποίησιν· ὁ ποιητὴς γὰρ οὐκ ᾔδει τὰ κδ γράμματα. ἐπὶ γὰρ τούτου μόνα ἑκκαίδεκα ἦν, κτἑ.* In scholiis, quae Tzetzes ipse ad suam in Iliadem Exegesin scripsit, duo sunt loci, quibus collectio Homericorum carminum a Pisistrato facta commemoratur. Quorum locorum prior

est p. 825 Bachm. p. 125 Herm. ad Exeg. p. 3, 10 Herm. *Ὡς ὁ Ἀρίσταρχος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ: ἑβδομήκοντα καὶ δύο γραμματικοὶ σὺν Ἀριστάρχῳ ὑπὸ Πεισιστράτου ἀξιωθέντες τὰ Ὁμήρου ποιήματα σποράδην φερόμενα συντεθείκεσαν καὶ τὰς αὐτοῦ λέξεις ..... ρίας ἐπεξηγήσαντο.* Bachmann ita supplevit: *λέξεις [καὶ ἀπο]ρίας ἐπεξηγήσαντο.* Hoc scholiorum loco priori prout in Exegesi ipsa falsam Heliodori sententiam placuisse Tzetzae vides. Sed, quod viri docti nondum videntur animadvertisse, falsam eam esse intellexerat ante quam scripsit scholium alterum, quod laceratum quidem exstat p. 844 Bachm. p. 154 Herm. ad Exeg. Herm. p. 45, 13: .... *εισιστράτου οβ σοφῶν ..... ὕστερος ἦν πολὺ Πεισιστράτου καὶ .... κότων Ὁμήρου τὴν βίβλον, ἄλφα δὲ .... μήρου καὶ βῆτα, πρὸς ἀντιδι .... ἐς φερομένων τινῶν συγγραμμάτων.* Bachm. ita supplevit: *[περὶ τῶν Π]εισιστράτου οβ σοφῶν .... ὕστερος ἦν πολὺ Πεισιστράτου, καὶ .... κότων Ὁμήρου τὴν βίβλον, ἄλφα δὲ .... μήρου καὶ βῆτα, πρὸς ἀντιδι[αστολὴν] φερομένων τινῶν συγγραμμάτων.* Sed priorem scholii partem ita supplendam esse liquet: *Ἠπάτημαι ἐν οἷς εἶπον περὶ τῶν Π]εισιστράτου οβ σοφῶν. [ὁ γὰρ Ἀρίσταρχος] ὕστερος ἦν πολὺ Πεισιστράτου καὶ [τῶν συντεθει]κότων Ὁμήρου τὴν βίβλον, κτἑ.* Transeo ad scriptionem Anonymi *Περὶ κωμῳδίας*, quam primus edidit Cramer in Ann. Parr. vol. 1. Hic scriptor anonymus, prout scholium Plautinum et Tzetzae Prolegomena in Scholl. Aristoph. loco posteriori (p. 118) in enarranda bibliothecae Alexandrinae fundatione occupatus, p. 6 sic refert: *τὰς δὲ σκηνικὰς* (int. *βίβλους*) *Ἀλέξανδρός τε, ὡς ἔφθην εἰπών, καὶ Λυκόφρων διωρθώσαντο· τὰς δὲ ποιητικὰς Ζηνόδοτος πρῶτον, καὶ ὕστερον Ἀρίσταρχος διωρθώσαντο. καίτοι τὰς Ὁμηρικὰς ἑβδομήκοντα δύο γραμματικοὶ ἐπὶ Πεισιστράτου τοῦ Ἀθηναίων τυράννου διέθηκαν οὕτωσί, σποράδην οὔσας τὸ πρίν. ἐπεκρίθησαν δὲ κατ᾽ αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν καιρὸν ὑπ᾽ Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου, ἄλλων ὄντων τούτων τῶν ἐπὶ Πτολεμαίου διορθωσάντων. οἱ δὲ τέσσαρσί τισι τῶν ἐπὶ Πεισιστράτου διόρθωσιν ἀναφέρουσιν, Ὀρφεῖ Κροτωνιάτῃ, Ζωπύρῳ Ἡρακλεώτῃ, Ὀνομακρίτῳ Ἀθηναίῳ, καὶ καγ ἐπὶ κογκυλῳ. ὕστερον δὲ ταυτὰς ἅπασας σκηνικάς τε καὶ ποιητικὰς πλεῖστον ἐξηγήσαντο Δίδυμος, Τρύφων,*

Ἀπολλώνιος, Ἡρωδιανός, Πτολεμαῖος Ἀσκαλωνίτης, καὶ οἱ φιλόσοφοι, Πορφύριος, Πλούταρχος καὶ Πρόκλος, ὡς καὶ πρὸ αὐτῶν πάντων Ἀριστοτέλης. Juxta verba *Ὀνομακρίτῳ Ἀθηναίῳ καὶ καγ ἐπὶ κογκυλω* eadem manu exarati in margine conspiciuntur ductus quidam, ex quibus C. Bened. Hase, cujus literae ad Cramerum datae leguntur l. c. p. 16, in margine olim scriptum fuisse expiscatus est *Ἀθηνοδώρῳ ἐπίκλην Κορδυλίωνι.* Hunc Athenodorum, grammaticum Pergamenum, qui vixit medio saeculo ante Chr. primo, Hase l. c. a librario, qui anonymi libellum *Περὶ κωμῳδίας* transscripserit, pro Pisistrati socio habitum esse statuit; Cramer autem annotavit, revera potuisse Athenodorum Cordylionem a nostro grammatico citari, non ut Homeri redactorem, sed ut auctorem unde sua de Pisistratea recensione traxisset. Nomen quarti illius e sociis Pisistrati Hase latere conjicit sub syllabis *και ἐπὶ*; loquitur autem ita, quasi non legerit cum Cramero *καὶ καγ ἐπὶ κογκυλω*, sed *και ἐπὶ κογκυλω*; pro *κογκυλω* fortasse legendum esse ait *κυκλικῷ*; fuisse videri aliquem cyclicum poëtam in sociis Pisistrati; cogitandum forsitan de Carcino poëta, ita ut pro *και ἐπὶ* rescribendum sit *Καρκίνῳ.* Cramer contra in solo *καγ* nomen proprium socii Pisistratei latere persuasum sese habere dicit; nullum se dubitare, quin ultima *ἐπὶ κογκυλω* ad *ἐπικὸν κύκλον* aut *ἐπικῷ κύκλῳ* revocanda sint. Hanc conjecturam si probes, fieri vix poterit, quin Pisistratum non solum Iliadis et Odysseae partes, sed etiam carmina cyclica Homero vulgo adscripta collegisse conjicias. Cui conjecturae quamvis incertae favere quodammodo videbuntur narrationes Athenaei 1 p. 3 Gellii 6, 17 Tertulliani Apologet. 18, qui Pisistratum Athenis bibliothecam condidisse perhibent, et Hereae Megarensis apud Plutarch. Thes. 20, qui ita loquitur, ut e verbis ejus facile elicias, etiam Hesiodi carmina Pisistratum colligenda atque in ordinem redigenda curasse. Verba Plutarchi sunt haec: *πολλοὶ δὲ λόγοι καὶ περὶ τούτων ἔτι λέγονται καὶ περὶ τῆς Ἀριάδνης, οὐδὲν ὁμολογούμενον ἔχοντες. οἱ μὲν γὰρ ἀπάγξασθαί φασιν αὐτὴν ἀπολειφθεῖσαν ὑπὸ τοῦ Θησέως, οἱ δὲ εἰς Νάξον ὑπὸ ναυτῶν κομισθεῖσαν Ὠνάρῳ τῷ ἱερεῖ τοῦ Διονύσου συνοικεῖν, ἀπολειφθῆναι δὲ τοῦ Θησέως ἐρῶντος ἑτέρας· „δεινὸς*

γάρ μιν ἔτειρεν ἔρως Πανοπηίδος Αἴγλης“. τοῦτο γὰρ τὸ ἔπος ἐκ τῶν Ἡσιόδου Πεισίστρατον ἐξελεῖν φησιν Ἡρέας ὁ Μεγαρεύς. ὥσπερ αὖ πάλιν ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου νεκυίαν (λ 631) *τὸ „Θησέα, Πειρίθοόν τε, θεῶν ἀριδείκετα τέκνα“, χαριζόμενον Ἀθηναίοις.* Venio nunc ad scholia in grammaticam Dionysii Thracis nomine inscriptam, quorum auctores, ut Tzetzes in Exegesi in Iliad. p. 45 Herm. disserentes explicationem vocis *ῥαψῳδία*, ad Pisistrateam Homericorum carminum collectionem enarrandam deducti fuerunt. Proponam autem primum scholium, quod et in Bekkeri Anecdotis 2 p. 766 sqq legitur et in Villoisoni Anecdotis 2 p. 182 sqq; quorum virorum doctorum inter scripturas quum nonnullae reperiantur discrepantiae, quae non videantur ita esse comparatae, ut de singulis expresse moneri debeat, ego sequendum duxi Bekkerum. *Βούλεται λοιπὸν ἐτυμολογῆσαι τίνος ἕνεκεν εἴρηται ῥαψῳδία, καί φησιν ὅτι οἱονεὶ ῥαβδῳδία τις οὖσα, τουτέστιν ἡ ἐπὶ ῥάβδῳ ᾠδή. οἱ γὰρ μεθ' Ὅμηρον τὰ αὐτοῦ ποιήματα περιερχόμενοι ᾖδον, ῥάβδον δαφνίνην κατέχοντες, σύμβολον Ἀπολλωνιακόν. ἢ οὖν ἀπὸ τῆς ῥάβδου καὶ τῆς ᾠδῆς ἐτυμολογεῖται ἡ ῥαψῳδία, ἢ ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, ὅ πέρ ἐστι τὰ διεστῶτα καὶ διακεχωρισμένα εἰς ἓν συνάπτοντα ὑγιάζειν. ἔστι γάρ τι ῥῆμα ῥῶ, καὶ σημαίνει τὸ ὑγιάζω, ἔνθεν φαμὲν καὶ τὸ ἔρρωσο ἀντὶ τοῦ ὑγίαινε, καὶ ῥῶσιν τὴν ὑγίειαν. ἀπὸ τοῦ ῥῶ οὖν τούτου γίνεται παράγωγον ῥῆμα τὸ ῥάπτω, ὅθεν καὶ ἕως νῦν ῥάπτας φαμὲν τοὺς τὰ διεστῶτα καὶ διερρηγμένα ἱμάτια εἰς ἓν συνάγοντας καὶ ὑγιές τι ἓν ἀποτελοῦντας. ἀπὸ τοῦ ῥάπτω οὖν τούτου ὁ μέλλων γίνεται ῥάψω, ἀφ' οὗ παράγωγον ῥαψῳδία. οἱ γὰρ μεθ' Ὅμηρον, ὡς προείρηται, περιερχόμενοι καὶ ᾄδοντες τὰ αὐτοῦ, οὐκ ἐφεξῆς, ὡς νῦν κεῖνται οἱ στίχοι, οὕτως ἔλεγον ἀκολούθως ἐπιδεικνύμενοι, ἀλλ' ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν, λόγου χάριν ἀπὸ τοῦδε τοῦ σελιδίου ἕνα στίχον καὶ ἀφ' ἑτέρου σελιδίου ἕνα καὶ ἀπ' ἄλλου ἄλλον λαβόντες, καὶ οὕτω συνάγοντες τοὺς διεστῶτας στίχους εἰς ἕν, τοὺς ἁρμόζοντας τῷ πράγματι, λόγου χάριν εἰς γάμους, εἰς ἄρχοντας, εἰς γενεθλίους ἢ ἄλλο τι προκείμενον οὕτως ἐπεδείκνυντο. διὰ τοῦτ' οὖν καὶ αὐτὸς ὁ Διονύσιος εἶπε τὰς δύο ἐτυμολογίας, ἢ ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, τουτέστι τὰ διεστῶτα*

συνάγειν, ἢ ἀπὸ τοῦ ῥάβδον κρατοῦντας ἐπιδείκνυσθαι. — Ἀναγκαῖον δὲ μετὰ τὴν ἐτυμολογίαν τῆς ῥαψῳδίας μνησθῆναι κἀκείνου, ὅτι ἔν τινι χρόνῳ τὰ Ὁμήρου ποιήματα παρεφθάρησαν ἢ ὑπὸ πυρὸς ἢ ὑπὸ σεισμοῦ ἢ ὑπὸ ὑδάτων ἐπιφορᾶς, καὶ ἄλλων ἄλλως τῶν βιβλίων διασκεδασθέντων καὶ φθαρέντων ὕστερον εὑρέθη ὁ μὲν ἔχων τυχὸν ἑκατὸν στίχους Ὁμηρικούς, ὁ δὲ χιλίους, ἄλλος διακοσίους, ἄλλος ὅσους ἂν ἔτυχε. καὶ ἔμελλε λήθῃ παραδίδοσθαι ἡ τοιαύτη ποίησις. ἀλλὰ Πεισίστρατός τις Ἀθηναίων στρατηγός, θέλων καὶ ἑαυτῷ δόξαν περιποιήσασθαι καὶ τὰ τοῦ Ὁμήρου ἀνανεῶσαι, τοιοῦτόν τι ἐβουλεύσατο. ἐκήρυξεν ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι τὸν ἔχοντα Ὁμηρικοὺς στίχους ἀγαγεῖν πρὸς αὐτόν, ἐπὶ μισθῷ ὡρισμένῳ καθ᾽ ἕκαστον στίχον. πάντες οὖν οἱ ἔχοντες ἀπέφερον, καὶ ἐλάμβανον ἀδιαστρόφως τὸν ὁρισθέντα μισθόν. οὐκ ἀπεδίωκε δὲ οὐδὲ τὸν φέροντα οὓς ἤδη προειλήφει παρ᾽ ἑτέρου στίχους, ἀλλὰ κἀκείνῳ τὸν αὐτὸν ἐδίδου μισθόν· ἐνίοτε γὰρ ἐν αὐτοῖς ἕνα ἢ δύο στίχους εὕρισκε περιττούς, ἐνίοτε δὲ καὶ πλείους. ὅθεν τις ἔσθ᾽ ὅτε καὶ ἰδίους παρεισέφερε, τοὺς νῦν ὀβελιζομένους. καὶ μετὰ τὸ πάντας συναγαγεῖν, παρεκάλεσεν ἑβδομήκοντα δύο γραμματικούς, συνθεῖναι τὰ τοῦ Ὁμήρου ἕκαστον κατ᾽ ἰδίαν, ὅπως ἂν δόξῃ τῷ συντεθέντι καλῶς ἔχειν, ἐπὶ μισθῷ πρέποντι λογικοῖς ἀνδράσι καὶ κριταῖς ποιημάτων, ἑκάστῳ δεδωκὼς ἅπαντας τοὺς στίχους κατ᾽ ἰδίαν, ὅσους ἦν συναγαγών. καὶ μετὰ τὸ ἕκαστον συνθεῖναι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, εἰς ἓν συνήγαγε πάντας τοὺς προλεχθέντας γραμματικούς, ὀφείλοντας ἐπιδεῖξαι αὐτῷ ἕκαστον τὴν ἰδίαν σύνθεσιν, παρόντων ὁμοῦ πάντων. οὗτοι οὖν ἀκροασάμενοι οὐ πρὸς ἔριν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀληθὲς καὶ πᾶν τὸ τῇ τέχνῃ ἁρμόζον ἔκριναν πάντες κοινῇ καὶ ὁμοφώνως, κρατῆσαι τὴν σύνθεσίν τε καὶ διόρθωσιν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου. καὶ πάλιν ἔκριναν τῶν δύο συνθέσεών τε καὶ διορθώσεων βελτίονα τὴν Ἀριστάρχου. ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συναγαγόντων τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους πρὸς τὸν Πεισίστρατον διὰ τὸ πλείονα μισθὸν λαβεῖν καὶ ἰδίους στίχους, ὡς καὶ προείρηται, σκεψάμενοι προσέθηκαν, καὶ ἤδη ἐν συνηθείᾳ ἐγένοντο τοῖς ἀναγινώσκουσιν, οὐκ ἔλαθε τοῦτο τοὺς κριτάς, ἀλλὰ διὰ μὲν τὴν συνήθειαν καὶ πρόληψιν ἀφῆκαν αὐτοὺς κεῖσθαι, ὀβελίσκους δὲ ἑκάστῳ τῶν ἀδοκίμων καὶ ἀλλοτρίων καὶ ἀνα-

ξίων τοῦ ποιητοῦ στίχων παρατιθέμενοι, τοῦτο αὐτὸ ἐνεδείξαντο ὡς ἀνάξιοί εἰσι τοῦ Ὁμήρου. φέρεται δὲ ἐπίγραμμα εἰς τὸν Πεισίστρατον σπουδάσαντα συναγαγεῖν τὰ Ὁμήρου τοιοῦτον· „Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε | δῆμος Ἀθηναίων καὶ τρὶς ἐπηγάγετο, | τὸν μέγαν ἐν βουλῇ Πεισίστρατον, ὃς τὸν Ὅμηρον | ἤθροισα σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον. | ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης, | εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἀπῳκίσαμεν“. Hos versus prolatos vidimus praeter hunc locum etiam in vitis Homeri quarta et quinta, apud Tzetzam Exeges. in Iliad. Herm. p. 8; quintus locus, quo idem legitur epigramma, in Anthologia Pal. est 11, 442. Narrationem autem scholii totam quam modo proposui, e fabulis illam conflatam et veris, iis quae Tzetzes in Exegesi refert similem esse liquet; non tamen in omnibus Tzetzae narrationem cum hac scholiorum Dionysii congruere accuratius collatis inter se locis facile videbis. Multo melioris notae quam Tzetziana illa et haec quam e scholiis in Dionysium scriptis modo protuli narrationes sunt duorum aliorum scholiorum ad eundem Dionysii grammaticae locum pertinentium, quae non apud Bekkerum, sed solum apud Villoisonum leguntur Ann. 2 p. 182 not. 1. Alterius ex his duobus scholiis verba sunt haecce: ῥαψῳδία δὲ εἴρηται ἡ ἐπὶ ῥάβδῳ ᾠδή· οἱ γὰρ μεθ' Ὅμηρον τὰ αὐτοῦ ποιήματα περιερχόμενοι ᾖδον, ῥάβδον δαφνίνην κατέχοντες, σύμβολον Ἀπολλωνιτικόν (leg. Ἀπολλωνιακόν)· ἦν γάρ, ὥς φασιν, ἀπολλόμενα τὰ τοῦ Ὁμήρου· τότε γὰρ οὐ γραφῇ παρεδίδοντο, ἀλλὰ μόνῃ διδασκαλίᾳ, ὡς ἂν μνήμονι φυλάττοιντο. Πεισίστρατος δέ τις, Ἀθηναίων τύραννος, ἐν ἅπασιν ὢν εὐγενής, κἀν τούτῳ θαυμασθῆναι ἐβουλεύσατο· ἠθέλησε γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἔγγραφον διαφυλάττεσθαι. προθεὶς δὲ ἀγῶνα δημοτελῆ καὶ κηρύξας καὶ δοὺς ἄδειαν τοῖς εἰδόσι καὶ βουλομένοις τὰ Ὁμήρου ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μισθὸν τάξας στίχου ἑκάστου ὀβολὸν συνήγαγεν ὁλοσχερεῖς τὰς λέξεις καὶ παρέδωκεν ἀνθρώποις σοφοῖς καὶ ἐπιστήμοσιν, ὡς καὶ τὸ ἐπίγραμμα αὐτοῦ δηλοῖ. Sequitur apud Villoisonum alterum scholium, quod ex eodem codice petitum esse ait: ἄλλως. λέγεται ὅτι συνερράφησαν ὑπὸ Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου τὰ Ὁμήρου ποιήματα· καὶ κατὰ τάξιν συνετέθησαν τὰ πρὶν σποράδην

καὶ ὡς ἔτυχεν ἀναγινωσκόμενα διὰ τὸ τὴν ἁρμογὴν αὐτῶν τῷ χρόνῳ διασπασθῆναι. Haec duo scholia non commemorant fabulam de 72 grammaticis Pisistrati jussu Homerum ordinantibus, quorum primi fuerint Aristarchus et Zenodotus; quam fabulam Eustathius quoque tangit *A* init. p. 5 *Ὅτι ἕν μέν τι σῶμα συνεχὲς διόλου καὶ εὐάρμοστον ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις. οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην κατ' ἐπιταγὴν ὥς φασι Πεισιστράτου τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου γραμματικοὶ καὶ διορθωσάμενοι κατὰ τὸ ἐκείνοις ἀρέσκον, ὧν κορυφαῖος ὁ Ἀρίσταρχος καὶ μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος διὰ τὸ ἐπίμηκες καὶ δυσεξίτητον καὶ διὰ τοῦτο προσκορὲς κατέτεμον αὐτὸ ἐς πολλά. καὶ τὰ τοιαῦτα τμήματα οὐκ ἠθέλησαν ὀνομάσαι πρῶτον τυχὸν λόγον καὶ δεύτερον καὶ τρίτον καὶ τὰ ἑξῆς, καθάπερ ἐποίησε Κόιντος ἐν Τοῖς μετὰ τὸν Ὅμηρον, ἀλλ' ἐπειδήπερ ἡ βίβλος ἐξήρκει πρὸς πλείω τμήματα, ἔκριναν σεμνὸν ὀνομάσαι τὰς τομὰς τοῖς ὀνόμασι τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων τῆς ἀνθρωπίνης ἐναρμονίου φωνῆς.* Idem *A* p. 6, 29 *ῥάπτειν δὲ ἢ ἁπλῶς, ὡς εἴρηται, τὸ συντιθέναι ἢ τὸ κατὰ εἱρμόν τινα ῥαφῇ ὁμοίως εἰς ἓν ἄγειν τὰ διεστῶτα. σποράδην γάρ, φασί, κειμένης καὶ κατὰ μέρος διῃρημένης τῆς Ὁμηρικῆς ποιήσεως, οἱ ᾄδοντες αὐτὴν συνέρραπτον οἷον τὰ εἰς ἓν ὕφος ᾀδόμενα. ἢ καὶ ἄλλως, διότι κατὰ μέρος, φασί, τῆς ποιήσεως διαδεδομένης τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντες οἱ ᾄδοντες καὶ τὰ ἐξ ἑκατέρας Ὁμηρικῆς βίβλου συρράπτοντες, ὡς ἐβούλοντο, ῥαψῳδοὶ ἐντεῦθεν προσηγορεύθησαν. τῆς δὲ τοιαύτης ῥάψεως παράδειγμα σαφὲς καὶ οἱ κέντρωνες, τουτέστι τὰ λεγόμενα Ὁμηρόκεντρα. κέντρωνές τε γὰρ κυρίως λέγονται τὰ ἐκ διαφόρων χροιῶν συνερραμένα εἰς ἕν, οἷς ὡμοίωνταί πως τὰ Ὁμηρόκεντρα· καὶ ῥαψῳδία δὲ ἡ ἐξ ἑκατέρων Ὁμηρικῶν ποιήσεων συρραφεῖσα ᾠδὴ ἀναλόγως τῷ ὑποκειμένῳ πράγματι, γάμῳ τυχὸν ἢ ἑορτῇ. τοῦ δὲ ἀπαγγέλλειν τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν ἀρχὴν ἐποιήσατο Κύναιθος ὁ Χῖος. ἐλυμήναντο δέ, φασίν, αὐτῇ πάμπολλα οἱ περὶ τὸν Κύναιθον καὶ πολλὰ τῶν ἐπῶν αὐτοὶ ποιήσαντες παρενέβαλον. διὸ καὶ διωρθώθησαν αἱ Ὁμηρικαὶ βίβλοι, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται. τοῦτο δὲ οὐ μόνον οἱ ῥηθέντες γραμματικοὶ ἐποίησαν, ἀλλὰ καὶ ἕτεραι Ὁμηρικαὶ διορθώσεις μνημονεύονται, οἷον καὶ ἡ ἱστορουμένη Ἀπὸ νάρθηκος καὶ Μασσαλιωτικὴ δὲ*

τις καὶ Σινωπική. καὶ ταῦτα μὲν ἱκανῶς ἕως ὧδε. Quae hoc posteriori loco exhibet Eustathius, ea partim ad similitudinem accedunt locorum quos supra apposui in scholiis Dionysii grammaticae et apud Tzetzam in Exegesi p. 45 obviorum, partim e scholiis ad Pindarum hausta sunt. Pindari enim verba Nem. 2, 1 Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι | ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοί | ἄρχονται, Διὸς ἐκ προοιμίου tribus explicantur scholiis, quorum duo posteriora huc pertinent, quoniam dissipationem Homericorum carminum memorant. Primum scholium alio loco proponam; secundi et tertii verba sunt haec: Ἄλλως. τοὺς ῥαψῳδοὺς οἱ μὲν ῥαβδῳδοὺς ἐτυμολογοῦσι διὰ τὸ μετὰ ῥάβδου δηλονότι τὰ Ὁμήρου ἔπη διεξιέναι. Καλλίμαχος· „καὶ τὸν ἐπὶ ῥάβδῳ μῦθον ὑφαινόμενον | ἠνεκὲς ἀείδω δεδεγμένος“. οἱ δέ φασι τῆς Ὁμήρου ποιήσεως μὴ ὑφ' ἓν συνηγμένης, σποράδην δὲ ἄλλως καὶ κατὰ μέρη διῃρημένης, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτήν, εἱρμῷ τινι καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν, εἰς ἓν αὐτὴν ἄγοντας. οὕτω καὶ ὁ Πίνδαρος εἰσδέδεκται. οἱ δέ, ὅτι κατὰ μέρη πρότερον τῆς ποιήσεως διαδεδομένης τῶν ἀγωνιστῶν ἕκαστος ὅτι βούλοιτο μέρος ᾖδε, τοῦ δὲ ἄθλου τοῖς νικῶσιν ἀρνὸς ἀποδεδειγμένου προσαγορευθῆναι τότε μὲν ἀρνῳδούς, αὖθις δὲ ἑκατέρας τῆς ποιήσεως εἰσενεχθείσης τοὺς ἀγωνιστὰς οἷον ἀκουμένους πρὸς ἄλληλα τὰ μέρη καὶ τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντας, ῥαψῳδοὺς προσαγορευθῆναι. ταῦτά φησι Διονύσιος ὁ Ἀργεῖος. Φιλόχορος δὲ ἀπὸ τοῦ συντιθέναι καὶ ῥάπτειν τὴν ᾠδὴν οὕτω φησὶν αὐτοὺς προσκεκλῆσθαι· δηλοῖ δὲ Ἡσίοδος λέγων· „ἐν Δήλῳ τότε πρῶτον ἐγὼ καὶ Ὅμηρος ἀοιδοί | μέλπομεν, ἐν νεαροῖς ὕμνοις ῥάψαντες ἀοιδήν, | Φοῖβον Ἀπόλλωνα χρυσάορον, ὃν τέκε Λητώ“. ῥαψῳδῆσαι δέ φησι πρῶτον τὸν Ἡσίοδον Νικοκλῆς. Μέναιχμος δὲ ἱστορεῖ τοὺς ῥαψῳδοὺς στιχῳδοὺς καλεῖσθαι διὰ τὸ τοὺς στίχους ῥάβδους λέγεσθαι ὑπό τινων. § Ἄλλως. Ὁμηρίδαι πρότερον μὲν οἱ Ὁμήρου παῖδες, ὕστερον δὲ οἱ περὶ Κύναιθον ῥαβδῳδοί· οὗτοι γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν ἐμνημόνευον καὶ ἐπήγγελον· ἐλυμήναντο δὲ αὐτὴν πάνυ. αὐτοὶ οὖν τὴν ἀρχὴν ὡς ἐπιτοπλεῖστον ἐκ Διὸς ἐποιοῦντο προοιμιαζόμενοι, ἐνίοτε δὲ καὶ Μουσῶν· ὅλως γὰρ οὗτοι εἰς τὸν Δία προοιμιασάμενοι τοὐντεῦθεν ἤδη τῆς ἐποποιίας ἥπτοντο· τῷ δὲ μὴ διαπαντὸς ἄρχεσθαι ἀπὸ τοῦ Διὸς τοὺς

ῥαψῳδοὺς προσέθηκεν ὁ Πίνδαρος „ταπολλά“, ἵν' ᾖ· ὡς ἐπιτοπλέον. ὁ δὲ νοῦς ὅλος κτέ.

Non scripsisse Homerum carmina sua inter recentiorum temporum scriptores primus Fr. A. Wolfius vir clarissimus in celebratissimo Prolegomenon ad Homerum libro, quem Diss. 1 p. 39 commemoravi, p. 40—94 ita demonstravit, ut dubitationi jam nullus relictus esse videretur locus. Dubitaverunt nihilosecius, ut usu venire solet, et docti nonnulli et indocti etiam post Wolfium, novitatem rei partim allatrantes, impugnantes partim Wolfii argumentationem rationibus undecumque conquisitis. Quin etiam exstiterunt, qui totam narrationem de Homericis carminibus a Pisistrato collectis, ordinatis, descriptis ita in dubitationem traherent, ut singula veterum testimonia singulatim deflectentes et detorquentes, erroribus scriptorum istorum inferioris aevi quos notavi inhaerentes negare sustinerent quae negari nullo modo possunt. Sed hi, ut par erat, nihil aliud effecerunt nisi hoc ipsum, ut Wolfium refelli non posse longe plurimi concederent. Et in ea quidem re, quantum scio, hodie nemo amplius a Wolfio dissentit, quod Homerum hic carmina sua literis mandasse negavit. Quo fit ut pauca tantum mihi addenda sint. Addam autem primum, Homeri carmina propterea literis non fuisse mandata, quod artis scriptoriae iis tempestatibus, quibus composita illa fuerunt, apud Graecos aut nullus dum esset usus, aut difficillimus ideoque rarissimus; dein, hujus rei memoriam apud posteriores Graecos adeo abolevisse, ut ante Alexandrinorum quidem tempora vel doctissimi scriptores Homero multo antiquiorem fuisse literarum in Graecia vulgarem putarent usum; Alexandrinorum studiis autem id esse effectum, ut doctissimus quisque longe aliter sentiret et eam fere amplecteretur caussam, quam, quum medii aevi tenebris obruta esset, in aprico denuo Wolfii ingenium collocavit.

Non omnibus veterum testimoniis quae ante exhibui conjuncta Wolfio in Prolegomenis conscribendis uti licebat. Etenim postea publici juris fecit Hermannus 1812 Tzetzae Exegesin, Ritschelius 1838 Plautinum scholium, Cramer 1839 Anonymi libellum *Περὶ κωμῳδίας*, Keilius 1848 Tzetzae Scholiorum in Aristophanem prolegomena. Aliis nonnullis recte uti

nesciebat Wolfius, quia post eum demum scholiorum Homericorum structuram commonstravit Lehrs. Sic quod et scholiastae in Dionysii grammaticam illum locum, quo ante Pisistratum Homerica carmina literis mandata non fuisse, sed *μόνῃ διδασκαλίᾳ* servata narrantur, ex Alexandrinorum copiis derivatum dixit, et Josephum quae de Homero a literarum usu alieno tradit ex iisdem Alexandrinorum disputationibus hausisse p. 76 contendit, si scholiorum constructionem habuisset cognitam, non Alexandrinos illum dicturum fuisse persuasum habeo, sed Aristarchum, cujus nomen in hac caussa ad partes vocare disertis verbis ausus non est Wolfius.

Lehrsii opera edocti sumus, diplis ad Iliadis duos locos appositis, quibus vocabulo *γράφειν* primo aspectu scribendi notio inesse videtur, Aristarchum hoc certe notasse, usum notitiamque artis scriptoriae in carminibus Homericis non commemorari. Alter locus notissimus ille est libri *Z* de Bellerophonte in Lyciam misso. Ibi ad vs. *Z* 169 *γράψας ἐν πίνακι πτυκτῷ θυμοφθόρα πολλά* Aristonicus sic: *ἡ διπλῆ, ὅτι ἔμφασίς ἐστι τοῦ* (cod. *τοῖς*. corr. Friedl.) *τῆς λέξεως γράμμασι χρῆσθαι· οὐ δεῖ δὲ τοῦτο δέξασθαι, ἀλλ' ἔστι γράψαι τὸ ξέσαι. οἷον οὖν ἐγχαράξας εἴδωλα δι' ὧν ἔδει γνῶναι τὸν πενθερὸν τοῦ Προίτου.* Ad vs. 176 *καὶ τότε μιν ἐρέεινε καὶ ᾔτεε σῆμα ἰδέσθαι* Aristonicus: *ἡ διπλῆ, ὅτι σημεῖα λέγει, οὐ γράμματα· εἴδωλα ἄρα ἐνέγραψεν.* Alter locus in libro *H* est de principibus sortes ducentibus. Ibi ad 175 *ὣς ἔφαθ', οἱ δὲ κλῆρον ἐσημήναντο ἕκαστος* Aristonicus: *ἡ διπλῆ, ὅτι σημείοις χρῶνται, οὐ γράμμασι.* Ad 187 *ὅς μιν ἐπιγράψας κυνέῃ βάλε, φαίδιμος Αἴας* Aristonicus: *ἡ διπλῆ, ὅτι οὐ γράμμασι τῆς λέξεως, ἀλλ' ἐγχαράξας σημεῖα· εἰ γὰρ κοινῶς ᾔδεσαν γράμματα, ἔδει τὸν κήρυκα ἀναγνῶναι καὶ τοὺς ἄλλους οἷς ἐπεδείκνυτο ὁ κλῆρος.* His annotationibus usus quidem est Wolfius; sed Aristonici eas esse, Aristonici vero annotationibus puram Aristarchi contineri doctrinam ille ignorabat. Lehrs Arist. p. 103 sq quid Aristarchus praeceperit de usu vocabuli *γράφειν* Homerico exposuit colligens Aristonici illos quos modo proposui locos uno omisso, scholio ad *Z* 176 scripto, quod alienum putasse videtur ab Aristonico. In eodem libro Lehrs p. 348 haec disputavit: „Artis scribendi in

carminibus Homeri mentionem nullam fieri, recte Aristarchus observavit (v. diss. II s. *γράφειν*). Attamen censuisse Homerum ipsum non scripsisse nusquam, quod sciam, vestigium est. Censuit Aristarchus, quaedam ipsi Homero cognita fuisse, quibus tamen heroas uti non faciat, e. g. unguenta et coronas Athen. 18. e. Schol. 700. [leg. *Λ*, 700.] *N*, 736. *Ξ*, 172. *Ψ*, 186. tubam *Σ*, 219. *Φ*, 388 .. artem equitandi *O*, 679. Carnis coctionem *Φ*, 362 (cf. p. 236. *Ἔφυρα*). Eo igitur videbitur etiam scripturam rettulisse". Haec paullo aliter dijudicare poterat vir clarissimus. Primum enim vestigia revera esse videntur, Aristarchum ab ipso quoque Homero scriptoriam artem alienam censuisse; quae vestigia si esse negabat Lehrs, quum pronuntiandum arbitraretur, nusquam vestigium esse, quo Aristarchum ab Homero ipso scribendi usum abjudicasse edoceremur, cur non addidit, nec contrarii usquam esse vestigium? Quo enim loco, obtestor, scholiastae indicant, Aristarchum Homero scribendi usum attribuisse? Nullo, opinor. Tales enim locos, quale scholium Aristonici *M* 22 est supra illud prolatum, *ὅτι ἀνέγνω Ἡσίοδος τὰ Ὁμήρου ὡς ἂν νεώτερος τούτου*, in censum non venire patet. Ipsis porro in carminibus Homeri quo demum loco vel levissimum indicium est, quo Homerus prodere videatur, sibi ipsi cognitam esse scribendi artem, quam ab heroibus abjudicet? Tubam, equitandi artem, alia nonnullis locis Homerus ex sua ipsius persona locutus commemorat, heroes iis utentes non faciens nec commemorantes ea. Contra scriptoriae artis nullo uno loco mentionem fecit Homerus. Alia igitur est res. Itaque Lehrs haud dubie melius fecisset, si dixisset, utrum Aristarchus Homerum scripsisse carmina sua credidisset necne in scholiis quidem non indicatum esse; accedere autem ad scholia Josephi, scholiastae in Dionysii grammaticam, Tzetzae locos, quos Alexandrinae scholae disputationibus inniti extra dubitationem esset positum; ex Alexandrina vero doctrina si repetenda viderentur quae de usu scribendi ab Homero alieno narrarentur, collatis inter se scriptorum illorum locis et Aristonici annotationibus de usu Homerico vocabuli *γράφειν* dubitationem jam relinqui nullam, quin id Aristarchi ipsius esset judicium, quod perverse Tzetzes et Dionysii scholiasta, dilucide Jose-

phus exponeret. Fieri autem hoc facile poterit, ut in hanc deducamur sententiam, Aristarchum etiam eo tempore, quo alteram curabat editionem suam Homericorum carminum tractatam illam Diss. I p. 25. 29. 34, diplas illas versibus librorum *Z* et *H* appingendas in animo quum volveret, incertum haesisse, utrum ab ipso quoque Homero ut ab heroibus ab eo depictis scribendi usum abjudicaret necne; post editionem demum alteram emissam deductum illum esse eo, ut ne Homerum quidem ipsum scripsisse statueret. Quam in sententiam cum probabilitate abibis ubi concesseris verum esse quod equidem demonstrasse mihi videor in Jahnii annall. 67, 6, 638 sq, ea, quae Eustathius et schol. V locis supra appositis narrant, ad initium libri *K*, hanc rhapsodiam ab Homero *ἰδίᾳ τετάχθαι καὶ μὴ ἐγκαταλεγῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν*, Aristarchi exhibere judicium; quod judicium quum dipla ad *K* 1 apposita non fuisse notatum appareat, reliquum esse, ut post editionem alteram demum Aristarchum ut sic statueret commotum videri dicamus.

Et haec quidem hactenus. Quaeris jam qui factum sit, ut Homeri carmina, quamvis scripta non essent, tamen ad Pisistrati usque aetatem servarentur. Memoriter tradita ea esse veteres narrant. At objiciuntur quaedam dubitationes. Primum enim mirari possis, iis, qui carmina illa traderent, memoriae vim fuisse tantam, ut tot versus complecterentur, quot Ilias et Odyssea continent. Sunt autem 28 fere milia. Dein, ut capax fuerit illorum memoria tantae versuum molis, alia est quaestio, qua ratione primum edidicerint. Nam aliud est de scripto ediscere, aliud ediscere quae memoria sola continentur aliorum hominum. Denique qui tandem fuerunt ii, quorum interesset tot versibus vacare et ediscendis et docendis? Magnam enim vitae partem facile vides absumi hoc negotio, ut Iliadem quis et Odysseam primum ipse ediscat, non de scripto, sed praeeunte alio singulos versus, dein vero alios doceat eandem versuum multitudinem immensam itidem ex ore excipiendam.

Ad has autem dubitationes ita Wolfius p. 94—108

respondit, ut eo ad partes vocato brevibus nobis liceat esse. Memoria igitur comprehendi posse totum Homerum exemplum docet Nicerati Xenophontei, quem Diss. 1 p. 206 narravi a patre coactum universam edidicisse Iliadem et Odysseam. Quem si opponis exemplari scripto usum esse, at nos memoriae imminui vim scripturae usu monemus; eos enim populos, qui legere nesciant, memoria plus valere constat quam eos, qui sciant. Accedit quod necesse quidem id non est sumere, universa carmina a singulis esse accepta et propagata. Fieri enim potuit, ut plerique paucas tantum rhapsodias ediscerent atque docerent, pauci, qui memoria valerent plurimum, rhapsodias omnes. Atque ita rem sese habuisse narrationes veterum ipsae confirmare videntur de Pisistrato, qui non ex unius ore universa carmina dicitur excepisse literis mandanda, sed singula frusta collegisse atque ordinasse. Attamen vel sic magnus sane videbitur eorum fuisse labor, qui scripto non adhibito exemplari paucas ediscerent rhapsodias. Bonam certe hos vitae partem in ediscendo tradendoque Homero consumpsisse studiorumque summam suorum in hoc collocasse officio jure tuo dixeris. Quid vero impedit quominus talium ante Pisistratum exstitisse hominum ordinem in Graecia credamus, qui vitam sustentarent docendis Homeri carminibus declamandisque in certaminibus musicis, in principum aulis, in divitum conviviis? Prout apud Homerum ipsum Phemium videmus inter Ithacenses, Demodocum inter Phaeaces carminibus epicis sustinere vitam recitandis. Nonne constat, etiam iis temporibus, quum scripta jam essent Homeri exemplaria multa, rhapsodos quos dicebant victum quaesivisse Homero in certaminibus musicis recitando? Cujus rei quum alios habemus auctores, tum Platonem; qui in Ione dialogo Ionem rhapsodum ea ratione loquentem facit, ut nulla remaneat dubitatio, quin omnia sua studia in uno collocasse Homero victumque inde quaesivisse putandus sit. Neque etiam apud Graecos solos tale quid reperitur. Nam simillima apud omnes fere populos exstant exempla, apud quos quidem poësis epica floruit. Plurimi possunt enumerari: Germani, Scandinavii, Angli, Scoti, Hibernii, Britanni, Galli, Francogalli, Provinciales, Hispani, Itali, Serbi, Arabes, Hungari, Fenni, alii: quos omnes mitto, unum

qui maxime huc facit Caesaris locum de Gallorum druidibus scriptum prolaturus. In omni Gallia Caesar B. G. 6, 13 dicit eorum hominum, qui aliquo sint numero atque honore, genera esse duo, alterum druidum, alterum equitum. „Illi“, inquit, „rebus divinis intersunt, sacrificia publica ac privata procurant, religiones interpretantur; ad eos magnus adolescentium numerus disciplinae causa concurrit, magnoque hi sunt apud eos honore“. Quibus postquam multa alia de druidibus addidit, capite 14 ita scriptor pergit. „Druides a bello abesse consuerunt neque tributa una cum reliquis pendunt: militiae vacationem omniumque rerum habent immunitatem. Tantis excitati praemiis et sua sponte multi in disciplinam conveniunt et a parentibus propinquisque mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, quum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, Graecis litteris utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint neque eos, qui discunt, litteris confisos minus memoriae studere; quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant“. Haec Caesar. Interesse tamen aliquid inter druides et rhapsodos illos Graecorum, quos Plato et Xenophon et alii depingant, jure tuo monere potes. Rhapsodos enim illos de scripto Homeri edidicisse carmina; druides contra spreto literarum usu per longum temporis spatium legitimis scholis primum ipsos edoctos carmina dein alios rursus edocuisse. Atque hoc quidem necessarium esse, ubi scripta non adhibeantur exemplaria, ut si qui magnum versuum numerum aut ediscere velint aut docere, scholae ii justae contineantur disciplina. Quod ut concedam, quid, quaeso, obstat, quominus iis temporibus, quibus Homeri carmina literis mandata nondum essent, eos, qui carmina illa ediscerent, ejusmodi scholis fuisse adscriptos statuamus? At testimonia desideras veterum, qui ita rem fuisse diserte tradant. Cui ut satisfaciam

desiderio, primum te admonebo eorum, quae in dissertatione priori quum alios tum Hellanicum et Acusilaum narrare vidisti de Homeridarum gente Chia.

Locus Harpocrationis, quo Hellanici et Acusilai testimonia comprehenduntur memorata illa Diss. 1 p. 157 et 163 hicce est. *Ὁμηρίδαι· Ἰσοκράτης Ἑλένῃ. Ὁμηρίδαι γένος ἐν Χίῳ, ὅπερ Ἀκουσίλαος ἐν γ΄, Ἑλλάνικος ἐν τῇ Ἀτλαντιάδι ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ φησὶν ὠνομάσθαι. Σέλευκος δὲ ἐν β΄ Περὶ βίων ἁμαρτάνειν φησὶ Κράτητα νομίζοντα ἐν ταῖς ἱεροποιίαις Ὁμηρίδας ἀπογόνους εἶναι τοῦ ποιητοῦ· ὠνομάσθησαν γὰρ ἀπὸ τῶν ὁμήρων, ἐπεὶ αἱ γυναῖκές ποτε τῶν Χίων ἐν Διονυσίοις παραφρονήσασαι εἰς μάχην ἦλθον τοῖς ἀνδράσι, καὶ δόντες ἀλλήλοις ὅμηρα νυμφίους καὶ νύμφας ἐπαύσαντο, ὧν τοὺς ἀπογόνους Ὁμηρίδας λέγουσιν.* Hic locus paullo accuratius est tractandus. Harpocrationis opus, *Λέξεις ῥητορικαί* inscriptum, lexicon est Atticis oratoribus, Demostheni, Antiphonti, Isocrati, reliquis compositum explicandis. Isocratis qui respicitur atque explicatur toto hoc capite ab Harpocratione locus etiam hodie exstat; est enim is locus quem tractavi Diss. 1 p. 104, Helen. laud. § 65: *λέγουσι δέ τινες καὶ τῶν Ὁμηριδῶν ὡς ἐπιστᾶσα* (int. *ἡ Ἑλένη*) *τῆς νυκτὸς Ὁμήρῳ προσέταξε ποιεῖν περὶ τῶν στρατευσαμένων ἐπὶ Τροίαν, βουλομένη τὸν ἐκείνων θάνατον ζηλωτότερον ἢ τὸν βίον τὸν τῶν ἄλλων καταστῆσαι· καὶ μέρος μέν τι διὰ τὴν Ὁμήρου τέχνην, μάλιστα δὲ διὰ ταύτην οὕτως ἐπαφρόδιτον καὶ παρὰ πᾶσιν ὀνομαστὴν αὐτοῦ γενέσθαι τὴν ποίησιν.* Quos Homeridas Isocrates dicit, non genus illud Chium esse apparet, de quo reliqui auctores quattuor ab Harpocratione excitati, sed Homeri studiosos, quo sensu vocabulum *Ὁμηρίδης* saepius ab antiquis scriptoribus usurpatur, veluti a Platone Ion. cap. 2 Rpbl. 10 p. 599 Steph. Phaedr. p. 252 Steph. Hanc notasse diversitatem inter Isocratem et reliquos illos quattuor obtinentem verbaque Isocratis ipsa apposuisse censendus est Harpocration, ita ut hoc quoque loco, uti multis aliis, epitomatoris manum lexicon videatur expertum esse; quod addere poteram dissertationis prioris loco indicato. Multo magis quam epitomator Harpocrationis locum decurtavit Photius; hic enim in lexico suo p. 331, 18—24 scribit haec: *Ὁμηρίδαι· γένος ἐν Χίῳ*

ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ ὠνομασμένον· οἱ δέ φασιν ἁμαρτάνειν τοὺς οὕτω νομίζοντας· ὀνομάζεσθαι γὰρ ἀπὸ τῶν ὁμήρων· ἐπεὶ αἱ γυναῖκές ποτε τῶν Χίων ἐν Διονυσίοις παραφρονήσασαι εἰς μάχην ἦλθον τοῖς ἀνδράσι· καὶ δόντες ἀλλήλοις ὅμηρα νυμφίους καὶ νύμφας ἐπαύσαντο· ὧν τοὺς ἀπογόνους Ὁμηρίδας λέγουσιν. Neque tamen in his acquievit Photius; Timaei quoque is adiit lexicon Platonicum, in quo glossa legitur *Ὁμηρίδαι· οἱ τὰ Ὁμήρου ὑποκρινόμενοι.* Respiciuntur a Timaeo rhapsodi; hi enim Homeri fuerunt studiosissimi; studiosos Homeri vero a Platone dici monui Homeridas. Conferenda Hesychii glossa *Ὁμηρείδαι· αἱ ῥαψῳδίαι*, quod interpretes mutandum esse viderunt in *Ὁμηρίδαι· οἱ ῥαψῳδοί.* Huic explicationi simillima Timaei illa, quam Photius repetivit in sequenti pagina, 332, 7, ita ut duas exhiberet vocis *Ὁμηρίδαι* explicationes interpositis sejunctas aliis vocibus. Duo hi Photii loci in unum conflati reperiuntur apud Suidam: *Ὁμηρίδαι· οἱ τὰ Ὁμήρου ὑποκρινόμενοι. οἱ δὲ γένος ἐν Χίῳ ἀπὸ τοῦ ποιητοῦ ὠνομασμένον. ἄλλοι δέ φασιν ἁμαρτάνειν τοὺς οὕτω νομίζοντας· ὠνομάσθαι γὰρ ἀπὸ τῶν ὁμήρων κτἑ.* usque ad *Ὁμηρίδας λέγουσι.* Praeterea ex Harpocratione hausta videntur quae Lexic. rhetor. in Bekk. Ann. 1, 288 exhibet *Ὁμηρίδαι· γένος ἐν Χίῳ ἀπὸ τῶν Ὁμήρου ἀπογόνων*; ubi delenda sine dubio vox *ἀπό.* Auctorum nomina in solo Harpocrationis loco ipso servata esse vides. Nominantur praeter Isocratem Hellanicus, Acusilaus, Seleucus, Crates. Qui sint Seleucus et Crates incertum haberi potest. Notissimus sane est ille cujus Diss. 1 p. 33 mentionem feci Seleucus *Ὁμηρικὸς* dictus, qui ineunte fere primo a. Chr. saeculo Romae docuit. Sed eum, qui ab Harpocratione ad partes vocatur, clarissimum illum esse Seleucum sunt qui negent; vide Maur. Schmidtii dissertationem De Seleuco Homerico in Schneidewini Philologo 3, 3, 436—459. Crates, adversus quem disputasse Seleucum Harpocratio dicit, clarissimus ille Crates esse potest, scholae Pergamenae caput; quamquam Pergamenum composuisse librum *Ἱεροποιιῶν* inscriptum titulo aliunde non constat. Alium quendam Cratetem librum composuisse constat *Περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν*; sed hunc esse librum eum, quem Seleucus *τὰς Ἱεροποιίας* dicat, non liquet. Accedit quod ne id quidem extra dubium positum videtur, ver-

bis Harpocrationis ἐν ταῖς ἱεροποιίαις libri indicari titulum. Potest enim statui, ante ἐν vocabulum τούς excidisse, quo reposito verbis τοὺς ἐν ταῖς ἱεροποιίαις Ὁμηρίδας Seleucus accurate designasse videbitur genus Homeridarum Chium. Hoc enim genus sacra habuisse gentilicia vix est quod moneam; quorum sacrorum mentione facta apte discernitur genus Homeridarum Chium ab iis, Homeridas quos Plato dicunt, Isocrates, alii. Uberius hanc rem exposui in Jahnii annalibus 67, 3, 267 sqq. Quo loco monui, quovis modo interpreteris vel corrigas verba Harpocrationis quae sunt de Cratete et Seleuco eorumque opinionibus, id certum esse, Homeridarum gentem fuisse in Chio insula eponymum heroëm quae haberet Homerum poëtam sacraque ei faceret. Ab Homero poëta nomen gentis haud dubie derivatum est, prout exponitur in Etymol. Gudiano p. 348, 35: Κρονίδης· παρὰ τὸ Κρόνος Κρονίδης. τὰ ἀπὸ τῶν εἰς ος διὰ τοῦ ιδης γινόμενα διὰ τοῦ ι γράφεται, οἷον Κρόνος Κρονίδης, Ὅμηρος Ὁμηρίδης, Πρίαμος Πριαμίδης, χωρὶς τοῦ Κύθνος Κυθνείδης· ἔστι δὲ ὄνομα κύριον. Cfr. Etymol. m. s. v. Ὅμηρος p. 623, 50. Seleuci opinionem, qui non ab Homero derivavit Homeridarum nomen, sed ab obsidibus, quos in Chio viri mulieresque inter sese constituissent, bellum ut exstingueretur e Bacchanalibus ortum, falsam esse res ipsa clamat. Latere tamen aliquid veri in ea conjicio opinione et necessitudinem quandam intercessisse inter Homeridarum gentem et Bacchanalia Chiorum. Maximum Baccho honorem in Chio fuisse insula praestantissimi vini fertilissima vel inde colligere licet, quod etiam homines olim Baccho (τῷ ὠμαδίῳ Διονύσῳ) Chii immolabant: vide Porphyrium De abstinentia 2, 55 et quos excitant interpretes ad 2, 54 et 55. Rabie quondam Bacchica mulieres Chiorum esse incensas Aelianus quoque V. h. 3, 42 narrat. Summopere igitur quum Bacchanalia celebrata videantur apud Chios, ea maxime sollemnitate occasionem datam esse Homeridis Chiis crediderim recitandorum Homeri carminum.

Fuisse in Graecia multas constat gentes quae Aegyptiorum instar Indorumque ordinum propriam sibi haberent atque hereditariam aliquam artem. Inter has gentes referendi Homeridae quoque sunt; hereditariam enim

exercuerunt recitandorum artem Homeri carminum. Et hoc quidem iis qui adhuc a me in medium prolati sunt locis non indicatur; diserte vero expressum legitur in scholiis Pindari Nem. 2, 1. Tria ad eum versum exstare dixi scholia, ex quibus duo protuli supra, reliquum unum, quod primo loco positum est, alias me appositurum esse indicavi. Primum igitur illud scholium est hocce: *Ὁμηρίδας ἔλεγον τὸ μὲν ἀρχαῖον τοὺς ἀπὸ τοῦ Ὁμήρου γένους, οἳ καὶ τὴν ποίησιν αὐτοῦ ἐκ διαδοχῆς ᾖδον· μετὰ δὲ ταῦτα καὶ οἱ ῥαψῳδοί, οὐκέτι τὸ γένος εἰς Ὅμηρον ἀνάγοντες. ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν. ἦν δὲ ὁ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι. οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐρραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη, κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν.* In ultimis quae Hippostratus narrasse fertur Cynaethum primum fuisse qui Syracusis Homerica carmina recitaret idque factum esse Ol. 69 prorsus incredibilia sunt. Et Welckerus quidem Ep. cycl. 1 p. 237 sqq scripturam Olympiadis 69 esse mendosam contendit; ego quid sentiam premo hoc loco, quum tota haec disputatio ad eam rem quam tractamus nihil faciat. Disertum solum illud et indubitatum testimonium ad caussam nostram pertinet, quod initio scholii servatum est, Homeridas appellatos esse primum solam gentem quandam, quae genus ab Homero duceret, dein etiam rhapsodos ab Homero genus suum non repetentes; gentem vero illam ab Homero genus ducentem cecinisse Homeri carmina *ἐκ διαδοχῆς*. En tibi gentem, quae totam se carminibus dabat Homericis hereditaria arte colendis, ediscendis, docendis, recitandis; en scholas perpetuas, quas cum druidibus Gallorum apte componas.

Quae studia Homeridarum Chiorum ne te fugiat maximi esse momenti haud vereor; vereor autem, ne omnis jam de Homeri quoque ipsius patria dubitatio profligata tibi esse videatur. Facile enim accidere possit, ut Chiis assentiendum esse credas quos Strabo loco supra allato 14 p. 645 (ab Eustathio Iliad. p. 4, 17 Lips. exscripto) Homeridis suis uti

perhibet ad vindicandum sibi Homerum ipsum; Chios enim Homeridas argumento esse, Homerum ipsum quoque fuisse Chium.

Recurrendum eo esse video, unde deflexímus primum disputationem nostram ab Homero ipso ad collectionem carminum ejus a Pisistrato factam nos convertentes; recurrendum ad carmina illa Homero vulgo tributa. Quae omnia quum arctissime cum Homeri ipsius persona carminibusque ejus genuinis cohaerere pateat a sectatoribus Homeri composita esse supra statuimus. Quaerebamus autem, quinam essent sectatores illi Homeri. Nunc jam extra dubitationem hoc positum esse videtur, fuisse eos homines, qui in genuinis Homeri carminibus ediscendis, docendis, publice recitandis operam suam totam ponerent, quales fuisse modo vidimus Homeridas Chios. In Chio insula igitur si constaret omnia carmina illa falso relata ad ipsum quidem Homerum confecta esse, Chium insulam ante Pisistratum poëseos Homericae sedem unicam fuisse, i. e. scholam, quae totam se daret Homeri carminibus servandis, colendis, ediscendis, docendis, recitandis, sola in Chio insula fuisse probabile ipse ducerem. Quod si probabile esset, consentaneum haud dubie foret, scholam illam Chiorum ab Homero ipso conditam existimare, Homerumque ipsum natione Chium. At vero in Chio insula ut facta sint omnia illa carmina Homero vulgo adscripta tantum abest, ut praeter hymnum In Apollinem pauca eaque non magna ibi facta esse videantur, plurima vero, in iisque omnia illa, quae postea in Cyclum epicum recepta fuerunt, non apud Chios, sed aliis in civitatibus variis facta esse constet. Quae res, etiamsi indicia alia non accederent, sola tamen in aprico hoc collocaret, praeter Homeridarum scholam Chiam in aliis quoque civitatibus Graecis scholas fuisse, quibus Homerica poësis coleretur eadem qua apud Chios ratione. Accedunt autem quae idem commonstrent alia indicia multa eaque gravissima.

Et primum quidem ex iis quos Welckerus Ep. cycl. 1 p. 219 sqq collectos exhibet veterum locis Sami efficitur fuisse Creophyliorum gentem, quae originem duceret a Creophylo, memorato illo Diss. 1 p. 45. 83. 129. 164. Hunc Creophylum, de quo testimonia veterum collecta videas l. c. apud

Welckerum, Homeri fuisse hospitem, generum, praeceptorem narrabant; donasse autem Homerum ei carmen cui titulus erat *Οἰχαλίας ἅλωσις*. Hoc scilicet carmen alii, de quibus videas Welckerum, ab Homero ipso confectum ajebant, alii, quos secutus e. g. Callimachus est epigrammate illo indicato Diss. 1 p. 45, a Creophylo; quam duplicem famam ut explicarent, Homerum quidem fecisse carmen illud contendebant, dono autem dedisse Creophylo, qui hospitio excepisset Homerum. Fuerunt teste schol. Platon. Rpbl. 10 p. 600 Steph. alii, qui Homerum exceptum hospitio a Creophylo huic Iliadem ipsam donasse narrarent. Porro a Creophyli posteris Lycurgus, quum Samum pervenisset, Homeri poësin i. e. Iliadem et Odysseam accepisse primusque transtulisse in Peloponnesum traditur in fragmento illo Heraclidis Pontici nomine vulgo signato, de quo egi Diss. 1 p. 83. Accedunt testimonia Aeliani loco supra exscripto V. h. 13, 13 et Plutarchi Lycurg. 4, qui errore facile excusando Lycurgum non solum collegisse (*συναγαγεῖν*) Homeri carmina, quae essent *διατηρούμενα παρὰ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς Κρεωφύλου*, sed etiam literis perhibet ea mandasse, *γράψασθαι*. Ejusdem Plutarchei libelli alius locus, Lycurg. 1, fuisse docet, qui Lycurgum narrarent cum Homero ipso congressum esse, *καὶ κατ' ὄψιν ἐντυχεῖν Ὁμήρῳ*. Alii hoc tantum narrabant, quod vita Pseudoherodotea cap. 29 sqq, degisse Homerum quondam Sami ibique confecisse carmina nonnulla minora (*παίγνια*). Et hanc quidem varietatem narrationum utut explicueris, concedendum tibi erit, Creophyliorum gentem Samiam non minore industria quam Homeridas Chios sese dedisse Homericis studiis; qua in re hoc parum refert, quod non Homeridas sese illi sed Creophylios appellabant, Creophylum autem eponymum suum Homeri vocabant generum.

Creophyliorum gentem sedem suam in Samo insula habuisse collocatam e veteribus nemo negat; Creophylum vero ipsum fuerunt qui non in Samo, sed in Chio insula habitasse dicerent; alii Ietam eundem fuisse atque in Io insula degisse ibique Homerum hospitio excepisse contenderunt. Vide de Creophylo Ieta Proclum vita Homeri lin. 27 West. Agon. lin. 318 West. Tzetz. schol. ad Exeg. in Iliad. Herm. p. 154, de

Chio Creophylo Suidam s. v. Κρεώφυλος et schol. Platon. Rpbl. 10 p. 600 Steph. In Chio insula secundum nonnullos cum Homero ipso congressum esse Lycurgum Ephorus rettulit, uti narravi Diss. 1 p. 99. Cujus congressus memoriam Creophylique nomen qui factum sit ut e Samo in Chium transferrent sponte patet; sedem enim Homericae poëseos in Chio fuisse vidimus celeberrimam. Jam ut explicemus, quomodo Ietes ab aliis dici potuerit Creophylus ille, necessario confugiendum est eo, ut in Io quoque insula ejusmodi gentem Homericam collocasse sedes dicamus, quales in Chio et in Samo fuerunt. Et disertis quidem verbis non narrant veteres talem gentem fuisse inter Ietas; multa tamen narrantur, quae conjecturae fidem addant. Namque in eo aut omnes consentiebant aut certe plurimi, mortuum esse in Io insula Homerum ibique sepultum, cujus rei etiam hodie tot reperiuntur auctores, ut locos probantes indicare supersedeam; inscripsisse tumulo poëtae Ietas ajunt epigramma illud notissimum Ἐνθάδε τὴν ἱερὴν κεφαλὴν κατὰ γαῖα καλύπτει, | ἀνδρῶν ἡρώων κοσμήτορα θεῖον Ὅμηρον; ostendere (δεικνύειν) Ietas in sua insula Homeri sepulcrum (μνῆμα) refert Pausanias 10, 24, 3; in eodem sepulcro Ietas sacra fecisse Homero. M. Varro ap. Gellium 3, 11 testatur: „M. Varro in libro De imaginibus primo Homeri imagini hoc epigramma apposuit: Capella Homeri candida haec tumulum indicat: | quod hac Ietae mortuo faciunt sacra“. Jam hoc extra dubitationem positum est, de quo conferendus Lauer H. p. h. p. 94 sq, Graecos, quibus in civitatibus poësis floreret, apud eas solitos fuisse sepultos dicere poëtas vetustissimos, alium apud aliam; quasi mortui beneficio factum esset, ut ad poëseos studia insignia civitas eveheretur ea, cujus in solo sepultus ille esset. Jam vero nec lyricam poësin Ietas nec dramaticam insigni successu coluisse certissimum est; neque iis quidem temporibus, quae Persico bello inferiora sunt, poësis epica apud eos floruisse videtur; itaque nihil aliud relinquitur, nisi hoc ipsum, satis antiquis temporibus veterem illam poësin epicam apud eos floruisse, eam dico, quae profecta est ab Homero faciendoque sibi placuit carmina Iliacis et Odysseacis similia. Possis quidem contendere, revera Homerum apud Ietas sepultum fuisse.

Sed hoc si probaveris argumentis allatis, non fabulas istas esse de Homero apud Ietas sepulto, sed revera sepultum illum ibi fuisse, etiam probabiliorem reddideris eam sententiam, quam commendavi, floruisse olim apud Ietas scholam Homericam. Neque vero Ietae in eo acquieverunt, ut apud sese Homerum mortuum esse sepultumque contenderent sacraque illi facerent; natione quoque eum Ietam fuisse autumabant; matrem Io fuisse oriundam; patrem aliquem genium eorum e numero fuisse qui cum Musis ducerent choreas Aristoteles refert, cujus narrationem, memoratam Diss. 1 p. 77, ex Ietarum fabulis domesticis haustam esse liquet. Nomen tamen matris quod Aristoteles exhibet, Critheidis, e fabulis Smyrnaeorum transsumptum videtur, quos matrem Homeri Critheidem nympham vocasse, fluvium Meletem patrem supra legisti; nam Ietas Clymenen Homeri matrem dicere narrat Pausanias l. c. 10, 24, 3. Idem Pausanias auctor est non solius Homeri tumulum ostendere Ietas, sed matris quoque Clymenes; hanc autem Io fuisse oriundam oraculo quodam evincere studebant, quod vario modo expressum et Aristoteles profert et Pausanias, qui Delphis illud inscriptum Homeri statuae sese ipsum legisse scribit 10, 24, 2. Cfr. Anth. Pal. 14, 65. 66. Ietam Homerum fere omnes vitarum scriptores dici narrant a quibusdam, in quibus Aristotelem vidimus esse, Bacchylidem, Timomachum; quibus accedunt alii auctores, quos hoc loco enumerare non opus est. Haec omnia si animo perpendimus, facere non possumus quin Ietis id certe concedamus, fuisse gentem apud eos Homericam, quae conferenda sit cum Homeridis Chiis Creophyliisque Samiis. Obstare videtur hoc unum, quod, quum Chios viderimus Homeridas suos argumento habuisse, cui innisi Homerum ipsum Chium fuisse demonstrarent, Ietas non legimus Homerum sibi eam ob rem vindicasse, quod Homerica ejusmodi gens apud se quoque reperiretur. Sed hoc facillime explicari potest. Namque ut taceam monumentorum antiquorum ruinam, quae tanta est, ut in hac re ex eorum silentio qui sunt servati scriptores nihil fere concludere liceat, primum sepulcra illa, quorum alterum Homeri, alterum matris Homeri esse nemo, quantum scimus, negare ausus est, longe gravissima ejus quam Ietae demonstrare volebant rei argu-

menta haberi potuerunt vel etiam debuerunt, quibus addere alia quae longe minoris momenti essent argumenta nimium videretur. Dein Homerum nomine procul dubio non magis quam Creophylii referebat gens ea Homerica, quae in Io insula sedem collocaverat; Chia vero Homeridarum gens argumento, Homerum Chium fuisse, non propterea fuit, quod Homericorum carminum cognitione esset imbuta: hanc enim cum Creophyliis Samiis certe communem eam habuisse nemo negabit: sed quia nomen ipsum Homeridarum ei soli esset genti. Porro sumere licet, iis temporibus, quibus libri de Homero scribi coepti sunt, gentem Ietarum Homericam exstinctam jam fuisse; Homeridas Chiorum iis temporibus nondum fuisse exstinctos certum est, qua de re conferas Diss. 1 p. 191.

Quae de Ietarum modo disputavimus Homerica gente, ea paucis mutatis de aliis quibusdam civitatibus valent, quas veteres scriptores Homeri patrias dicunt, nos sedes habere debemus Homericarum gentium. Fuisse vidimus praeter Homeridas Chiorum duas ejusmodi gentes: alteram in Samo insula, alteram in Io. Sed fuerunt plures.

M i l e t u m, caput totius Ioniae, insignem Homericae poëseos fuisse sedem, vel eam ob rem conjiciendum est, quod Milesius natione fuit A r c t i n u s, vetustissimus quantum scimus atque clarissimus cyclicorum poëtarum omnium. Referebant ad Arctinum quattuor carmina cyclica, A e t h i o p i d e m, quam continuatam fuisse Iliadi Homeri Diss. 1 p. 204 exposui, *Ἰλίου πέρσιν*, T i t a n o m a c h i a m, T h e b a i d e m c y c l i c a m. De Thebaide conferas Welckerum Ep. cycl. 1 p. 32 sqq (imprimis p. 35. 37) 1 p. 198 sqq (imprimis p. 204) 2 p. 320 sqq (imprimis p. 376 not. 136) 546 sqq et quae ego injeci Jahn. annall. 67, 4, 402. Titanomachiam alii E u m e l o C o r i n t h i o adscribebant, de quo videndus Welckerus Ep. cycl. 1 p. 274 sqq; de Titanomachia vide praeterea eundem 1 p. 218 sq 2 p. 409 sqq 555 sqq. Ilii persin et Aethiopidem Welckerus illustravit 1 p. 212 sqq 2 p. 169 sqq 521 sqq. Expresse Homeri discipulus Arctinus narratur fuisse a Tzetza Chill. 13, 641 et ab Artemone Clazomenio illo, cujus mentionem feci Diss. 1 p. 61 sqq. Hujus Artemonis testimonium exstat apud Suidam s. v. *Ἀρκτῖνος*, quo ex loco efficitur, Artemonem etiam stemma

gentis illius ante oculos habuisse, ex qua Arctinus oriundus fuit; haec enim leguntur apud Suidam: *Ἀρκτῖνος, Τήλεω, τοῦ Ναύτεω ἀπογόνου, Μιλήσιος, ἐποποιός, μαθητὴς Ὁμήρου, ὡς λέγει ὁ Κλαζομένιος Ἀρτέμων ἐν τῷ Περὶ Ὁμήρου· γεγονὼς κατὰ τὴν θ' Ὀλυμπιάδα, μετὰ τετρακόσια ἔτη τῶν Τρωικῶν.* Pro *κατὰ τὴν θ' Ὀλυμπιάδα μετὰ τετρακόσια ἔτη τῶν Τρωικῶν* legendum esse *κατὰ τὴν α' Ὀλυμπιάδα μετὰ νη' ἔτη τῶν Τρωικῶν* in Jahnii annall. docui 67, 4, 378. Sic si legimus, cum reliquis aliorum scriptorum de Arctini aetate notationibus, quas l. c. collegi, Artemonis temporum quadrat definitio, ita ut Arctinum Ol. 1, 2 = 775 a. Chr. floruisse pro certo affirmare liceat. Gentem vero eam, ex qua Arctinus oriundus fuit, ut Homeridas Chios, hereditaria arte tractasse Homericam poësin negari non potest. Tulisse vero eam gentem praeter Arctinum etiam alios poëtas qui Homerica ut ita dicam ratione ipsi pangerent carmina probabile duco; quorum in numerum videtur referendus esse Melisander Milesius, vetustus poëta epicus, quem Aelianus V. h. 11, 2 Lapitharum et Centaurorum pugnam cecinisse scribit, argumentum ab Homero ipso *A* 268 *φ* 295 sqq leviter perstrictum.

Maximam sibi comparaverunt Milesii gloriam coloniarum in varias regiones deductarum multitudine, ex quibus una hoc loco nominanda est Proconnesus, in Propontidis insula collocata, quam Strabonis duobus locis 13, 587 et 590 inter sese collatis intelligis occupasse Milesios regnante in Lydia Gyge; regnavit autem is secundum Herodotum ab anno 716 a. Chr. n. Colonis Proconnesum deductis pars gentis illius Homericae videtur interfuisse, quae Mileti habitabat. Proconnesius certe fuit Aristeas, quem praestigiatorem veteres nonnulli dicunt scriptores fuisse, clarum fuisse poëtam atque auctorem Arimaspeorum carminis epici omnes consentiunt. Vide Bodii librum de epica Graecorum poësi scriptum p. 472 sqq. Hunc Aristeam teste Strabone 14, 639 (Eustath. *B* 730 p. 331, 6) Homeri praeceptorem fuisse narrabant; aetate superiorem Homeri appellat Tatianus Orat. ad Graecc. cap. 41. Quae fabulae alia ratione explicari nequeunt, nisi ea, ut Aristeam scholam Homericam Proconnesi aperuisse statuamus. Qua in schola quum primus Proconnesi carmina docuisset Homerica,

evenit ut posteri ab illo Homerum ipsum edoctum esse fabularentur. Vixisse autem Aristeam iis ipsis temporibus, quibus coloniam Milesii Proconnesum deducerent, complures suadent rationes, quas exposui in Jahnii annalibus 67, 4, 407.

Proconneso jam gradum transferamus in Cyprum insulam. Cyprios Homerum ipsum sibi vindicasse complures loci docent et vitarum Homeri et aliorum scriptorum, quorum unum Epiphanii Diss. 1 p. 13 protuli, duos paullo ante in hac ipsa dissertatione, Ciceron. Pro Arch. cap. 8 et epigramma Anthologiae Planud. 4, 299. Eucloi cujusdam vatis vetusti natione Cyprii, qui testibus Pausania 10, 12, 6. 10, 24, 3 et Tatiano cap. 41 aetate Homeri superior fuisse ferebatur, versus nonnullos Pausanias 10, 24, 3 profert, quibus Homeri natales praedicuntur: *καὶ τότ' ἐν εἰναλίῃ Κύπρῳ μέγας ἔσσετ' ἀοιδός, | ὅν τε Θεμιστὼ τέξει ἐπ' ἀγροῦ δῖα γυναικῶν, | νόσφι πολυκτεάνοιο πολυκλείτου Σαλαμῖνος κτἑ.* Quae hoc loco indicantur, secundum Cypriorum sententiam Homerum natum esse *ἐπ' ἀγροῦ νόσφι Σαλαμῖνος*, cum iis conferenda quae Epiphanius dicit loco Diss. 1 p. 13 apposito: *ἄλλοι δὲ* (int. *Ὅμηρον φάσκοντες*) *Κύπριον προποδιάδος περιοικίδος τῆς Σαλαμινίων περιμέτρου.* Themistonem Homeri matrem a Cypriis vocari Pausanias l. c. suis ipsius verbis confirmat: *Κύπριοι δὲ (οἰκειοῦνται γὰρ δὲ καὶ οὗτοι Ὅμηρον) Θεμιστώ τε αὐτῷ μητέρα εἶναι τῶν τινα ἐπιχωρίων γυναικῶν λέγουσιν.* Patrem Homeri a Cypriis Demagoram vocatum fuisse docet epigramma Anthol. Pal. 7, 5; Calliclem Cyprium Homerum, patrem ejus autem Dmasagoram perhibuisse vidimus Diss. 1 p. 93. Cypriorum carmen quum a permultis ad ipsum Homerum referretur, ab aliis multis ad Stasinum, orta est narratio, Homerum illud Stasino pro dote suae filiae dedisse, quam Stasinus in matrimonium duceret. Hanc fabulam Diss. 1 p. 167 narravi respexisse Pindarum, ex quo tamen relatum non legimus nomen quod fuerit Homeri genero illi. Nomen Stasini addit Proclus eandem quam Pindarus narrationem proferens ap. Photium cod. 239. Suidas s. v. *Ὅμηρος* sic: *γήμας δ' ἐν Χίῳ Ἀρησιφόνην, τὴν Γνώτορος τοῦ Κυμαίου θυγατέρα, ἔσχεν υἱεῖς δύο καὶ θυγατέρα, ἣν ἔγημε Στασῖνος ὁ Κύπριος. οἱ δ' υἱεῖς Εὐρυφῶν καὶ Θεόλαος.* Tzetz. Chiliadd.

13 vs. 634 sqq *σύνευνος ἦν Ὁμήρου δὲ τὴν κλῆσιν Εὐρυδίκη, | Γνώστορος εἴτε Πάστορος θυγάτηρ τοῦ Κυμαίου. | Σερίφων καὶ Θεόλαος υἱοὶ δὲ τοῦ Ὁμήρου, | θυγάτηρ Ἀρσιφόνη δέ, ἣν ἔγημε Στασῖνος, | Στασῖνος ὁ τὰ Κύπρια συγγράμματα ποιήσας, | ἅπερ οἱ πλείους λέγουσιν Ὁμήρου πεφυκέναι, | εἰς προῖκα δὲ σὺν χρήμασι δοθῆναι τῷ Στασίνῳ.* In Cypro insula carmen Cypriorum compositum esse apparet, itidemque hymnos duos Homericos, quorum verbis supra appositis docemur, certamina musica, quibus Homerica carmina recitarentur, in Cypro, nominatim apud Salaminios fuisse instituta. Haec omnia eo nos ducunt, ut in Cypro quoque insula fuisse aliquam gentem statuamus, quae Homeri carminibus sese daret ediscendis, recitandis, tradendis; qua in gente poëtae exstitisse videntur complures, qui similia ipsi Homericis carmina conficere non infelici successu conarentur. Id si statuimus, hoc quoque explicari potest, qui factum sit ut praeter Homerum ipsum non solus Stasinus Cypriorum diceretur auctor, cujus in locum alios suffecisse Halicarnassensem Hegesiam vidimus, alios Hegesinum Salaminium. Plures Cypriorum auctores fuisse, non unum, indicare videtur scholium V *Π* 57 *τὴν Πήδασον οἱ τῶν Κυπρίων ποιηταί, αὐτὸς δὲ* (*Β* 690) *Λυρνησσόν.* Sed hoc loco pro *οἱ τῶν Κυπρίων ποιηταί* rescribere malim *ὁ τῶν Κυπρίων ποιητής.* Rettulisse igitur veteres totum carmen ad unum auctorem crediderim, quem alii Homerum, alii Stasinum, alii Hegesiam Halicarnassensem, alii Hegesinum Salaminium contenderent fuisse.

Jam Hegesinum hunc Salaminium ex eadem illa gente Homerica oriundum fuisse apparet, cujus primarius poëta Stasinus fuit; ad Halicarnassensem vero illum quod attinet Hegesiam, nihil impedit quominus gentis illius Cypriae partem Halicarnassi sedem collocatam habuisse sumamus; ut Proconnesi partem Milesiorum gentis Homericae cum Aristea poëta consedisse probabile est. Qua in re id magni videtur esse momenti, quod literarum atque imprimis epicae poëseos studium apud Halicarnassenses maxime floruisse constat. Halicarnassensis enim fuit Herodotus historicus celeberrimus; Halicarnassensis Panyasis, Herodoti avunculus, poëta inter

epicos clarissimus, de quo egi Diss. 1. p. 181 sqq; Halicarnassensis Pigres ille, Artemisiae reginae frater, quem in hac dissertatione tetigi. Compositam ab eo Batrachomyomachiam videri, Iliadem et Margitem versibus multis interpositis amplificatum narravi. Quartum adde vetustiorem illum Panyaside et Pigrete Hegesiam Halicarnassensem, quem, quum pertineret ad Cypriorum gentem Homericam, ipsum Halicarnassenses dicebant Cypriorum carminis auctorem.

Margitis carmen quin Colophone sit conditum hodie quantum scio nemo dubitat. Praeter Margitem unum ex illis carminibus, quae Homero ipsi vulgo adscribebant, a Colophonio poëta factum esse narratur, Nosti, quos grammatici plerique ad Agiam s. Hegiam Troezenium rettulisse videntur, de quo conferendus Welcker Ep. cycl. 1, 278 sqq. Sed Colophonium poëtam esse Eustathius ad π 118 p. 1796, 52 dicit, antiqui procul dubio scriptoris secutus auctoritatem. Atque habet sane ea opinio probabilitatis aliquam speciem. Nostorum enim narrationi cuidam e Procli Chrestomathia Colophonem ipsam immixtam fuisse intelligitur tali modo, ut vix possis quin illa certe in parte carminis, qua Colophon celebrata fuerit, manum agnoscas Colophonii poëtae. Itaque sic fortasse statuendum est, Nostorum quidem carmen illud, quod Proclus ante oculos habuit, ab Agia Troezenio esse compositum; hausisse vero nonnullas narrationes vel transscripsisse partes quasdam parum immutatas Agiam e carmine antiquioris alicujus poëtae, qui natione esset Colophonius. Quod eo facilius credi potest, quia Colophone quoque gentem quandam fuisse Homericam, ad quam Margitae certe pertineret poëta, certissimum videtur. Loco illo quo Homerum ipsum scholas habuisse Margitemque fecisse teste Certaminis auctore cap. 1 Colophonii narrarent, gentem illam Homericam scholas habuisse tuo jure conjeceris. Quas scholas a Colophoniorum pueris admodum frequentatas fuisse Xenophanes prodit vetus ille poëta philosophus Colophone oriundus, cujus de studiis et odiis Homericis nonnulla protuli Diss. 1 p. 129 sqq. Ibidem p. 131 versum eum commemoravi qui hoc loco iterum proferendus est: ἐξ ἀρχῆς καθ' Ὅμηρον ἐπεὶ μεμαθήκασι πάντες.

Atque illud quoque quod attigi Diss. 1 p. 205 in memoriam tibi revocabo, multos procreasse poëtas clarissimos Colophonem, cujus rei caussam primariam jam intelligis positam fuisse in ipsis illis Homericae Colophoniorum gentis studiis, quibus poëticus quidam excitaretur atque aleretur sensus atque fervor. Fuerunt Colophone oriundi tot tantique poëtae, ut Nicander, doctissimus poëta, natione et ipse Colophonius, librum de iis scriberet peculiarem, cujus mentionem feci Diss. 1 p. 62.

Smyrnaeum fuisse Homerum tam constans erat fama, ut in nullo fere patriarum Homeri urbium catalogo Smyrna desideretur. Quam fabulam multi proferunt, Meletis fluvii, qui Smyrnam praeterfluit, et Critheidis nymphae filium vocari Homerum, eam Smyrnaeorum ipsorum fuisse patriam atque peculiarem et per se liquet et expresse testatur Certaminis auctor loco proposito supra, cap. 1. Eandem famam sequi Tzetzes Exeg. Iliad. p. 8 nobiliorem et majorem scriptorum partem narrat. Pausanias 7, 5, 6 ad fontes Meletis in agro Smyrnaeorum specus esse dicit, in quo Homerum carmina sua fecisse Smyrnaei perhibeant. In urbe ipsa Homereum esse Strabo loco prolato supra 14, 646 refert, porticum cum templo et statua Homeri; exstructam vero esse a Smyrnaeis eam porticum, propterea quod illi imprimis Homerum sibi suum civem vindicarent; inde nummorum aeneorum quoque genus quoddam illos Homereorum nomine designare. Haec omnia dubitare nos non sinunt, quin aliquid veri in fabulis illis lateat, quas de Homero Smyrnae et a Phemio edocto et postea alios edocente vita Pseudoherodotea exhibet. Namque ut in medio relinquamus, utrum Homerus ipse Smyrnae scholas habuerit necne, ut apud Chios, Samios, Ietas, Milesios, ceteros, ita apud Smyrnaeos quoque scholas quondam Homericas ab aliqua gente Homerica habitas esse apparet.

Firmatur haec sententia etiam ea re, quod et ad Colophonios et ad Chios Homericorum carminum accurata cognitio a Smyrnaeis defluxisse videtur. Smyrna Homerum vita Pseudoherodotea cap. 9 sqq Cymen narrat profectum esse, inde vero (cap. 15) Phocaeam, ubi Thestorides ludimagister victum illi praebuerit ea conditione, ut ipse carmina acciperet

et ea quae Homerus jam fecisset et si quae esset facturus. Itaque apud Thestoridem quum degeret Phocaeae Homerum Iliadem fecisse parvam cap. 16 Pseudoherodotus refert et Phocaidem quam dicant Phocaeenses apud sese composuisse Homerum. Haec carmina et reliqua quae fecisset Homerus quum descripsisset (adjudicat enim vita Pseudoherodotea Homericis temporibus usum scriptoriae artis) Thestoridem Phocaea Chium sese contulisse ibique scholam aperuisse et recitasse carmina Homeri ut sua. Homerum vero Phocaeae relictum ut antea vitam sustentasse carminibus faciendis et recitandis. Venisse autem non ita multo post Chios nonnullos mercatores Phocaeam; eos, quum Homerum carmina sua recitantem audivissent, huic nuntiasse, eadem carmina ludimagistrum quendam in Chio insula ut sua recitare magna cum laude. Quod quum comperisset, Homerum ipsum primum Phocaea Erythras, dein Erythris in Chium insulam esse profectum; ibi primum commoratum eum esse in vico quodam, cui nomen fuerit Bolissi. In hoc vico secundum Ephorum quoque Homerum degisse legisti Diss. 1 p. 100. Vita Pseudoherodotea Homerum addit Bolissi liberos Chii cujusdam instituisse, qui ipsum hospitio excepisset; confecisse autem ibidem Homerum Cercopum carmen, Batrachomyomachiam, Psaromachiam, Heptapacticam, de qua cf. West. ad vit. Hom. 3 lin. 70, Epicichlides, reliqua παίγνια omnia. Thestoridem, quum Homerum adesse rescivisset, ex insula profugisse. Bolisso postea Homerum in ipsam Chiorum urbem sedem transtulisse, ibique scholam aperuisse, in qua pueros sua carmina doceret. Opes dein quum congessisset, uxorem eum duxisse procreasseque liberos; fecisse autem Homerum eo tempore, quo in ipsa Chio urbe habitaret, Odysseam et Iliadem.

Has omnes fabulas esse concedere debemus; fabulas tamen esse, in quibus multum lateat veri. Chium quod Homerus pervenisse dicebatur ibique domicilium constituisse, factum esse nemo negabit propterea quod Homericae poëseos sedes Chius erat; simili autem ratione explicanda esse apparet, quae de Homero Cymen, Phocaeam, Erythras itinera faciente narrantur. Quae civitates quin Homericis studiis vetustis jam temporibus sese dederint nulla est dubita-

tio. Et de Erythris quidem quae dici possunt collegi in dissertatione priori p. 110; ex quibus tamen hoc concludere non licet, sedem Erythras fuisse gentis Homericae. Nec dicitur Homerus scholas habuisse Erythris, sed unum diem commoratus ibi esse. De Cumaeis infra pluribus agam. Restant Phocaeenses, apud quos quin gens Homerica sedes constitutas habuerit nullus dubito. Qua ex gente oriundus haud dubie fuit Thestorides ille, qui Homerum hospitio excepisse ejusque carmina, Phocaidem, Iliadem parvam, alia sua fecisse narratur. Parvam Iliadem secundum nonnullos a Thestoride Phocaeensi esse factam scholium Euripid. Troadd. 821 perhibet; a plerisque autem Lesches Lesbius ejus carminis habebatur auctor. Contra Phocaidis, quam Phocaeenses apud se ab Homero factam dicere expresse addit Pseudoherodotus, omnes Phocaeensem habuisse auctorem videntur. Accedit tertium carmen epicum Minyadis, quam Pausanias 4, 33, 7 a Prodico Phocaeensi factam dici perhibet, Welcker autem Ep. cycl. 1 p. 253 sqq idem carmen esse censuit atque Phocaidem. Memoranda porro quae Proclus introd. Scholl. Hesiod. Opp. p. 6 Gaisf. et Tzetzes introd. Scholl. Hesiod. Opp. p. 15 Gaisf. et ad Opp. vs. 236 et Chiliadd. 12 vs. 206 narrant, ab Homero illo vetere poëseos patre distinguendum esse alium ejusdem nominis poëtam epicum, aetate illo inferiorem, natione Phocaeensem, Homerum Euphronis filium, Hesiodi aequalem. Dein ea quoque Phocaeensium studia Homerica spectare Welckerus Ep. cycl. 1, 251 recte statuit, quae Suidas de genealogia Terpandri tradit, ineuntis a. Chr. saeculi septimi citharoedi illius clarissimi, quem *τοῖς ἔπεσι τοῖς Ὁμήρου μέλη περιτιθέντα ᾄδειν ἐν τοῖς ἀγῶσι* prooemiisque ab ipso factis praelusisse iisdem *ἔπεσιν* imitatoremque fuisse Homeri legisti Diss. 1 p. 81. Hunc igitur Terpandrum Suidas s. v. *Τέρπανδρος* perhibet nepotem fuisse Phocei (*τοῦ Φωκέως*), Phoceum nepotem Homeri. A veteribus autem scriptoribus Phocaeenses (*Φωκαεῖς*) etiam *Φωκεῖς* appellantur nomine Phocensium, quorum coloni illi erant. Sic apud Tzetzam et Proclum locis modo laudatis Phocensis constanter dicitur Phocaeensis ille Homerus: *ὁ τοῦ Εὔφρονος παῖς ὁ Φωκεύς, τοῦ Φωκέως Ὁμήρου, Ὅμηρον τὸν Φωκέα, τὸν Φω-*

κέα Ὅμηρον; sic Thestoridem auctorem Parvae Iliadis scholium Euripid. modo laudatum Θεστορίδην Φωκέα dicit, non Φωκαέα. Filium vero Homeri, patrem Phocei Suidas s. v. Τέρπανδρος nominat Euryphontem, quem alio loco s. v. Ὅμηρος susceptum esse ab Homero ait ex uxore apud Chios in matrimonium ducta. Thestoridem Phocaeensem illum, qui Homerum excepisse narratur, nomine refert Thestor Chius, pater Parthenii Chii memorati Diss. 1 p. 191, qui, quum genus suum ab Homero deduxisse tradatur, quin ex Homeridarum gente Chiorum fuerit oriundus dubium non est. Itaque quum cohaerere inter sese arctissime scholas Chiorum et Phocaeensium Homericas appareat, concludendum hoc esse concedes e Pseudoherodoteae narratione, revera translata esse studia Homerica Phocaea in Chium insulam. Phocaeam, si solam Pseudoherodoteam spectes, Homerica poësis Cumis pervenisse videbitur. Demonstrabo autem infra, Cymen ipsam circa annum 700 demum a. Chr. n. sedem Homericae poëseos esse factam; unde sequitur, Cumis eam poësin Phocaeam translatam non esse; Chiorum enim, quos a Phocaeensibus Homerum accepisse vidimus, longe antiquiora haud dubie anno 700 a. Chr. studia fuerunt Homerica. Quod si reputaveris, relictum esse intelliges ut statuamus, non Smyrna Cymen, Cyme Phocaeam pervenisse Homerum, sed ab ipsis Smyrnaeis colendum eum accepisse Phocaeenses.

Venio ad Colophonios. Ad eos ut perspicias a Smyrnaeis poësin Homericam esse translatam, recordari eorum necesse est, quae de origine civitatis Smyrnaeorum supra injeci, duas iis quibus Aeolenses atque Iones in Asiam migrarent temporibus colonias Smyrnae consedisse, alteram Ionicam ab Ephesiis, alteram Aeolicam deductam a Cumaeis. Docuit hoc primus Odofredus Muellerus in literarum Graecarum historia 1, 72 sqq. Per aliquod is temporis spatium Iones cum Aeolensibus conjunctos Smyrnam habitasse demonstravit; postea vero dissidio orto Iones ab Aeolensibus ejectos esse atque Colophonem commigravisse. Ibi quum in civitatem recepti aliquamdiu habitassent, contigisse iis, ut Smyrnam bello recuperarent Aeolensesque expellerent. Quo facto Smyrnam in Ionicarum duodecim civitatium foedus esse

receptam. Recuperatam vero ab Ionibus Smyrnam esse non multum ante Gygis aetatem regis Lydorum, quem secundum Herodotum ab anno 716 a. Chr. regnasse supra monui.

Haec igitur qui diligentius ponderaverit, eum concessurum esse confido, inter Iones, qui Smyrna expulsi ab Aeolensibus Colophonem sese conferrent, gentem Smyrnaeorum fuisse Homericam; hanc Colophone cum illis sedem collocasse; antea Colophone scholas Homericas non esse habitas; ex eo vero tempore effloruisse studia Colophoniorum Homerica; postea, quum Colophonii recuperassent Smyrnam, non omnem quidem gentem illam, attamen aliquam ejus partem rediisse Smyrnam.

Attingendam hic mihi esse sentio quaestionem saepius vexatam, Homerus genere utrum Ion fuerit an Aeolensis. Ab Aristarcho Ionem illum habitum esse scis; Atheniensem enim ab Aristarcho habitum esse Diss. 1 p. 31 legisti. Aristophanes Byzantius atque Zenodotus in quam discesserint sententiam Diss. 1 p. 24. 55 traditum non esse rettuli; indicaturum tamen ibidem me esse promisi in hac altera dissertatione, quatenus conjectura quid illi statuerint indagare me posse arbitrer. Ionem vero ab utroque habitum esse Homerum facillimum est demonstratu, quum in varia lectione dijudicanda praetulisse utrumque eas pateat formas vocabulorum, quas Ionicas esse putarent; notatusque est ab Aristarcho Zenodotus quod proclivior esset ad Ionismum. Aristonici primum nonnullos proponam locos e scholiis A petitos: *Α* 530 *κρατός*: ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „κρητός“. οὐκ ἔστι δὲ Ἰακόν· „ἆψ Ὀδυσεὺς κατὰ κρᾶτα καλυψάμενος (ϑ 92)“. *Λ* 589 *Αἴανϑ᾽, ὃς βελέεσσι βιάζεται*: ἡ διπλῆ, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει ΑΙΑΝΤΟΣΒΕΛΕΕΣΣΙ. γενικὴ μὲν οὖν οὐχ ἁρμόζει, ὥστε δέχεσϑαι τοῦ Αἴαντος· εἰ δὲ καὶ κατὰ συναλοιφὴν ἐν τῷ ψιλῷ ἀντιστοίχῳ γέγραφεν, ἵν᾽ ᾖ τὸ πλῆρες „Αἴαντ᾽ ὃς βελέεσσιν“, οὐκ ἔστι τῆς καϑ᾽ Ὅμηρον Ἰάδος τὸ ψιλοῦν τὰ τοιαῦτα. Verba τὸ ψιλοῦν tacite omisit Friedlaender. *Α* 271 *κατ᾽ ἔμ᾽ αὐτόν*: ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „κατ᾽ ἐμωυτόν“. τὸ δὲ πλῆρες ἐμὲ αὐτόν. *Ξ* 162 *εὖ ἐντύνασαν ἓ αὐτήν*: ἡ διπλῆ περιεστιγμένη, ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ἑωυτήν“. *Α* 56 *ὁρᾶτο*: ὅτι Ζηνόδοτος „ὁρῆτο“ γράφει· ἀγνοεῖ δὲ ὅτι Δωρικὸν γίνεται. *Α* 198 *ὁρᾶτο*: ὅτι Ζηνόδοτος γράφει „ὁρῆτο“.

τοῦτο δὲ Δώριον. Sequuntor Didymi aliquot loci itidem in codice A servati: Ξ 285 ὑπεσείετο: Ἀρίσταρχος „ὑπό", εἶτα „σείετο", Ἰακῶς. οὕτως καὶ Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης. Α 598 οἰνοχόει: οὕτως „οἰνοχόει" Ἀρίσταρχος, Ἰακῶς· καὶ ἐν τῇ Ἀργολικῇ καὶ Μασσαλιωτικῇ καὶ Ἀντιμαχείῳ καὶ ἐν τῇ Ζηνοδότου καὶ Ἀριστοφάνους. Ο 601 ἐκ γὰρ δὴ τοῦ ἔμελλε: Ἀριστοφάνης „μέλλε" Ἰακῶς. Ρ 234 ἔλπετο: οὕτως Ἀριστοφάνης διὰ τοῦ ε̄· γράφεται καὶ διὰ τοῦ η̄. Ξ 36 ἠιόνος στόμα μακρόν: διχῶς αἱ Ἀριστάρχου, „μακρόν" καὶ „πολλόν". Ζηνόδοτος καὶ Ἀριστοφάνης „πολλόν". Ν 733 τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι: Ἀριστοφάνης „πολλόν". Claudito agmen, ne Odyssea plane omissa esse videatur, unus locus Harll. scholl. ad ξ 522 ἕννυσθαι: Ἀριστοφάνης καὶ Ῥιανὸς „εἴνυσθαι" ὡς τὸ „θριξὶ δὲ πάντα νέκυν καταείνυον (Ψ 135)". Possem congerere plura; sed quae congessi rei satisfaciunt demonstrandae. Nam ut Rhianum missum faciam, secundi ordinis hominem, commemoratum illum Diss. 1 p. 47 sq, capita tria scholae Alexandrinae Ionem Homerum censuisse vides; nec dubitationi relinquitur ullus locus, quin plerique grammatici, qui ex illa prodierunt schola, viros illos principes hac in re sint secuti. Exstitisse tamen nonnullos certum est, qui aliter sentirent Aeolensemque esse Homerum contenderent. In his fuisse Hellanicum chorizontem, de quo Diss. 1 p. 56 sqq verba feci, Aristonici scholium ad Ο 651 appositum suadere videtur, uti monui Diss. 1 p. 85; quamquam ejusdem scholium ad Ε 269 perscriptum Hellanicum etiam Doricas formas Homero obtrusisse patefacit. Porro Zopyro Magneti et Dicaearcho Aeolensem visum esse Homerum e fragmento illo intelligitur, quod tractavi Diss. 1 p. 85, quo fragmento postulasse illi dicuntur, ut ad Aeolicae dialecti leges universa Homeri carmina conformarentur. Aeolensem dein fuisse Homerum Ephorus sibi persuasit, cujus narrationem Diss. 1 p. 99 sqq exhibui. Secundum Ephorum ibi legisti Critheidem genere Cumanam, gravida quum facta esset Cumis, Smyrnam transportatam esse, ut Phemio Smyrnaeo in matrimonium daretur; quo facto Homerum illam partu edidisse ad Meletem fluvium. Ex Ephoro fluxisse videntur notationes servatorum scriptorum eorum, qui in catalogis patria-

rum Homeri urbium etiam Cumaeum genere Homerum dici a quibusdam simpliciter referunt. Ephori narrationi simillima ea est, quam suppeditat cap. 1—4 vita Pseudoherodotea; cujus auctor totum se in eo occupatum esse prodit cap. 37, ut Homerum neque Ionem, neque Doriensem, sed Aeolensem fuisse doceat. Disertis vero hic verbis narrat, inter colonos, quos Cumaei Smyrnam deducerent, matrem Homeri gravidam Smyrnam missam esse; qua ex re quo tempore vixerit Homerus concludit cap. 38.

Finxisse neque Ephorum ea, quae de Aeolica Homeri origine narrat, nec Pseudoherodoteae auctorem verisimile est. Namque stemma Homeri, quod Hellanicum et Pherecydem exhibuisse vidisti Diss. 1 p. 156—159, cum iis, quae de genere Homeri Ephorus et Pseudoherodoteae auctor proferunt, collata illa cum logographis quos modo nominavi Diss. 1 p. 160, in eum convenit modum, ut ineunte jam quinto a. Chr. saeculo vel eas quas apud Ephorum et in Pseudoherodotea legimus narrationes, vel illis simillimas per ora hominum volitasse appareat. Atque in eo certe consensisse omnes liquet, qui Aeolensem Homerum haberent, ut e colonia Cumis Smyrnam deducta oriundum crederent illum. Neque etiam potuerunt quin consentirent in eo; qui enim Aeolensem Homerum fuisse demonstrare gestit, Cumas si spreverit coloniamque Cumaeorum Smyrnam deductam, quo se convertat Homeri indagaturus patriam urbem Aeolicam non habebit. Nitebantur autem narrationes istae de Homero e Cumaea oriundo Smyrnam deducta colonia Cumaeorum procul dubio ipsorum fabulis. Horum enim intererat quam maxime Homerum sibi vindicare. Jam vero quum Homeri patriam apud plurimos constaret Smyrnam fuisse; hanc autem urbem antiquissimis temporibus Cumaeos diu solos habitasse cognitum esset: fieri non potuit quin Aeolensem fuisse Homerum multi sibi persuaderent genere Cumaeum, natum atque educatum Smyrnae. Firmari sententia imprimis videbatur eo, quod in carminibus Homericis formae vocabulorum multae reperiebantur Aeolicae dialecti propriae.

Rationes, quas tetigi, etiam nostra aetate Welckerum virum sagacissimum eo perduxerunt, ut in libro de Epico cyclo 1 p. 141 sqq in ipsam illam Ephori et reliquorum Aeoli-

zontium discederet sententiam. Fugit autem Welckerum consensus primum grammaticorum scholae Alexandrinae principum, Zenodoti, Aristophanis, Aristarchi, quos modo conspirasse in eo docui, ut Aeolensem Homerum fuisse negarent Ionicaeque eum vindicarent stirpi; fugit dein id, quod post Welckeri librum editum in Jahnii ann. 67, 3, 259 exposui, refutasse olim Aristarchum singulas rationes eorum, qui Aeolensem Homerum dixissent, prolatisque argumentis profligasse hanc quidem totam quaestionem, quam, quum a veteribus grammaticis accuratissime disceptata esset, ut novam Welcker extulit; fugit denique, quod post Welckeri librum editum primus Odofredus Muellerus demonstravit, initio Smyrnam non a solis Cumaeis fuisse habitatam, sed una cum Cumaeis ibi consedisse coloniam Ionicam Epheso profectam. Quae quum ita sint, ambigi amplius non potest, Homericam illam gentem, quae Smyrnae sedem collocaverat, et, si Homerus ipse Smyrnaeus fuit, Homerum quoque ipsum non ad Aeolicam, sed ad Ionicam Smyrnaeae civitatis pertinuisse partem. De formis vocabulorum Aeolicis, quae in Homeri carminibus reperiuntur, vide, si tanti est, quae in Jahnii annall. monui 67, 3, 259 sqq 67, 4, 405.

Floruisse tamen apud Cumaeos quoque Homericam poësin negari vix potest. In agro Cumaeorum haud procul ab urbe ipsa oppidulum situm fuit Neonteichos a Cumaeis conditum. Eo Homerum quondam pervenisse fabulae ferebant quaedam, quarum supra injeci mentionem. Nunc jam addendum videtur, fuisse revera Neonteichos sedem gentis alicujus Homericae. Commonstrasse enim Pseudoherodoteae auctor narrat 9. 10 Neoteichitas locum, quo carmina Homerus recitasset, ut victum sibi compararet; populum ibi nigram conspici, quam provenisse illi autumarent ex quo Homerus Neonteichos perveniret; sacrum Neoteichitis fuisse locum. Hunc igitur locum celebratum quondam fuisse scholis Homericis non est quod ambigas. Addebant Neoteichitae teste eodem illo Pseudoherodoteae auctore, Homerum apud se recitasse carmen, cui Amphiarai expeditioni erat titulus, atque hymnos in Deos factos. Facta esse ea carmina apud Neoteichitas, apud quos Homerus sese primum carminibus faciendis dedisse tra-

datur, Welckerus e verbis vitae conclusit p. 200 sqq 180. Sed hoc fieri nequit ut concedamus. Vita Pseudoherodotea cap. 8 sq dicit Homerum carmina primum pepigisse Smyrnae, quum obcaecatus Colophone rediisset; postea eum Cumas profectum esse mansisseque in eo itinere apud Neoteichitas; ibi enim quum consistens ad officinam quandam coriariam versibus quinque extemporalibus salutasset Neoteichitas hospitiumque sibi petivisset, Tychium coriarium eum excepisse; cujus officinam quum primum intrasset, Amphiarai eum expeditionem et hymnos recitasse coram Tychio hospite et aliis multis hominibus, qui forte adessent. En tibi ipsa verba Graeca: *ἐκ δὲ τῆς Κολοφῶνος τυφλὸς ἐὼν ἀπικνέεται εἰς τὴν Σμύρναν καὶ οὕτως ἐπεχείρει τῇ ποιήσει. χρόνου δὲ προιόντος ἐν τῇ Σμύρνῃ ἄπορος ἐων τοῦ βίου διενοήθη ἀπικέσθαι ἐς Κύμην, πορευόμενος δὲ διὰ τοῦ Ἕρμου πεδίου ἀπικνέεται ἐς Νέου τεῖχος, ἀποικίην Κυμαίων .... τῷ δὲ σκυτεῖ ὄνομα ἦν Τύχιος* (leg. *Τυχίος?*). *ἀκούσαντι δὲ τῶν ἐπέων ἔδοξεν αὐτῷ δέξασθαι τὸν ἄνθρωπον· ἠλέησε γὰρ αἰτέοντα τυφλὸν καὶ ἐκέλευσεν εἰσιέναι τ' αὐτὸν εἰς τὸ ἐργαστήριον καὶ μετέξειν ἔφη τῶν παρεόντων. ὁ δ' εἰσῆλθεν. κατήμενος δ' ἐν τῷ σκυτείῳ παρεόντων καὶ ἄλλων τήν τε ποίησιν αὐτοῖς ἐπεδείκνυτο, Ἀμφιάρεώ τε τὴν ἐξελασίαν τὴν ἐς Θήβας καὶ τοὺς ὕμνους τοὺς ἐς θεοὺς πεποιημένους αὐτῷ, καὶ περὶ τῶν λεγομένων ὑπὸ τῶν παρεόντων ἐς τὸ μέσον γνώμας ἀποφαινόμενος θωύματος ἄξιος ἐφαίνετο εἶναι τοῖς ἀκούουσιν.* Pepigisse igitur et Amphiarai expeditionem et hymnos non apud Neoteichitas Homerum sed Smyrnae vita Pseudoherodotea narrat, quod me latuisse aegre fero illo tempore, quum disputationem conscribebam adversus Welckerum illam in Jahnii annall. 67, 4, 401 sqq publicatam, qua illius conjecturam refutasse mihi videor, vetustissimam fere omnium fuisse scholam Neoteichitarum Homericam. Demonstravi autem ea disputatione, circa annum fere septingentesimum a. Chr. n. scholam illam esse apertam; in quam sententiam quum aliae quas l. c. exposui deducunt rationes tum id maxime, quod Pseudoherodotus narrat Homerum, apud Neoteichitas quum aliquamdiu commoratus esset, in Cumam urbem ipsam pervenisse ibique, quum primum pervenisset, epitaphium scripsisse Midae Phrygum

regi eo tempore defuncto. Et de hoc quidem Midae epitaphio conferas dissertationem priorem p. 126. Narratio autem vitae Pseudoherodoteae cum iis congruit, quae profert Certaminis auctor 14. 15. Jam vero Midam illum Phrygum regem certissimum est eum esse Midam, qui ab Eusebio anno 694 a. Chr. n. obiisse traditur. Firmari Eusebii testimonium multis aliis l. c. docui convenireque omnia tam egregie, ut anno fere 700, quum aliqua gens Homerica in agro Cumano apud Neoteichitas sedem collocasset, Homericam poësin ad Cumaeos perlatam esse pro certo habere debeamus.

Tempus jam quo schola Neoteichitarum Homerica aperta sit quum accuratissime definiri posse videris, reliquarum Homericarum scholarum origines quaeris utrum tectae sint tam atra caligine, ut certis temporibus eas adscribere nullo modo possimus, necne. Ad hanc quaestionem ut tibi respondere possim, necesse est examinemus aetatis illas, qua Homerus ipse vixerit, varias definitiones a variis scriptoribus antiquis propositas; quarum definitionum maximus est numerus. Eae autem ut recte dijudicari possint, antea brevi comprehendenda sunt, quae de patria Homeri hucusque disputavimus.

Variarum igitur de Homeri patria sententiarum duo repperimus genera; quorum alterum in conjecturis solis nititur e carminibus Homeri derivatis, alterum in fabulis earum civitatium patriis, apud quas gentes quas dixi Homericas consederant. Earum gentium opera quum in illis civitatibus Homerica florerent studia, factum est, ut, si non omnium, attamen plurimarum civis Homerus ipse fuisse diceretur. Chios, Ietas, Cyprios, Colophonios, Smyrnaeos, Cumaeos Homerum sibi ipsum vindicasse scimus; reliqui, apud quos scholas Homericas fuisse vidimus, Samii, Milesii, Proconnesii, Halicarnassenses, Phocaeenses, sibi vindicasse illum non traduntur. Unde si quis colligendum esse ducat, revera nullam ex his civitatibus Homerum suum dixisse civem, vereor ne is audacius judicet quam rectius. Namque admodum probabile est, eorum, quae in singulis urbibus de Homero narrabantur, magnam partem traditam non esse; tradita esse ea tantummodo, quorum patroci-

nium aliquis scriptor doctus suscepisset. Quod si probaris, ex iis civitatibus, in quibus gentes Homericae consederant, eae tantummodo in catalogos Homeri patriarum relatae videbuntur esse, quas scriptores recte sibi vindicare Homerum censuissent. Scriptores autem in hac quaestione dijudicanda eam sibi videri exposui legem scripsisse, ut postulationes civitatium e locis quibusdam carminum Homericorum aestimarent, prout singuli singulorum carminum fidem ponderarent. Jam ut planum reddatur quod sentio, exemplum proferam unum. Samios quoque Homerum sibi vindicasse pono; sed nullum repertum esse in carminibus Homero adscriptis locum quo dici videretur, Homerum ipsum fuisse Samium; inde factum esse, ut nemo scriptor Samium illum fuisse contenderet; quod nemo scriptor contendisset, eam ob rem Samum in catalogos Homeri patriarum non esse relatam. Sed ut in iis civitatibus, in quibus antiquitus studia illa Homerica maxime floruerunt, fuisse nonnullas concedamus, quae Homerum sibi non vindicarent, nullam in iis fuisse pro certo habere licebit, quin Homerum aliquamdiu apud se commoratum esse atque scholas habuisse contenderet.

His vero civitatibus, in quibus antiquitus sedes fuerunt gentium Homericarum, alterum illud genus accedit Homeri patriarum, e virorum doctorum conjecturis solis profectum. Huc pertinere eos monui, qui Romanum fuisse contenderunt Homerum. Eadem ratio eorum est, qui Aegyptium illum praedicabant; alii Syrium, alii Babylonium, alii Chaldaeum fuisse autumabant, alii Italiotam, alii Lucanum, alii Thessalum, alii Argivum, alii Ithacensem, alii Pylium. Chaldaeum fuisse Homerum Zenodoto Crateteo vidimus Diss. 1 p. 60; de reliquis scriptorum locos videas apud Welckerum Ep. cycl. 1, 188 sqq. Ratiunculis quibusdam admodum levibus earum sententiarum omnium auctores niti ex Iliade atque Odyssea derivatis sponte patet; de nonnullis testimonia accedunt diserta. Nec omnes videntur dixisse serio; Lucianum certe, qui Babylonium fecit Homerum, hoc solum egisse apparet, ut hominum doctorum de Homeri patria irrideret contentiones. Alios tamen veri studio ductos esse vix negaveris.

Paucorum restant nomina populorum nondum enumerata, quae statim addam, ut uno conspectu omnes quas Homeri patrias dixerunt civitates complectaris. Atheniensem Homerum verbo nunc tango. Phrygem Homerum habes in catalogo Epiphanii Diss. 1 p. 13 apposito. Hic idem est atque Cumaeus Homerus, qui ab Epiphanio non memoratur; Phrygem enim dictum esse Homerum apparet ab iis, qui Homero ipsi vindicarent epitaphium Midae regis; hoc vero a gente Homerica, quae apud Neoteichitas in agro Cumano consederat, profectum esse vidimus. Ad eundem Cumaeum Homerum referendum videtur Grynei oppidi nomen in catalogo Suidae (vit. Hom. 7 West.) obvium. Gryneum enim vicus erat Cumis vicinus, conspicuus fano Apollinis inclyto, ad quod fortasse pars illius consedit gentis Homericae, quae apud Neoteichitas habitabat. Trojanum Homerum conjecturae deberi conjicerem ex Iliade praecipue petitae, nisi nomen vici cujusdam Troadis adderetur certi. Suid. l. c. *οἱ δὲ* (int. *ἔφασαν γενέσθαι Ὅμηρον*) *ἐκ Τροίας ἀπὸ χωρίου Κεγχρεῶν*. Steph. Byz. *Κεγχρέαι, πόλις Τρῳάδος, ἐν ᾗ διέτριψεν Ὅμηρος μανθάνων τὰ κατὰ τοὺς Τρῶας*. Haec me permovent, ut huic quoque loco, Cenchreas dico Troadis, cum Cumanorum gente Homerica rationes quasdam intercessisse credam. Nec praetermittendus Lesches Lesbius poëta Homericus, quem Parvam Iliadem, carmen cyclicum, composuisse vidimus. Floruisse is, uti monui in Jahnii annall. 67, 4, 410, Ol. 30, 3 = 658 a. Chr. traditur; scholas autem Homericas apud Cumaeos habitas vel Neoteichitas Lesbiis et vicinos maxime et cognatos frequentasse videtur; quibus quum Iliadem edoctus esset atque Odysseam et alia carmina Homerica, ipsum esse incitatum, ut simile sibi eligeret argumentum, consentaneum est. Quamquam Leschae, quum carmen ejus, Parvam Iliadem dico, ab aliis Thestoridae Phocaeensi adscriptum fuisse viderimus in hac dissertatione, ab aliis Diss. 1 p. 110 Erythraeo Diodoro, etiam cum Phocaeensium Homerica schola et cum Erythraeis Homericis necessitudinem quandam intercessisse proclive dixeris conjicere. Alterum vero Lesbium illum Homericum, Terpandrum, quem et in hac dissertatione et in priori p. 81 tetigi, suam Homericorum carminum cognitionem a Phocae-

ensibus traxisse probabile duco. Namque diserte is narratur genus traxisse a Phoceo, nepote Homeri; floruisse vero eum constat ineunte septimo a. Chr. saeculo, quo eodem tempore translatam demum fuisse ad Cumaeos exposui Homericam poësin; itaque apud Cumaeos certe Terpandrum carmina Homerica edoctum non esse apparet.

Lydum Homerum Epiphanius et Suidas exhibent; eum Maeonis filium Epiphanius vocat. Hunc non diversum esse a Smyrnaeo discimus ex Aristotelis narratione in Pseudoplutarchea vita priori servata. Ibi enim Homeri mater dicitur, Io gravida quum pervenisset Smyrnam, a Maeone, rege Lydorum, qui etiam tum Smyrnam tenerent, in matrimonium esse ducta; prognatum dein Homerum a Maeone esse susceptum; Lydi vero quum ab Aeolensibus Smyrna expellerentur, Homerum una cum illis urbem reliquisse. Conferenda est narratio Ephori in eadem Pseudoplutarchea vita priori servata. Ephorus Homerum generatum Cumis esse narrat, natum Smyrnae, patrem vero Cumaeum perhibet Maeonem; quod nomen in fabulas Cumaeorum Homericas e narratione irrepsisse patet illa de Maeone Lydorum Smyrnam habitantium rege; ipsa enim vox non Cumaeam sapit originem, sed Lydiam. Namque antiquum Lydis nomen fuit Maeonum, quo solo designari illos in Homeri genuina poësi Aristarchum diplis notasse legisti ante. Confer Aristarchum Lehrsii p. 237. Cum Ephori narratione supra jam dixi congruere ea, quae ex Hellanico et Pherecyde de Homeri prosapia Proclus afferat; patrem hic dicit lin. 18 Homeri ab illis appellari Maeonem; lin. 11 Maeonem Homeri patrem dici narrat ab iis, qui Smyrnaeum Homerum perhiberent. In vita quarta alii dicuntur Maeonem nuncupare patrem, alii Meletem fluvium; Maeonem Smyrnae generasse Homerum Charax ap. Suidam narrat; Certaminis auctor cap. 2 ab Hellanico et Cleanthe Homeri patrem Maeonem vocari tradit; cap. 4 a nonnullis idem ait avum Homeri maternum vocari Maeonem, patrem vero Meletem. Vides jam Maeonis nomen inhaerere solis narrationibus de Homero Smyrna nato; quae urbs quum a Lydis quondam fuisset habitata, Lydum fuisse Homerum Maeonis filium in promptu erat conjicere.

Rhodium Homerum reperimus apud Suidam et in

epigrammate ad Gellii 3, 11 adscripto. Huic Rhodio quid faciendum sit difficile est judicatu. Satis antiquis temporibus epicae poësi Rhodios dedisse operam testimonio sunt epici poëtae clarissimi duo, de quibus conferendus Bode in historia ep. Graecorr. poës. p. 499 sqq, Pisander Camirensis, qui medio fere septimo a. Chr. n. saeculo vixit, et Pisinus Lindius, qui superior fuisse Pisandro a Clemente Al. Stromm. 6 p. 277 Sylb. traditur. Sed quaeritur, utrum Homerica gens in Rhodo insula domicilium constituerit, an conjectura sola sit docti alicujus hominis epicis illorum Rhodiorum carminibus nisa, Homerum Rhodi vel degisse aliquamdiu vel etiam natum esse. Certe quae Welcker protulit Ep. cycl. p. 195 not. 300 p. 416 rei non satisfaciunt explicandae.

Paullo aliter cum Cretico Homero agendum est. Cnossium Suidas in vita Homeri dicit; Welcker Ep. cycl. 1 p. 195 not. 300 fictum esse ab hominibus doctis in gratiam Dictyis Cretensis conjecit, quem inter Graecos Trojam oppugnantes fuisse scripsisseque historiam belli Trojani narrant, ex qua hauserit Homerus; multis vero saeculis post Dictyis opus ipsum quum repertum esset in aliquo sepulcro translatum esse in linguam Latinam Claudii jussu vel Neronis imperatoris. Atque haec Latina quae fertur esse translatio etiam hodie exstat; qui infimae aetatis quin sit foetus, totae vero de Dictye isto vetere narrationes nugae tu noli dubitare: vide Bernhardyum Hist. Romann. litt. ed. 2 p. 571 sqq. Welckerum autem in hac re errasse docui Jahnii annall. 67, 4, 399 sqq. Dorienses enim Cretae, quum longum per tempus Homerum utpote Ionicum poëtam neglexissent, a Thaleta Gortynio clarissimo vate impulsos esse demonstravi, ut Homericis studiis non solum darent locum, sed etiam publica opera, ut antea jam Lacedaemonii, colenda ea curarent. Inde evenisse, ut Homerus Cnossius diceretur natione; Cnosum enim et caput Doriensium Cretae civitatium esse et in Homericis carminibus maxime celebrari; evenisse etiam id, ut Thaletas aequalis ab aliis haberetur Homeri, ab aliis paullo superior Homero. Explicari porro facillime, qui factum esset, ut Lycurgus teste Dione Chrysostomo or. 2 cap. 45 a quibusdam non ex Ionia, sed e Creta Homeri carmina Spartam transtulisse perhiberetur. Caussis

denique lucem affundi clariorem editionis illius carminum Homericorum Cretensibus propriae, de qua egi Diss. 1 p. 188 sqq.

Septem fuisse ea dissertationis prioris parte narravi editiones κατὰ πόλεις, Chiam, Cypriam, Sinopicam, Massalioticam, Aeolicam, Argolicam, Creticam; quas omnes civitatium fuisse, Homerum quae insigni prosequerentur honore. Et editiones quidem illas septem ad unam omnes tempestatibus bello Peloponnesiaco inferioribus confectas esse ibidem exposui; studia vero Homerica in civitatibus illis, quum editiones αἱ κατὰ πόλεις in lucem emitterentur, per longum jam tempus floruerant. Sinope et Massilia Homerum haud dubie coluerunt inde ex quo tempore deductae fuerunt; erat enim Massilia colonia Phocaeensium, Milesiorum Sinope; gentes vero Homericas et apud Milesios et apud Phocaeenses antiquissimis jam temporibus sedes habuisse collocatas supra demonstravi; conditam vero esse Massiliam anno a. Chr. 600 certum est; Sinopen Milesii condidisse videntur eadem fere aetate, qua Arctinus viguit. Duae aliae ex editionibus politicis, Cypria et Chia, populorum sunt, qui ipsi gentes Homericas in civibus suis numerarunt. Aeolica editio et Argolica non quidem a civitatibus constitutae fuerunt, in quibus olim gentes Homericae habitaverant; Argivos tamen vetusto jam aevo Homeri fuisse studiosos ut arbitremur vel laudes Argivorum suadent, quas carmina Homerica exhibent; qua de re conferas e. g. quae ex Herodoto protuli Diss. 1 p. 146. 147 et vitam Pseudoherodoteam cap. 28 Certamin. cap. 17. 18 Aelian. V. h. 9, 15. Homerum ipsum natione Argivum fuisse non popularis Argivorum fabula est, sed mera doctorum virorum conjectura. Aeolicam editionem Diss. 1 p. 189 statui non Cumaeis deberi, sed Lesbiis, quos medio et ineunte a. Chr. saeculo septimo in Homericis studiis versatos esse Terpandri memoria et Leschae confirmat. Restat editio Cretica, cujus originem eos solos recte aestimare posse Jahnii annall. l. c. scripsi, qui vetustis jam temporibus Homerum tanti factum esse a Cretensibus reputarent, ut Homerus ipse diceretur Cretensis. Nec tamen ex ea re, quod Cretenses propriam sibi haberent Homericorum carminum editionem, colligi posse ibidem monui, Homerum ipsum appella-

tum fuisse Cretensem; nec inde colligi posse hoc intelligis, consedisse inter Cretenses olim gentem Homericam. Nam ut Massilienses et Sinopenses mittam, qui originem ducunt a civitatibus, quibus intererant gentes Homericae, nec apud Lesbios nec apud Argivos repertas fuisse ejusmodi gentes certum habeto.

Nec reliqua indicia illa studii Cretensium Homerici antiquis temporibus vindicandi, quae in Jahnii annalibus l. c. explicavi, quaeque Herodotum tractans Diss. 1 p. 145 enucleavi, dijudicare nos sinunt, Cnosus utrum sedes fuerit Homericae alicujus gentis ex Ionia adscitae, an singuli tantum exstiterint doctores carminum Homericorum per Doricas Cretae urbes. Qua vero aetate Homerici Cretenses redditi fuerint satis accurate definiri potest; Thaletam enim circa annum 625 fere a. Chr. n. viguisse constat.

Admonemur jam ea temporis definitione ejus quod cepimus consilii examinandarum aetatis qua Homerus vixerit definitionum variarum; quo examine instituto fieri posse significavi, ut aliquid certi addatur de temporibus, quibus singularum Homericarum gentium origines sint adscribendae.

Notationes veterum de patria Homeri in duas discedere partes vidimus, quarum altera est conjecturarum, altera fabularum popularium. Eadem divisio notationum est de Homeri aetate. Lustrabimus primum eas aetatis Homericae definitiones, quae conjectura positae sunt.

In definiendis temporibus ubi conjecturarum necessitas aut imposita esset aut esse videretur, et apud alios populos veteres et apud Graecos confugisse viros doctos plerumque constat ad rationes astronomicas, ita ut cyclorum habita ratione annorum rotundarent numeros. Vocabant autem cyclum seriem annorum solarium, quae certo aliquo lunarium annorum aequaretur numero plenorum. Tales cycli quum plures essent, usu maxime frequentasse videntur Graeci eum, quem 60 solaribus, 63 lunaribus annis expleri putabant. Et in Homeri quidem aetate definienda, quantum adhuc cognoscere licuit, eo cyclo usi sunt solo. Jam vero quia mos fuit illis non cyclorum pronuntiare numerum sed cyclorum vocabulo presso annorum tantum indicare numerum aut solarium aut lunarium,

cyclorum qui continerentur summa, pleraeque ejusmodi computationes, quamvis sint rotundae, accuratissimae prae se ferunt definitionis speciem. Qua multos etiam nostris temporibus deceptos esse homines doctos non est quod mireris. Nostra memoria Homericae aetatis definitiones ad cyclorum rationes reducere haud infelici successu primus, quantum scio, Carolus Muellerus conatus est in libello, quo Eratosthenis fragmenta chronologica tractavit, subjuncto Herodoti Historiis Didoti sumptu Parisiis 1844 a Guilelmo Dindorfio editis, frgmt. 4 p. 196 sq. Errasse tamen de quibusdam Muellerum ut in novo periculo neque infitiari ullo modo possumus, nec mirari debemus. Res enim quamvis patefacta semel planissima videatur esse primo aspectu, ita vero comparata est, ut magnas quasdam habeat difficultates sibi proprias. Erravit autem Muellerus maxime eo, quod inventione sua exsultans invento abutebatur atque universas quas quidem collegisset Homericae aetatis definitiones cyclorum rationibus adstringere conabatur. Hac via quoniam proficere non potuit numerorum fide strenue servata, licentiae cujusdam importunitatem cupiditatemque immutandi et detorquendi necesse erat irrepere in Muelleri rationes.

Muelleri vestigia Julius Franciscus Lauer pressit in libro de historia poëseos Homericae scripto p. 115 sqq, adhibitis tamen praeter illum Fischeri et Soetbeeri tabulis chronologicis vol. 1 p. 42 sqq, quo loco definitiones aetatis Homericae collectae sunt plures quam apud Muellerum. Lauero rem prospere successisse iis tantummodo locis, quibus Muellerus jam verum vidisset, in censura libri Laueriani demonstravi Jahnii annalibus inserta, quorum videas vol. 67, 4 et 6. Ibi definitiones, quas Lauerum omisisse vidissem, collegi, pro viribus meis excussi universas, quae quidem in medium essent prolatae, resolvi alia ratione numeros eos, quos a Lauero minus recte resolutos esse appareret, universarum conjecturarum tabulam proposui explicatarum 67, 6 p. 609. Et hanc quidem tabulam, quum in ea adhuc nihil reppererim, quod immutandum esse ducam, hoc loco transscriberem, nisi animadverterem, intellectu paullo difficiliorem eam esse, nisi omnia, quae annalium locis indicatis praemisi, simul repetantur. Id

autem hoc loco commode fieri nequit. Adeundi igitur, si rem accurate cognoscere animus est, annales ipsi; hoc loco summam tantummodo repetere licet, quam illic p. 610 feci. Sunt enim octo fere aetatis definitiones, quas fundamenta quasi universarum dicas conjecturarum; quae vario modo ex illis derivatae sunt atque conformatae variorum opera, prout singulis placeret. Viguisse vero Homerum censebant ii, qui sequerentur definitionem

primam,	et Thebani belli et Troici temporibus;
qui alteram,	eo tempore quo Troja diruta esset;
qui tertiam,	uno cyclo post Troica;
qui quartam,	tribus cyclis post Troica;
qui quintam,	quattuor cyclis post Troica;
qui sextam,	sex cyclis post Troica;
qui septimam,	Lycurgi temporibus;
qui octavam,	Archilochi poëtae temporibus.

Tertiam definitionem secutus est Crates Pergamenus, quem Diss. 1 p. 61 anno 60mo p. Tr. Homerum adscripsisse legisti; 60 enim annis solaribus cyclum unum compleri supra dixi. Quarta definitio Philochoro placuit; hic secundum ea, quae Diss. 1 p. 96 exposui, 180 annis p. Tr. vixisse Homerum sibi persuasit. Quintae palmam Eratosthenes dederunt et Apollodorus, quibus 240 annis p. Tr. Homerus floruisse videbatur; cfr. Diss. 1 p. 31 sq et 43. Septima plerisque imposuit Romanis scriptoribus, Cassio Heminae, Ciceroni, Cornelio Nepoti, Vellejo, Solino, de quibus videndi Jahnii annales 67, 4, 388. 395 sqq 67, 6, 609 sqq.

Missa jam conjecturarum turba ad reliquas accedamus aetatis Homericae definitiones, quas singularum civitatium fabulis popularibus niti primus, quantum scio, annall. Jahnii locis indicatis exposui. Certe et Welckerus et Fischerus et Muellerus et Lauerus ejus rei nullam sese habuisse cognitionem satis produnt. Ex hac vero definitionum classe tres jam supra attuli in medium: quarum una spectat Cretensium narrationes, altera Cumaeorum, tertia Proconnesiorum. Nunc age jam tabulam universarum proponam compendiariam, excerptam e tabulis duabus locupletioribus, quas in annall. p. 611. 612 concinnavi. Homerus secundum narrationes

Atheniensium	floruit quo tempore Iones ex Attica trajicerent in Asiam;
Ietarum	natus est quo tempore Iones ex Attica trajicerent in Asiam;
Cumaeorum	Smyrnae natus est quo tempore ipsi coloniam in urbem illam deducerent;
Chiorum	natus est ducentis annis post Trojam captam;
Colophoniorum	natus est 132 annis ante Olympiadem 1;
Samiorum	natus est 400 annis ante Herodoti ἀκμήν;
Lacedaemoniorum	90 annis a. Ol. 1 Charillo Spartae regnante Lycurgo carmina sua tradidit cum Spartanis communicanda;
Milesiorum	natus est duabus fere aetatibus ante Ol. 1, 2, quo tempore Homeri discipulus Arctinus Milesius floruit;
Salaminiorum Cypri	floruit quingentis annis post Trojam obsideri coeptam;
Proconnesiorum	ab Aristea edoctus est quo tempore Gyges in Lydia regnaret;
Cumaeorum	in agro Cumaeo sedem collocavit quo fere tempore Midas rex Phrygiae diem obiret supremum;
Cretensium	vel floruit vel natus est quo tempore Thaletas poëta vigeret.

Potiorum hic quoque nomina addam auctorum. Atticam computationem Aristarchus (Diss. 1 p. 31) amplexus est cum multis aliis; Ieticam (Diss. 1 p. 77) Aristoteles; Cumaeam auctor vitae Homeri primae cap. 1—3. 38 et cap. 11; Chiacam (Diss. 1 p. 93 sqq) Euthymenes et Archemachus; Colophoniacam (Diss. 1 p. 5 sqq) Porphyrius; Samiacam (Diss. 1 p. 153 sq) Herodotus; Laconicam (Diss. 1 p. 14. 47) Sosibius Laco; Milesiacam (Diss. 1 p. 63 et in hac altera diss. supra) Artemo Clazomenius; Cypriacam (Diss. 1 p. 102) Theopompus; Proconnesiacam (Diss. 1 p. 65) Euphorio; Creticam Demetrius Magnes ap. Diog. L. 1, 38. Nonnulli ex his scriptoribus apertius indicaverunt civitatem, cujus narrationes ipsi sint secuti, veluti Euthymenes et Archemachus, qui teste Clemente Al.

(vide Diss. I p. 14 et 93 sqq) in Chio insula ducentesimo p. Tr. c. anno natum esse Homerum tradiderunt; alii vero, veluti Herodotus, ne verbo quidem unde suam hauserint temporis definitionem indicaverunt. Horum definitiones si cognoscere vis quibus rationibus ductus ad certarum rettulerim narrationes civitatium, cum hoc loco exponere longum sit, Jahnii tibi evolvendi sunt annales. Hoc vero, qui factum sit, ut singulae civitates ad ea tempora quae significavi referrent Homeri vitam, et explicari debet in hac scriptione et paucis explicari potest.

Argumenta Cretensium, Proconnesiorum, Cumaeorum jam attigimus. Cumaei quum eo fere tempore, quo Midas rex Phrygum diem obierit supremum, Homericam ad se pervenisse poësin probe scirent, eo tempore Homerum vixisse ipsumque ad se commigrasse sibi persuaserunt. Simul vero quum studerent Homeri genus sibi vindicare, id vero aliter fieri non posse animadverterent nisi ita, ut e colonis oriundum fuisse illum contenderent, quos Smyrnam vetustissimis temporibus a se missos esse constaret, Homerum generatum esse Cumis, matrem autem, quum ventrem ferret, inter colonos Cumaeos Smyrnam commigrasse ibique progenuisse illum clamabant. Jam vero coloniam Cumaeam 168 annis p. Tr. obsideri coeptam Smyrnam pervenisse auctor vitae Pseudoherodoteae contendit computatione usus, cujus rationes esse optimas in annall. 67, 4, 370 sqq docui; Midam vero, quem mortuum esse eo fere tempore Cumaei autumabant, quo Homerus Cumam commigrarit, anno 694 a. Chr. diem obiisse constat. Sibi ipsi igitur Cumaeos egregie contradixisse patet; trium enim saeculorum spatium Homeri vitam excessisse statuendum tibi erit, ubi contradixisse sibi illos negaveris. Qua re nihil aliud efficitur nisi hoc, pro vera historia non esse venditanda ea, quae de Homero boni Cumaei narrabant, sed fabulas solas esse populares. Talibus enim in fabulis discrepantias quum alias tum anachronismos quos vocant minime curari in comperto est.

Proconnesios Gygae temporibus Homerum adscripsisse dixi, quia Gyge regnante Proconnesi, quae urbs tum primum condita esset, ab Aristea, quem eam ob rem Homeri

praeceptorem ferrent, schola Homerica esset aperta; Cretenses vero ad ea tempora supra exposui Homeri vitam rettulisse, quibus vixerit Thaletas vates; factum autem hoc esse, quia Thaletas Homericae poëseos sedem certam apud Cretenses Cnossi primus constituisset.

Chios, Colophonios, Samios, Milesios, Cyprios una comprehendam explicatione. Apud hos omnes exstitisse vidisti gentes, quae universam suam operam in Homerica collocarent poësi servanda atque propaganda. Gentem vero apud Graecos fuisse nullam constat, quin stemma gentilicium haberet, quo generis ordo atque series conspiceretur per aetates singulas descripta. Talia igitur stemmata etiam Homericis illis gentibus fuisse extra dubium positum est. Neque etiam hoc dubium esse potest, quin singulae illae gentes hoc probe sciverint atque in stemmatis ipsis indicaverint, qua aetate Homerica poësi, in qua universa sua studia collocarunt, ipsae fuerint potitae. Jam vero singulas gentes id postulasse consentaneum est, ut ab ipso Homero poësin accepisse crederentur. Et Samiis quidem contigisse vidimus ut Creophylum ab Homero ipso, cujus vel hospes vel praeceptor vel etiam gener esset, Iliadem et Oechaliae ἅλωσιν dono accepisse clamarent. Simillimas fabulas de Stasino Cyprios narrasse traditum est. Similia porro Chios quoque, Colophonios, Milesios narrasse non est quod dubites. Milesios certe id impetrasse scimus, ut Arctinus Homeri ipsius discipulus fuisse videretur; Colophonii autem felicissimo successu Homerum apud se Margitem pepigisse autumabant locumque monstrabant in sua urbe, quo ipse docuisset. Plurimum vero Chii sibi arrogasse videntur. Homerum in ipsa Chio insula natum esse Euthymenes atque Archemachus tradiderunt, fabulis Chiorum ipsis procul dubio nisi. Auctor Pseudoherodoteae, quamvis Homerum Cumaeis vindicare summopere studeret, Chiis tamen largitus est multum. Nam apud eos cap. 24—26 Homerus non solum Batrachomyomachiam et alia quaedam minora carmina confecisse narratur, sed etiam ipsam Iliadem atque Odysseam; non solum scholas habuisse frequentatissimas, sed etiam uxorem duxisse Chiam, ex qua duas susceperit filias; harum alteram innuptam egisse vitam, alteram viro nupsisse Chio. Paullo

aliter de progenie Suidas et Tzetzes locis supra jam appositis, quos nunc repetendos esse video. Tzetzes Chiliadd. 13 vs. 634 sqq sic refert: *σύνευνος ἦν Ὁμήρου δὲ τὴν κλῆσιν Εὐρυδίκη, | Γνώστορος εἴτε Πάστορος θυγάτηρ τοῦ Κυμαίου. | Σερίφων καὶ Θεόλαος υἱοὶ δὲ τοῦ Ὁμήρου, | θυγάτηρ Ἀρσιφόνη δέ, ἣν ἔγημε Στασῖνος, | Στασῖνος ὁ τὰ Κύπρια συγγράμματα ποιήσας, | ἅπερ οἱ πλείους λέγουσιν Ὁμήρου πεφυκέναι, | εἰς προῖκα δὲ σὺν χρήμασι δοθῆναι τῷ Στασίνῳ.* Suidas in vita Homeri *γήμας δ' ἐν Χίῳ*, inquit, *Ἀρησιφόνην, τὴν Γνώτορος τοῦ Κυμαίου θυγατέρα ἔσχεν υἱεῖς δύο καὶ θυγατέρα, ἣν ἔγημε Στασῖνος ὁ Κύπριος. οἱ δ' υἱεῖς Εὐρυφῶν καὶ Θεόλαος.* Euryphontem filium Homeri Suidas etiam s. v. *Τέρπανδρος* commemorat; ab eo scilicet Terpandrum genus duxisse narrat. Ab altero, Theolao, Homeridae Chii fortasse genus duxisse videbuntur. Sed fieri potest, ut narrationem vitae Pseudoherodoteae propius accedere ad Homeridarum ipsorum gentilicias fabulas credas. Quam litem utut dijudices, Homerum ipsum ab Homeridis Chiis, utpote qui vel nomen ab illo essent mutuati, in ordinem gentis esse receptum certaeque in stemmate adscriptum aetati vix negaveris. Prorsus eadem conditio fuit Samiorum et Cypriorum; hi enim Stasinum, illi Creophylum generum Homeri fuisse praedicabant. Certam igitur ad aetatem ut in stemmate Homerum non referrent accidere non potuit. Milesios et Colophonios ejusmodi ementitos esse affinitatem vel cognationem cum Homero traditum non est; unde ementitos non esse minime sequitur; qua de re antea dixi. Fac autem ementitos non esse; at poësin Homericam certe ab Homero ipso accepisse sibi videbantur; at sciebant, qua aetate revera poësin illam accepissent; Homerum igitur facere non potuerunt ne hi quidem quin ad certam referrent aetatem.

Stemmatis singularum gentium per aetates descriptis apud Graecos uti solitos esse historiarum scriptores ad computanda tempora constat abunde. Quibus in computationibus convenit ut tres hominum aetates centum annis aequarent. Ad eam legem conformati sunt numeri annorum in iis definitionibus aetatis Homericae, de quibus agimus. Ducenti illi anni, quos Chiorum auctoritatem secuti computabant, ad

sex hominum aetates sunt revocandi, quae inter Trojam captam et Homerum natum in stemmate Homeridarum Chiorum conspiciebantur. Cyprii quingentos annos elapsos esse a Troja capta ad Homeri florentem aetatem ajebant, quia quinta decima a bello Trojano Homeri erat aetas. In stemmate Samiorum Herodotus videbat Homerum duodecimae ante se aetati esse adscriptum, ideoque 400 annis ante suam aetatem vixisse illum perscripsit. Colophonii in stemmate suo Homerum adscripserant aetati ei, quae quarta erat ante Olympiadem primam; 132 igitur annis ante Ol. 1, 1 secundum computationem Colophoniorum Homerus natus esse dicebatur; unus enim annus, quo addito 132 illis quattuor complentur aetates, annus is ipse videbatur esse, quo acta essent prima Olympia; rem explicatius tractavi in annall. 67, 4, 392. Restant Milesii, qui una aetate superiorem Arctino discipulo Homerum ferebant magistrum.

Venio ad Lacedaemonios. Hi 90 annis ante Ol. 1, 1 Charillo Spartae regnante Homerum narrabant tradidisse Lycurgo carmina sua, ut Spartanis ea publicaret. De Lycurgo magnam scis dubitationem esse; sunt qui vixisse negent; sunt, qui plurima in ejus nomen cumulata esse contendant, quae alii gesserint. Missum igitur facimus Lycurgi nomen. Quo ejecto ex Homerica Lacedaemoniorum narratione quae restant fidem procul dubio merentur. Intimam enim iis saeculis, quae bella Persica antecedunt, Lacedaemoniis cum Samiis intercessisse amicitiam satis constat. A Samiis igitur nihil obstat quominus fidem secuti auctorum quos supra nominavi Lacedaemonios Homericam poësin accepisse dicamus, et eo quidem tempore accepisse dicamus, quod fere Lacedaemonii ipsi computabant.

Definitiones Homericae aetatis illae, quae narrationibus Ieticis et Atticis inhaerent, ex Ionum migratione pendent in Asiam facta. Ietae ejus migrationis tempore apud sese Homerum natum esse praedicabant; Atheniensium eam fuisse sententiam in annall. 67, 4, 364 sqq ostendi, ut Homerum ipsum florente aetate inter Iones ex Attica in Asiam commigrasse contenderent Smyrnaeque constituisse domicilium. Hanc sententiam, quam ipsorum Atheniensium fuisse quum alia quaedam argumenta produnt, tum epigramma statuae illud Pi-

sistrati Athenis subscriptum, quod supra compluribus locis exhibui, disertis verbis testatur, Aristarchus est amplexus. Quod non sine idonea caussa factum esse jam narrationes Ietarum produnt, qui ipso illo Ionicae migrationis tempore Homerum apud se natum esse autumabant. Qua narratione nihil aliud significari in aprico positum est nisi hoc, poëseos Homericae sedem illo tempore Ion insulam esse redditam. Id vero si effectum est eo tempore, a nullo alio certe effectum esse potest nisi ab ipsis Ionibus emigrantibus, quos quum Atticam reliquissent, priusquam in Asiam pervenirent, Cyclades singulas coloniis scimus occupasse. Homericam vero poësin si ab Ionibus ex Attica delatam esse concesseris in Cyclades, necessario sequetur ut Atticam quoque ipsam sedem fuisse Homericae poëseos concedas. Atticam porro si concesseris sedem fuisse Homericae poëseos, statim id quoque concedendum tibi erit, vetustissimam omnium quot sciamus eam illius poëseos fuisse sedem. Quae res ut evidens reddatur, reliquas scholas Homericas respiciamus.

Praeter Athenas fuisse scholas Homericas exposui apud Ietas, Smyrnaeos, Phocaeenses, Chios, Colophonios, Samios, Milesios, Halicarnassenses, Salaminios Cypri, Cumaeos (Neoteichienses, Gryneenses), Cenchreenses Troadis, Proconnesios. Incerti videbantur Cnosii et Rhodii esse. In his scholis nonnullae reperiuntur, quarum origines certis temporibus adscribi nequeant: Phocaeensis, Halicarnassensis, Rhodia (si modo Rhodia fuit schola), Grynensis, Cenchreensis. Nec tamen dubitari potest, quin nec Cenchreensis schola nec Grynensis antiquiores sint Neoteichensi. Halicarnassensis origines atque Rhodiae (si haec fuit) ut conjiciam inferiores aetate esse Milesia, Salaminia superiores, certis quibusdam indiciis atque rationibus adducor; quas quum hoc loco exponere longum sit, veritatem sane ejus sententiae addubitare tibi licet; fore tamen spero, ut antiquiores eas reliquis omnibus Asiae scholis esse neges. Idem fere de Phocaeensi valet, quam mediam aetate inter Chiam esse atque Smyrnaeam ea quae supra disputavi de Homero Phocaeam et inde Chium migrante probabile reddunt. Ionicam

certe migrationem nulla ex his quattuor quinqueve scholis, quas modo nominavi, antecessisse putanda est.

Smyrnaei ad quam aetatem suae scholae origines rettulerint disertis testimoniis non traditur. Certum nihilo secius videtur Homericam poësin ut in Ion insulam ita Smyrnam quoque pervenisse ipso Ionicae migrationis tempore. Primum enim id confirmant narrationes Atheniensium, qui Homerum inter Iones ex Attica Smyrnam commigrasse tradebant; confirmant porro fabulae Cumaeorum, qui Homerum Smyrnae natum esse ferebant statim post deductam eo coloniam Cumaeam; deductam vero eam coloniam esse 168 annis p. Trojam obsideri coeptam. Eo tempore Homerum natum esse Cumaeis credendum sane non est; sed credendum iis est, coloniam tum eos Smyrnam deduxisse, atque concedendum, coloniam eam, Smyrnae quum consideret, participem quodammodo redditam esse Homericae poëseos. Alia enim ratione non intelligeretur, qui factum esset, ut eo potissimum tempore Homerum sibi natum esse Cumaei clamarent. Sequitur ut 168mo p. Tr. obsideri coeptam anno, qui octavus decimus est ab Ionica migratione, Smyrnae jam floruisse Homericam poësin statuamus.

Reliquarum scholarum origines certis temporum definitionibus circumscriptas esse vidisti. Quod argumentum supra quum tractarem, unum consulto omisi momentum atque in hunc disputationis rejeci locum, quo optime considerari posse videretur. Jam paucis quid sentiam indicabo: videri commune hoc fuisse omnibus fere civitatibus, in quibus Homericae scholae reperirentur, ut eo tempore Homerum natum esse sibi persuaderent, quo quaeque ipsa Homericae poëseos particeps reddita esset. Ita ut sentiam duae me adducunt caussae; quarum altera in natura posita est quae solet esse fabularum, altera in testimoniis, quae de fabulis Ietarum et Cumaeorum Homericis exstant. Utrumque populum fabulas suas sic conformasse vidimus, ut eo tempore, quo ipsi potiti essent Homerica poësi, Homerum ipsum non viguisse, sed natum esse narrarent. Quam rationem naturae atque indoli talium fabularum quam maxime consentaneam esse nemo negabit, qui modo mythologiae sit peritus. Eam igitur rationem reliquarum quoque civitatium Homerica-

rum fuisse verosimillimum est. Ita vero si est, modificanda sunt ea, quae supra de Chiorum, Colophoniorum, Samiorum, Milesiorum, Cypriorum narrationibus Homericis exposui. Definitiones Homericae aetatis, quae earum nitebantur gentium fabulis, pendere statuimus e stemmatis singularum gentiliciis; quibus Homerus ad eam aetatem relatus esset, qua quaeque gens in possessionem Homericae poëseos pervenisset. Ea in sententia etiam nunc maneo, et semper, opinor, manebo; accuratius tamen ea nunc jam exprimenda est. Nam si recte ea se habent, quae nunc jam addidi, sic pronuntiandum est, in stemmatis Homerum non ei adscriptum esse aetati, quae floreret, quum Homerica introduceretur poësis, sed ei, quae intrante fere Homerica poësi nata esset. Iis igitur annorum numeris, quibus Homeri natales gentes illae quinque adscripserunt, tempora ipsa indicari arbitror, quibus Homerica poësi illae sunt potitae.

His expositis nihil jam obstat quominus tabellam concinnemus, qua universarum scholarum Homericarum tempora uno conspectu videas comprehensa. Trojae captivitatem, ad quam definitiones nonnullae recurrunt, cum Eratosthene et Apollodoro, ut par est, in annum 1183 a. Chr. n. conferemus; Ionicam migrationem iisdem auctoribus in annum 1043; quod si fecerimus, error ut sit in calculis, proxime tamen a vero nos afuturos esse confido.

Ante Christum natum anno

fere 1043	Iones migraverunt ex Attica in Asiam. Homerica poësis delata est ex Attica in Ion insulam et Smyrnam.
fere 1025	Aeolensium colonia Cumis deductorum Smyrnae consedit. Hoc anno Homerum natum esse Cumaei autumarunt.
incerto	Homerica poësis delata est Phocaeam.
fere 983	Homerica poësis delata est in Chium insulam ad eam gentem, quae postea Homeridarum nomen sibi usurpavit.
fere 908	Ab Aeolensibus Iones Smyrna expulsi Colophonem se converterunt. Inter eos gens Homerica Smyrnae quae habitaverat Colophonem sese contulit ibique sedem collocavit.

fere 884 Homerica poësis in Samum insulam delata est ad Creophyliorum gentem.

fere 866 Homerica poësis a Creophyliorum gente Samia cum Lacedaemoniis communicata est Spartae publice colenda.

fere 842 Homerica poësis Miletum delata est.

775 Arctinus Milesius floruit.

incerto Homerica poësis Halicarnassum delata est. Ad idem fere tempus Rhodiae scholae, si unquam Rhodia fuit schola, referendae videntur esse origines.

fere 726 Homerica poësis ad Salaminios Cypri delata est.

incerto Iones Colophone profecti Smyrnam Aeolensibus ejectis occupaverunt.

716 Gyges regno potitus est Lydorum. Quo regnante Milesii Proconnesum occuparunt. Inter colonos autem Milesios Aristeas poëta Proconnesi collocavit sedem Homericamque ibi scholam constituit.

694 Midas rex Phrygiae diem obiit supremum. Eodem fere tempore Homerica poësis in agrum Cumaeum delata est ad Neoteichenses.

incerto schola Homerica apud Grynenses in agro Cumaeo aperta fuit.

incerto Homerica poësis in agrum Trojanum ad Cenchreenses delata est.

fere 693 Stasinus Cyprius floruit.

658 Lesches Lesbius floruit.

fere 625 Thaletas sedem poëseos Homericae in Creta insula constituit apud Cnosios.

Vetustissimam omnium quotquot fuisse traditum est Homericae poëseos sedem esse vides Atticam. Ex Attica primum Ionica migratione Homericam poësin delatam esse et in Ion insulam et Smyrnam, inde vero in reliquas illas civitates tabella nostra comprehensas negare non potes. In Atticam ex qua delatam esse dicas Homericam poësin non habes civitatem. Tempus quo Athenis florere coeperit poësis Homerica non definiri vides; floruisse tantummodo ea poësis Athenis tempore Ionicae migrationis traditur. Atticae igitur in coelum li-

cet iveris palmam ab Aristarcho summo Homericorum arbitro datam numquam eripies; Atticam quin patriam habeas Homericae poëseos facere nullo modo potes. Quae quum ita sint, nonne certum videbitur esse, quod Aristarchus statuit, Homerum ipsum fuisse natione Atheniensem? Quid? nonne fidem habebis Atheniensium narrationibus? Nonne Ionicae migrationis tempore viguisse illum clamabis? Emigrasse inter Iones ex Attica Homerum, scholam eum in ipso itinere apud Ietas constituisse, ipsum vero sedem collocasse Smyrnae? Haec omnia nonne extra dubitationem posita esse censebis?

Censebis, opinor; nisi forte Homerum unquam vixisse negaveris. Quod ut neges facile accidere potest.

Fridericus Augustus Wolfius Prolegomenon librum, cujus et in hac dissertatione et in priori p. 39 mentionem feci, ad dijudicandam maxime scripsit hanc quaestionem, Ilias atque Odyssea utrum ab uno confectae essent poëta an a compluribus. Quam quaestionem Wolfius non movit quidem primus, attamen primus ita tractavit, ut severiorum oculi ad eam converterentur criticorum. Ipse vero quum novam probasset sententiam, unius in locum Homeri complures sufficiendos esse poëtas, contigit illi, ut oculi ita in hanc quaestionem converterentur, ut inde ex eo tempore, quo scripsisset, nulla fere alia quaestio tanto agitaretur studio atque fervore. Multos enim quum in suam sententiam traxisset vir ingeniosissimus, mox alii surrexerunt ad refutandum, Homerus ut sibi eripiatur numquam passuros se esse vociferantes. Supervenerunt dein alii, qui Wolfii sententiam, vacillare jam quum videretur, novis argumentis fulcirent. Rursus alii hos impugnaverunt. Ita evenit, ut etiam hodie sub judice eam esse litem permultis persuasum videatur esse. Nos quibus argumentis Wolfius usus sit, quum ratio hujus libelli ut exponatur non flagitet, non exponemus; aut enim Prolegomena ipsa legisti, aut eo te adduci oportet, ut quam celerrime ad legendum accingaris. Hoc unum dicere attinet, librum suum non absolvisse Wolfium; qui quum duos promisisset Prolegomenon tomos, priorem tantum in publicum emisit. Altero quid praestaturus fuisset, difficile est suspicatu. Id sane videmus, quid priori non praestiterit. Priori in excutiendis car-

minibus ipsis non eo progressus est, ut indicaret suturas singulas, quibus variorum poëtarum carmina consuta esse viderentur. Ad id officium exsequendum postea Carolus Lachmann vir sagacissimus accessit, qui libellis duobus, quorum alter primum divulgatus est in actis academiae Berol. anni 1837, alter in actis anni 1841, Iliadem in eum finem tractavit, ut ex decem et octo variis variorum poëtarum carminibus Pisistrati jussu compositam eam esse demonstraret. Conjuncti libelli additamentisque aucti et ipsius Lachmanni et Mauricii Hauptii sumptu G. Reimeri prodierunt Berol. 1847 praefixo titulo Betrachtungen ueber Homers Ilias. Alterum Homeri carmen talem arbitrum qualem Ilias expertum non est; nonnullorum vero opera, qui non sine laude in discerpenda elaboraverunt Odyssea, Schoemannum virum acutissimum non impedivit, quominus in Jahnii annall. 69, 2, 129 insipientis esse pronunciaret Odysseam e complurium poëtarum carminibus compositam putare. Quod ne futurum sit aliquando ut sibi ipsi acerbius quam rectius jactasse videatur Schoemannus admodum vereor. Sed missis futuri temporis auguriis breviter summatimque explicabo, quibus in rebus, ut hodie totius litis conditio sit, cardo disputationum versetur.

Tria reperiri in utroque carmine aut omnes jam aut plurimi consentiunt: alium aliis in partibus sermonis colorem, rerum narratarum discrepantias permultas, suturas non paucas. His vero indiciis quid indicetur, de eo maxima est contentio. Iis enim Wolfiani sive dici gestiant sive Lachmanniani diversam diversarum utriusque carminis partium originem reddi manifestam autumant; contra eos qui disputant, totius inaequalitatis discrepantiaeque in aliqua parte licentiam excusant poëtarum, alia statuunt Homero inter narrandum excidisse invito, vetustiorum quum suis intexeret poëtarum carmina, reliqua ad interpolatores sive *διασκευαστὰς* referunt. Et hoc quidem diasceuastarum nomine plerisque uti videntur in desperatis. Late autem patuisse interpolatoribus ante Pisistrati aetatem ajunt campum, quum utrumque carmen non nisi carptim recitaretur. Et de hac quidem re Wolfiani consentiunt; qui multa interpolatoribus deberi minime negant. Sed summas carminum ut uni Homero vindicent eo se adduci Antiwolfiani profi-

tentur, quod una in Iliade, una in Odyssea sit actio. At eam unitatem in tanta et rerum et verborum discrepantia nullam esse Wolfiani clamant. Suturas ipsas, quae quidem sunt manifestae, ad Pisistratum utrique referunt; neque enim Iliadis Pisistratum neque Odysseae partes in unum compositas repperisse hodie quantum scio omnes statuunt, quorum quidem in hac re habenda sit ratio. Discedunt tamen in eodem argumento dijudicando ita Antiwolfiani et Wolfiani, ut Wolfiani, ubi hodie suturae conspiciantur, ibi ante Pisistratum numquam ullam fuisse continuitatem arguant; Antiwolfiani contra cohaesisse ab initio partes sibi persuadeant diremptasque a diasceuastis esse in eum finem, ut carptim recitarentur carmina.

Sed haec hactenus. Illorum enim disceptationibus neque in animo nobis est hoc loco nos immiscere neque angusti hujus scriptionis fines sinunt. Revertimur a carminibus Homericis ad carum H o m e r i i p s i u s c a p u t, cui, si forte Wolfianorum discedas in partes, vereor, ne tibi timendum esse videatur. Quid enim faciemus illi, si neque Iliadem neque Odysseam ab uno poëta delineatam esse statueris?

Ex iis quidem, quae adhuc a me in medium prolata sunt, hoc minime consequitur, Homerum ipsum, si in partes Wolfianas discedas, e medio esse tollendum. Nam ut multi fuerint Iliadis atque Odysseae poëtae, quid impedit, quominus uni inter eos Homeri nomen fuisse credamus, a quo, quum in hoc poëseos genere toto princeps haberetur, totum genus Homerici traheret nomen?

Sed fieri sane potest, ut in poëtis, quibus Iliadis et Odysseae carmina debeantur, Homeri cui esset nomen proprium fuisse nullum dicas. Nam qui mos fuit Graecorum, ut, quae plures homines ingenio inter se similes similique vel eadem usi conditione gessissent similia, ea omnia sub persona unius nominis ficti comprehenderent, eo more in illis quoque Iliadis Odysseaeque poëtis uti potuerunt. Quodsi ita in ea re Graecos se gessisse persuaseris tibi, ante omnia hoc explicandum esse videbitur, unde depromptum sit Homeri nomen atque persona.

H o m e r i n o m e n et apud Graecos et apud recentiores varias passum est explicationes. Aliis in eo „obsidis“ notio

inesse visa, alii „comitem“ interpretati sunt, alii „caecum“, quam derivationem longe praestare ceteris contendit Lauer Gesch. d. hom. P. p. 109; Welcker Ep. cycl. 1, 122 „compositorem“ Homerum vocatum fuisse statuit, ex ὁμοῦ et ἄρω nomen factum esse dicens. Georgius Curtius in commentatione De nomine Homeri praemissa indici lectionum Kiliae per semestre aestivum 1855 habendarum derivationem a Welckero commendatam, ab ὁμοῦ illam et ἄρω, non quidem extra dubitationem positam, praeferendam tamen esse aliis concessit. Dicit autem Curtius, non solum radicis ἀρ —, abs qua descendit ἄρω, primariam notionem intransitivam esse, sed etiam inter ὁμοῦ et σύν ejusmodi interesse diversitatem, ut Ὅμηρος, si ab ὁμοῦ et ἄρω derives, non „compositor“ interpretari debeat, sed Ahnherr der Saengerinnungen. Quod ingeniose excogitatum esse patet; sed diversitatem illam inter ὁμοῦ et σύν, quam in multis, non in omnibus exemplis obtinere fatendum est, ad tempora quoque illa vetusta pertinere, quibus origines nominis Ὅμηρος adscribendae sunt, persuadere mihi non potui. Quae de notione radicis ἀρ — Curtius monuit, recte se habere intelligo; nam quaecumque ab ἄρω deduci posse videantur vocabula ubique passive dici animadverto. Qua in re addere juvat, non constare, utrum ἐρίηρος et εὐήρης ab ἄρω descendant.

Verum enim vero toti illi derivationi nominis Homeri ab ὁμοῦ et ἄρω factae hoc maxime obstare crediderim, quod Aeolenses et Dorienses non pronuntiarunt Ὅμᾱρος, sed ut Iones et Attici Ὅμηρος. Bekk. Ann. 3 p. 1187 δεῖ προσθεῖναι „χωρὶς τῶν κατὰ διάλεκτον“, ἐπειδὴ οἱ Αἰολεῖς ταῖς εἰς ω ληγούσαις δοτικαῖς οὐ προσγράφουσι τὸ ι (τῷ Ὁμήρῳ γάρ φασι καὶ τῷ σοφῷ χωρὶς τοῦ ι). Gregor. Corinth. Dial. Aeol. § 30 οὗτοι ταῖς εἰς ω ληγούσαις δοτικαῖς οὐ προσγράφουσι τὸ ι, ὡς τῷ Ὁμήρῳ, καὶ τῷ σοφῷ. Bekk. Ann. 3, 1215 τὸ γὰρ Ὅμηροι τρέποντες τὴν οι δίφθογγον οἱ Βοιωτοὶ εἰς τὸ υ μακρὸν προπαροξύνουσι καὶ λέγουσιν Ὅμηρυ. In his cave corrigas ὅμηροι, ὅμηρυ; Homeri enim poëtae nomine pro paradigmate utuntur grammatici. Hesych. Ὁμηρίδδειν· ψεύδεσθαι. Simonid. ap. Athen. 4, 72 ὃς δουρὶ πάντας | νίκασε νέους δινάεντα βαλὼν | Ἄναυρον ὕπερ πολυβότρυος ἐξ Ἰωλ-

κοῦ· | οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς. Pindar. Nem. 2, 1 Ὅθεν περ καὶ Ὁμηρίδαι κτἑ. Idem Nem. 7, 20 ἐγὼ δὲ πλέον ἔλπομαι | λόγον Ὀδυσσέος, ἢ πάθεν, διὰ τὸν ἀδυεπῆ γενέσθ' Ὅμηρον. Idem Isthm. 4, 37 ἀλλ' Ὅμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ | πᾶσαν ὀρθώσαις ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν | θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν. Idem Pyth. 4, 277 τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος | ῥῆμα πόρσυν'· ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν. | αὔξεται καὶ Μοῖσα δι' ἀγγελίας ὀρθᾶς. Theocrit. Idyll. 16, 20 τίς δέ κεν ἄλλου ἀκούσαι; ἅλις πάντεσσιν Ὅμηρος. Mosch. Idyll. 3, 71 ἀπώλετο πράν τοι Ὅμηρος, | τῆνο τὸ Καλλιόπας γλυκερὸν στόμα, καί σε λέγοντι | μύρεσθαι. Hymn. Philostrat. Heroicc. p. 747 (Bergk Lyrr. p. 1042) Ἀχώ, παρὰ μυρίον ὕδωρ | μεγάλου ναίοισα πέραν Πόντου | ψάλλει σε λύρα διὰ χειρὸς ἐμᾶς, | σὺ δὲ θεῖον Ὅμηρον ἄειδέ μοι, | κλέος ἀνέρων, κλέος ἀμετέρων πόνων. Antipat. in Anth. Planud. 4, 296 et in vita Homeri 2 A. Οἱ μέν σευ Κολοφῶνα τιθηνήτειραν, Ὅμηρε, | οἱ δὲ καλὰν Σμύρναν, οἱ δ' ἐνέπουσι Χίον, | οἱ δ' Ἴον, οἱ δ' ἐβόασαν εὔκλαρον Σαλαμῖνα, | οἱ δέ νυ τὰν Λαπιθᾶν ματέρα Θεσσαλίαν· | ἄλλοι δ' ἄλλο μέλαθρον ἀνίαχον. εἰ δέ με Φοίβου | χρὴ λέξαι πινυτὰν ἀμφαδὰ μαντοσύναν, | πάτρα τοι τελέθει μέγας Οὐρανός, ἐκ δὲ γυναικός | οὐ θνατᾶς, ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας. Antipat. Anth. Pal. 7, 75 Στασίχορον, ζαπληθὲς ἀμετρήτου στόμα Μούσης, | ἐκτέρισεν Κατάνας αἰθαλόεν δάπεδον, | οὗ κατὰ Πυθαγόρου φυσικὰν φάτιν ἁ πρὶν Ὁμήρου | ψυχὰ ἐνὶ στερνοῖς δεύτερον ᾠκίσατο. Antipat. Sidon. Anth. Pal. 7, 6 Ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς, μακάρων δὲ προφήταν, | Ἑλλάνων βιοτῇ δεύτερον ἀέλιον, | Μουσῶν φέγγος Ὅμηρον, ἀγήραντον στόμα κόσμου | παντὸς ἁλιρροθία, ξεῖνε, κέκευθε κόνις. Antipat. Thess. Anth. Pal. 7, 409 Ὄβριμον ἀκαμάτου στίχον αἴνεσον Ἀντιμάχοιο, | ἄξιον ἀρχαίων ὀφρύος ἡμιθέων, | Πιερίδων χαλκευτὸν ἐπ' ἄκμοσιν, εἰ τορὸν οὖας | ἔλλαχες, εἰ ζαλοῖς τὰν ἀγέλαστον ὄπα, | εἰ τὰν ἄτριπτον καὶ ἀνέμβατον ἀτραπὸν ἄλλοις | μαίεαι. εἰ δ' ὕμνων σκᾶπτρον Ὅμηρος ἔχει, | καὶ Ζεύς τοι κρέσσων Ἐνοσίχθονος· ἀλλ' Ἐνοσίχθων | τοῦ μὲν ἔφυ μείων, ἀθανάτων δ' ὕπατος. | καὶ ναετὴρ Κολοφῶνος ὑπέζευκται μὲν Ὁμήρῳ, | ἀγεῖται δ' ἄλλων πλάθεος

ὑμνοπόλων. Simm. Rhod. ap. Hephaest. Encheirid. p. 31 et in Anth. Pal. 15, 22 νῦν δ' ἐς Ὁμήρειον ἔβα κέλευθον, | σὰν χάριν, ἁγνὰ πολύβουλε Παλλάς.

Poëtas ausos non fuisse Dorice pronuntiare Aeoliceve Ὅμᾱρον vides. Jam vero eam legem fuisse constat et Aeolicarum et Doricarum dialectorum, ut, ubicumque in Attica et Ionica η litera ex α nata esset, longum ᾱ exhiberent; ubi ex ε nata esset, cum Atticis et Ionibus Dorienses et Asiani Aeolenses η posuerunt, Boeoti vero ει. Quam legem egregie commentatus est Ludovicus Ahrens in libro De dialectis Aeolicis p. 84 sqq 181 sqq et De dial. Dorica p. 126 sqq. Speciatim hic de compositis, quorum altera pars ab α incipit, Dor. p. 130 egit; in iis vulgo η pro α illo primitivo ponitur, Dorice constanter longum ᾱ exstat. Sic v. c. ἀν — ἄνεμος ἀνήνεμος Dor. ἀνᾱνεμος, ἀν — ἀκέομαι ἀνήκεστος Dor. ἀνᾱκεστος, νη — ἄποινα νήποινος Dor. νᾱποινος, εὖ — ἀνήρ εὐήνωρ Dor. εὐᾱνωρ, στρατός — ἄγω στρατηγός Dor. στραταγός. Quod ultimo loco posui exemplum ad formationis ὁμοῦ — ἄρω Ὅμηρος similitudinem proxime accedit. Itaque, si vera ea nominis Homeri derivatio esset, dicendum fuisset Dorice Aeoliceque Ὅμᾱρος. Exceptionem vero factam esse in vocabulis in —ηρος ex iis cave colligas, quae idem Ahrens in libro De Dorica p. 149 addidit. Ibi enim inter illa, quae vocalis originem minus apertam habeant, adjectiva in —ηρος et ηλος enumerat ea, quae non descendant a nominibus primae declinationis. Haec Dorice η servare omnia scribit. Et hoc quidem recte ille; sed in omnibus illis vocabulis quae dicit η Dorice servare, η ex ε natum est, non ex α. Exempla Ahrens proposuit haec: πονηρός, ὀκνηρός, ὀλισθηρός, ὑγιηρός, ἐλαιηρός, οἰνηρός, λαιψηρός, ὑψηλός, χαμηλός. In his duo reperiuntur, de quibus dubitatio oriri possit, χαμηλός et λαιψηρός; in reliquis de η ex α nato ne cogitari quidem potest. Est autem λαιψηρός seu αἰψηρός pro ΑἸΨΕΡΌΣ, ΛΑΙΨΕΡΌΣ, quod cum αἶψα cohaeret prout μαλερός cum μάλα. Alterum, χαμηλός, non pro χθαμᾰλός (ΧΑΜᾸΛΌΣ) est, sed pro ΧΑΜΕΛΌΣ, suffixo —λος litera copulativa ε radici χαμ— vel themati vocabuli ΧΑΜΟΣ (humus) annexo. Sic δείκελος reperitur et δείκηλος. Quod quum ita sit, Ὁμη-

ϱος jam non pro ΌΜᾹΡΟΣ, sed pro ΌΜΕΡΟΣ videtur dictum esse. Oritur tamen difficultas e Boeotica dialecto. Boeotos, ubi η maneat apud Dorienses, ει posuisse dixi; docet Ahrens Aeol. dial. 182 affertque in exemplis Boeoticae dialecti πονειϱός, cujus ad similitudinem Boeotice Ὅμειϱος dicendum fuisse conjicias, non Ὅμηϱος, quod testimonium supra allatum exhibet. Quae difficultas quomodo solvatur infra videbis. Nunc age ad eos convertamus nos, qui non ab ὁμοῦ et ἄϱω, sed ab ὁμοῦ et εἴϱω Homeri nomen sibi derivare visi sunt. Quorum opinioni vereor ne primo aspectu ex iis, quae modo disputavimus, aliquid probabilitatis accedere credas. Obstant autem dialectorum leges huic quoque derivationi. Quae si vera esset, Iones, Attici, Dorienses dixissent Ὅμειϱος, Boeoti Ὅμῖϱος, Aeolenses Asiani Ὅμεϱϱος. Sic v. c. quod ab ipso εἴϱω descendit εἰϱήνη Ionice et Attice dicitur, εἰϱάνα Dorice, ἰϱάνα Boeotice; Aeolice ἐϱϱάνα pronuntiatum esse, quamvis exemplum non reperiatur, tamen certissimum est, quoniam productione suppletoria εἴϱω pro ΣΈΡΩ „sĕro" est. Cfr. Ahrens in capite de duplicatione liquidarum Aeolica p. 49 seqq; respice etiam Homerica εἴϱω „dico" β 162 λ 137 ν 7, εἴϱεϱος ϑ 529, εἰϱάων Σ 531 ubi v. l. est ἰϱάων. Forma σειϱά „catena" per transpositionem illam notissimam copulativae ι est pro ΣΕΡΊΑ, quod proprie femininum est adjectivi ΣΈΡΙΟΣ; ἑϱμένος est pro ΣΕΣΕΡΜΈΝΟΣ. Contra Σειϱήν ut Σείϱιος a σειϱός descendit, hoc vero a ϑέϱος: ϑέϱος = ΣΈΡΟΣ, ΣΈΡΙΟΣ = σειϱός. Ἶϱις ab εἶμι est.

Relinquitur ut non compositum, sed e radice vocabuli ὁμοῦ et mero suffixo Homeri nomen ortum esse arbitremur. In eam sententiam abiisse Duentzerum video, qui in diario inscripto Zeitschrift fuer die Alterthumswissenschaft 1836 no 131 p. 1049 et in libello De Homero et Epico cyclo edito Colon. 1839 p. 7 nomen Homeri „harmonicum" interpretans deducendum esse ex ὁμός et terminatione ηϱος statuit; provocavit autem is ad Etymol. m. et Eustath. π 468. Apud Eustathium haec leguntur: ὡμήϱησε δὲ ἀντὶ τοῦ συνήντησεν, ὁμοῦ γέγονεν. ὡς γὰϱ οἶνος οἰνηϱός, οἴσυπος οἰσυπηϱός, ἐξ οὗ ἔϱια οἰσυπηϱά τὰ ϱυπώδη, οὕτω, φασίν, ἐκ τοῦ ὁμός ὅμηϱος (ed. Lips. Ὅμηϱος), ὅϑεν ὁμηϱῶ ῥῆμα τὸ συναντῶ. δο-

κεῖ δὲ καὶ ἄλλως ἡ λέξις μετῆχθαι ἐκ τῶν ὁμοῦ ἐρεσσόντων ἢ συναρηρότων. ὅμηρον δὲ ἔφαμεν ἐξ οὗ καὶ τὰ ἐπὶ εἰρήνῃ λεγόμενα ὅμηρα εἴτουν οἱ ὅμηροι. In Etymol. m. p. 623, 51 vox *ὅμηρος* „obses" ita explicatur: *Ὅμηρος παρὰ τὸ συνεῖναι τοῖς λαμβάνουσιν, οἷον ὁμοῦ συνών. ἢ ἀπὸ τοῦ ἅμα ἀρηρέναι. ὡς οἶνος οἰνηρός, οὕτως ὁμός ὅμηρος. εἰς τὸ ὡμήρευσεν. Ἡσίοδος* (Theog. 39) „*φωνῇ ὁμηρεῦσαι*". *τουτέστιν ὁμοῦ εἴρουσαι.*

In his acquiescere non licet. Legimus apud Eustathium et in Etymologico m. inter alia appellativum *ὅμηρος* ex *ὁμός* esse factum prout *οἰνηρός* ex *οἶνος*, *οἰσυπηρός* ex *οἴσυπος*. Atqui hoc falsum est; nam ad analogiam illorum vocabulorum esset *ὁμηρός*, non *ὅμηρος*. Nomini proprio autem *Ὅμηρος*, id quod et Duentzer et Curtius attigerunt, appellativum *ὅμηρος* omnino non respondere videtur, sed solum *ὁμηρός*; quamquam pro certo id affirmare vix ausim. Jam ut ponamus quod minime exploratum est, appellativum illud *ὅμηρος* ejusdem formationis esse atque proprium *Ὅμηρος*, nec suffixum est *ηρος*, nec *η* litera primitiva.

Succurrit eximia Welckeri cogitatio Ep. cycl. p. 150 proposita. Homeri ibi nomen, quo „compositor" designetur, idem fere dicit valere atque nomen Thamyridis sive Thamyrae vetusti poëtae, quod idem sit atque Omyretis; namque alium Thamyridem quendam Amyridem quoque dici. Inter Thamyridis vero et Homeri nomina id interesse, quod *Ὅμηρος* ex *ἄρω* et *ὁμοῦ* compositum sit, *Θάμυρις* non compositum, sed e solo *θαμά*, *θαμύς* formatum; cui formationis diversitati respondere notionum diversitatem; Homeri nomen plus valere quam Thamyridis. Quod quo sensu dixerit intelligitur collatis iis, quae p. 122 disputat; ibi enim Homeri nomine hoc indicari autumat, ante illum parva tantummodo carmina esse facta, Homerum vero primum fuisse, qui magna pangeret, Iliadem nimirum et Odysseam; quibus multorum antiquiorum quorum minor ambitus fuisset carminum argumenta comprehendere visum illum esse. Inde compositorem dictum Homerum. Thamyris contra vetustus ille Welckero eatenus tantum compositor est, quatenus quivis alius poëta.

Ingeniose factum in his quod nomina Thamyridis, Omy-

retis, Homeri comparata sunt; atque in rectam viam ea comparatione nos deduci statim videbis; sed ratio, qua Welcker comparationem persecutus est, stare nequit. Nomen Ὅμηρος non idem fere valet atque Thamyridis, sed prorsus idem est. Itaque tota illa de diversitate quae inter Thamyridis et Homeri officium poëticum obtineat corruit artificiosa doctrina. Ut posterioribus temporibus Graeci Homerum simpliciter τὸν ποιητὴν nuncupabant, ita ipsum Ὅμηρος nomen nihil aliud sonat nisi „poëtam".

Formam Ὅμηρος ex ὍΜΕΡΟΣ natam esse supra jam indicavi. Suffixum est —ρος, ε litera copulativa. Sic etiam appellativum illud ὅμηρος, quo caecum designari ajunt, pronuntiatum olim esse crediderim ὅμερος, quae forma ejus apud Hesychium latere videtur. Namque apud hunc inter glossas Ὀμεῖται et Ὁμέστιοι legitur glossa Ὅμηρος· τυφλός, dein vero suo loco post Ὅμηροι rursus Ὅμηρος· ὁ τυφλός· καὶ ὁ ἐνεχυραζόμενος. Priori loco ordinem postulare Ὅμερος Alberti annotavit. Quod utut sit, nec appellativi nec proprii nominis ne Ὅμερος quidem antiquissima forma esse potest. Ne ε quidem litera primitiva est. Nascitur ε in aliis vocabulis ex ᾰ, in aliis ex ῐ. De ῐ cogitari non potest, quia in suffixo —ρος radicibus annectendo copulativae partes ι omnino non egit. Restat ut pro ὍΜΕΡΟΣ antiquiorem formam ὍΜᾸΡΟΣ fuisse statuamus. Exemplo sunt quorum in monumentis reperitur duplex formatio, veluti κά κέ, γά γέ, πάρ περί, τάως τέως, αἴθε εἴθε, ἔνερθα ἔνερθε, ἄνωθα ἄνωθε cett. cett, ὅτα ὅτε, ἄλλοτα ἄλλοτε cett. cett, λεγόμεθα λεγόμεθεν, φερόμεθα φερόμεθεν cett. cett, συνεῖαν συνεῖεν, ἀποτίνοιαν ἀποτίνοιεν cett. cett, ἄβραχεν ἔβραχεν, ἄδειρεν ἔδειρεν cett. cett, ψάω ψέω, ἀποκνάω ἀποκνέω, βαίνω (pro ΒΑΝΙΏ) ex ΒΑΩ et βείω βείομεν βέωμεν ex ΒΕΩ, ζάω vivere = ζέω fervere, κτάομαι κτέομαι κτέαρ, a κτάομαι Dorice ἔγκτᾱσις, a κτέυμαι Dorice ἔγκτησις, χράομαι χρέομαι χρέος χρῆμα optat. Dorice χρείη, πτοάω πτοέω, πονάω πονέω, δινάω δινέω, φωνάω φωνέω, οἰδάω οἰδέω, τολμάω τολμέω, φοιτάω φοιτέω, ἀρτάω ἀρτέω, γελάω γελέω, μυζάω μυζέω, οἰστράω οἰστρέω, πηδάω πηδέω, φυσάω φυσέω, ἀντάω ἀντέω, ὁράω ὁρέω, σταθμάω σταθμέω, ὠνάομαι ὠνέομαι, τεχνάομαι τεχνέυμαι, κνυζάομαι

κνυζέομαι, μωμάομαι μωμέομαι, ποτάομαι ποτέομαι, καυχάομαι καυχέομαι Dorice, ὁμοκλάω ὁμοκλέω, μενοινάω μενοινέω, ἀγαπάω ἀγαπέω, ἀπατάω ἀπατέω, Ionice Aeolice ἐλεάω ἐλεέω, τελευτάω τελευτέω, ἐρωτάω ἐρωτέω, διαιτάομαι διαιτέομαι, μηχανάομαι μηχανέομαι, πιάζω πιέζω, τράπω τρέπω, τάμνω τέμνω, τράφω τρέφω, τράχω τρέχω, στράφω στρέφω, βδάλλω et βδέλλα, βάλλω ζέλλω βέλος βλεῖο ἔβαλεν ἔζελεν, φθαίρω φθείρω = ΦΘΑΡΊΩ ΦΘΕΡΊΩ, φθερῶ et ἐφθάρην, διαφθαρέομαι Ionice, κατακτανέω Ionice = κατακτενῶ, κταίνω κτείνω = ΚΤΑΝΊΩ ΚΤΕΝΊΩ, ἔλαβον et λέβης, κράτος κρέτος Aeolice, κρατέω κρετέω, κράσσων κρέσσων = ΚΡΑΤΊΩΝ ΚΡΕΤΊΩΝ, Τιμοκράτης Τιμοκρέτης, Πολυκράτεια Πολυκρέτεια, ψακάς ψεκάς, φρασί φρεσί, ἄρσην ἔρσην, ἀέρση ἐέρση, ἀρρηφορία ἐρσηφορία, θάρσος θέρσος, σαρμοί θερμοί, ϝάργον ἔργον, Ἀργαδεῖς Ἐργαδεῖς, βάθος βένθος, πάθος πένθος, ἄρκος ἔρκος, γάμμα γέμμα, ἀρνῳδός et ἔρνος (Welcker. Ep. cycl. 1, 361), γαλήνη γελήνη, γαληνός et γελανής, λακάνη λεκάνη, Καλαινώ Κελαινώ, ἀψίαι ἐψίαι, ταρσιά τερσιά, χάραδος χέραδος, ἄτερος ἕτερος, μάγαρον μέγαρον, Μαγαρικός Μεγαρικός, Μάταυρος Μέταυρος, Ἄρχεια Ἔρχεια, Ἀλαεῖς Ἐλεεῖς, Ἄρταμις Ἄρτεμις, Ἀρταμίτιος Ἀρτεμίσιος, Ἀκαδήμεια Ἐκαδήμεια, Δαρδανεύς Δερδενεύς, Λέβαδος (Λεβαδία Λεβαδεύς Λεβάδεια) Λέβεδος, ἴρανες εἴρενες, σκάπαρδος et σκαπέρδα, ῥάφανος ῥέφανος, μέγαθος μέγεθος măgis magnus, βάραθρον βέρεθρον ζέρεθρον, τέραμνος (ἀτέραμνος) τέρεμνος, ἔντασσι ἐόντεσσι, μά μέ, ψίαθος ψίεθος, Πάναμος Πάνεμος, Πρίαμος Πρίεμος, ὕαλος ὕελος, φιάλη φιέλη, ἐπίαλος et ἐπιάλης ἐφέλης, ἱαρός ἱερός, ἐπίαρος ἐφίερος, ἵαραξ ἵεραξ, Ἵαρων Ἵερων, ἱαρεύς ἱερεύς, ἱαρειάσδω ἱερειάζω, ἱαριτεύω cett. cett, κάρκαρον carcer, τέσσαρες τέσσερες, γαλερός et γελαρής, κύπαιρος κύπειρος = ΚΥΠΑΊΡΙΟΣ ΚΥΠΕΊΡΙΟΣ, Ἄπταρα Ἄπτερα, Ἀλέρα Ἐλάρα, utrumque pro Ἀ ΛΑΊΡΑ, ἕταρος sodalis = ἕτερος alter, quod utrumque, ubi quod supra legisti memineris ἅτερος dictum esse pro ἕτερος, ortum esse concedes ex ἍΤΑΡΟΣ, μιαρός μιερός, βριαρός βριερός, σκιαρός σκιερός, χλιαρός χλιερός, φιαρός φιερός, μυσαρός μυσερός, ψαφαρός ψαφερός, Τεύταρος Τεύτερος. Commixta exempla sunt omnium fere dialectorum. Li-

tera ᾰ ubique antiquior est, ε recentior; aliae dialecti in aliis vocabulis ᾰ retinent, in aliis mutant, in aliis utrumque faciunt. Caussae mutationum non omnes facile perspiciuntur; compara modo *φοβερός*, *φέβω*, *φύβος*, *φοβέω* cum *σοβαρός*, *σέβω*, *σόβος*, *σοβέω*; nec *σοβερός* nec *φοβαρός* umquam repperi. Nec *Ὅμᾰρος* repperi; attamen repperi *ὁμαρές*, quod Hesychius interpretatur *ὁμοῦ*, *συμφώνως*; suffixum vero —*ρος* in —*ρης* saepius mutatur. Ab ipso *ὍΜΑΡΟΣ* non mutato suffixo adjectivum *Ὁμάριος* descendit; Iovem *Ὁμάριον* praesidem foederis sui Achivos et Italiotas quosdam coluisse constat appellasseque aedem ejus, in qua magistratus sociatarum civitatium consilia communicarent, *τὸ Ὁμάριον*; quas formas ex *Ὁμαγύριος* noli credere decurtatas. Cfrd. Meineke ad Steph. Byz. s. v. Obsides non *ὁμάρους* sed *ὁμήρους* vocabant Achivi, C. I. Gr. 1, 1542.

Ex *Ὁμάριος* deducitur Boeoticum *Ὅμηρος*; ut *ἕταρος* *ἙΤΆΡΙΟΣ* *ἑταῖρος*, *μάκαρ* *μακάριος* *μακαρία* *μάκαιρα*, *χαρά* *ΧΑΡΊΩ* *χαίρω* Boeotice *χήρω*, sic derivatur *ὍΜΑΡΟΣ* *Ὁμάριος* *ὉΜΑῙΡΟΣ* et *ὍΜΑΙΡΟΣ* Boeotice *Ὅμηρος*. Boeotorum *Ὅμηρος* igitur aliud est, aliud *Ὅμηρος* Ionum, Atticorum, Aeolensium Asianorum, Doriensium; hi formant *ὍΜᾸΡΟΣ* *ὍΜΕΡΟΣ* *Ὅμηρος*, illi *ὍΜᾸΡΟΣ* *Ὁμάριος* *ὉΜΑῙΡΟΣ* et *ὍΜΑΙΡΟΣ* *Ὅμηρος*. Et antiquissimis quidem temporibus procul dubio nec Boeoti una tantum nec reliqui Graeci nominis forma una sunt usi, cujus formas plurimas fuisse videbimus. Alius aliam haud dubie praeoptavit formam, prout fors ferebat; sed postquam reliqui Graeci in forma *Ὅμηρος* acquiescere consueverunt, Boeoti quoque hanc solam adhibuisse videntur, quam inter alias multas et ipsi jam antea formaverant, alia certe ratione quam ceteri Graeci.

Antiquioris autem formae *ὍΜᾸΡΟΣ* litera ᾰ non solum in ε, sed etiam in ῠ mutari potuit. Sic reperiuntur *τέσσαρες* *πέτταρες* *τέσσερες* *πέσσυρες* *πίσυρες*, *βάθος* *βένθος* *βύθος*, *ψαδαρός* *ψαθαρός* *ψαφαρός* *ψαφερός* *ψαθυρός* *ψαδυρός*, *ἄμαδις* *ἄμυδις*, *σκάφος* *σκύφος*, „condălium" *κονδύλιον*, *τραγῳδός* *τρυγῳδός* (Welcker. Ep. cycl. 1, 361), *σάρκες* *σύρκες*, *Βάκχις* *Βύκχις*, *βάνα* *γυνή*, *βανῆκος* *γυναικός*, *βανῆκας* *γυναῖκας*, *γάλα* *γλάγος* et *γλυκύς*, *γλάφω* *γλύφω*, *βράζω* *βρύζω*,

ῥάζω ῥύζω, *ἰάχω ἰύζω*, *ἔμακον ἔμυκον*, *καλινδέω κυλινδέω*, *μαδάω μυδάω*, *σαίρω σύρω* (pro *ΣᾸΡΙ΄Ω ΣῨΡΙ΄Ω*), *ἔβρᾰχεν* et *βρύχω* et *βρῡχάομαι* (pro *ΒΡῨΧΙ΄Ω ΒΡῨΧΙΑ΄ΟΜΑΙ*), *κιναρύζομαι κινυρίζω*, *λάμπω* et *Ὄλυμπος*. Ut *ψαθαρός ψαθυρός*, sic pro *ὉΜᾸΡΟΣ* esse potest *ὉΜῨΡΟΣ*. Pertinet autem mutatio aliarum vocalium in *ῠ* ad Aeolicam maxime dialectum. Aeolicam si nostro vocabulo adhibemus *ψίλωσιν*, habemus *ὍΜΥΡΟΣ*. Cum spiritu *ο* initiale non vertitur Aeolice in *υ*, quoniam secundae syllabae vocalis Aeolice in *υ* transiit. Dicitur Aeolice *ὅμοιος ὕμοιος*, *ὀμφαλός ὕμφαλος*, *Ὄλυμπος Ὕλυμπος*, *Ὀδυσσεύς Ὑδύσσευς*; contra *ὄνομα* Aeolice non dicitur *ὕνυμα*, sed *ὄνυμα*, *ἅμαδις* non *ὕμυδις*, sed *ἄμυδις*. Inter terminationes porro —*ρος* et —*ρης*, *ρητος* nihil interest, quod hac in re debeat respici. Cfr. *πλάνος πλάνης πλάνητος*, *ἀργός ἀργής ἀργῆτος*, *γυμνός γυμνής γυμνῆτος*, *φάλος* et *φαλλός* (pro *ΦΑ΄ΛΙΟΣ*) *φάλης φάλητος*, *Θαλίος* (a *θάλος*) *Θάλλος* (pro *Θαλίος*) *Θάλης Θάλητος*, *ἠπίαλος ἠπιάλης ἠπιάλητος*, *Ἐπίαλος Ἐπιάλης Ἐπιά̆λητος*, *κοῦρος κούρητες*, *βροτός* et (a *ΒΡΟΤΗ΄Σ ΒΡΟΤΗ͂ΤΟΣ*) *βροτήσιος*, *Κνάκαλος* et (a *ΚΝΑΚΑ΄ΛΗΣ ΚΝΑΚΑ΄ΛΗΤΟΣ*) *Κνακαλησία*, *μάσθλη* et *μάσθλης μάσθλητος*, *πότος ποτής ποτῆτος*, *γλοιός γλοίης γλοίητος*, *Πύρρος Πύρης Πύρητος*, quibuscum conferas *Πύρρανδρος Πύρανδρος*, *Πύρρων Πύρρωνος Πύρων Πύρωνος*, *Κῦνος Κύνης Κύνητος*, *Κόρος Κόρης Κόρητος*, *Κεφαλή* et *Κέφαλος Κεφάλης Κεφάλητος*, *Ἀκέλη* et *Ἄκελος Ἀκέλης Ἀκέλητος*, *Κάβαρος Καβάρης Καβάρητος*, *Ὕπερος Ὑπέρης Ὑπέρητος*. Sic transformantibus nobis ex *ὍΜΥΡΟΣ* nomen jam emergit *Ὀμύρητος* Aeolensis illius, quem a Cumaeis inter Homeri majores numeratum esse vita Pseudoherodotea cap. 1 narrat, cujus stemma Homericum exhibui Diss. I p. 160. Fides sane nec huic nec similibus aliis de Homeri genere Cumaeorum commentis habenda est; verumtamen latere intelligis in hac quidem genealogia Homeri aliquid veri; Homeri enim atavus qui dicitur *Ὀμύρης*, ejus nomen certe cum Homero cohaeret; utriusque enim idem est nomen.

Vocabuli *ὁμοῦ* quae radix est *ὁμ*—, ejus antiquiorem formam esse constat *ἀμ*—, unde *ἅμα*, *ἄμυδις*, *ἅμιλλα*, an-

tiquissimam *θαμ* —, unde *θαμά*, *θαμίζω*, *θαμέες*, *θαμειός*, *θαμινός*, *θάμνος*. Pro *῞ΟΜΑΡΟΣ* *῞ΟΜΥΡΟΣ* igitur antiquiores formae sunt ex *ἁμ* — *῞ΑΜΑΡΟΣ* *῞ΑΜΥΡΟΣ* et Aeolice *῎Αμυρος*, ex *θαμ* — *ΘΑ'ΜΑΡΟΣ* *Θάμυρος*; reperitur adjective *θάμυρος*, quod pro *θαμινός* dictum esse tradunt, et *Θάμυρος* nomen hominis Stat. Thebaid. 12, 741, et *῎Αμυρος*, quod nomen est Thessalicae urbis ad Ossam sitae. Dictam eam esse patet *῎Αμυρον*, quod congregationis locus vel caussa videretur urbs esse. Pro *῞ΟΜΑΡΟΣ* porro dici posse indicavi *Ὁμάριος* ut *ἕταρος* *῾ΕΤΑ'ΡΙΟΣ* *ἑταῖρος*. Pro *῎Αμυρος* igitur est *᾿ΑΜΥ'ΡΙΟΣ* et (pro *᾿ΑΜΥΡΙΟΣ*) *῎Αμυρις*, pro *Θάμυρος* *ΘΑΜΥ'ΡΙΟΣ* et *Θάμυρις*. Reperitur *῎Αμυρις* et *Θάμυρις* et appellative *θάμυρις*. Appellativum *θάμυρις* Hesychius interpretatur *πανήγυρις*, *σύνοδος*, *ἢ πυκνότης τινῶν*. Utramque formam in nomine proprio ejusdem hominis occurrere, qui *Θάμυρις* et *῎Αμυρις* vocatus sit, Welckerum monuisse supra rettuli. Alius *Θάμυρις* poëta ille vetustus est, quem „consertorem“ rectissime dici apparet. A *Θάμυρις* *Θάμυρος* descendit verbum *θαμυρίζω*, quod reperitur; Hesychius *θαμυρίζει* interpretatur *ἀθροίζει*, *συνάγει*.

Suffixum — *ρος* in — *ρας* transformari potest. Pro *Θάμυρος* igitur dici potest *Θαμύρας*. Quod reperitur. Idem ille poëta qui *Θάμυρις* audit *Θαμύρας*. Ionicam vero *ψίλωσιν* si adhibes, ut *θαργήλιος* *ταργήλιος*, sic pro *Θαμύρας* est *Ταμύρας*. Quod reperitur. Sicut Cumaei Aeolice vocabulum conformantes Homeri aliquem atavum *᾿Ομύρητα* vocabant, ita Ionice conformantes alii, qui Iones procul dubio erant, patrem Homeri vocabant *Ταμύραν*. Vide Certamin. cap. 2.

Non solum *Ταμύρας* et *Ομύρης* in majoribus Homeri numerati sunt, sed etiam *Θάμυρις* poëta ille vetustissimus. Suidas *Θάμυρις*, *ἢ Θαμύρας*, *Θρᾷξ*, *ἐξ ᾿Ηδωνῶν τῆς ἐν Βρίγοις πόλεως*, *υἱὸς Φιλάμμωνος καὶ ᾿Αρσινόης*, *ἐποποιὸς ὄγδοος πρὸ ῾Ομήρου· κατὰ δ' ἄλλους πέμπτος· οἱ δὲ ἀπὸ ᾿Οδρύσης. οὗτος ὁ Θάμυρις ἐπειδὴ εἰς τὰς Μούσας ὕβρισεν, ἐπηρώθη.* Rem narrat ipse Homerus *B* 594 seqq: *καὶ Πτελεὸν καὶ ῞Ελος καὶ Δώριον, ἔνθα τε μοῦσαι | ἀντόμεναι Θάμυριν τὸν Θρήικα παῦσαν ἀοιδῆς, | Οἰχαλίηθεν ἰόντα παρ' Εὐρύτου Οἰχαλιῆος· | στεῦτο γὰρ εὐχόμενος νικησέμεν, εἴ περ ἂν αὐταί |*

μοῦσαι ἀείδοιεν, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο· | αἱ δὲ χολωσάμεναι πηρὸν θέσαν, αὐτὰρ ἀοιδὴν | θεσπεσίην ἀφέλοντο καὶ ἐκλέλαθον κιθαριστύν.

Thraces natione fuisse dicuntur non pauci Graecorum poëtae antiquissimi. Quibus e poëtis Thraciis ut unus Thamyris inter Homeri majores numeraretur, tantum afuit, ut plerosque illos nominatos videamus in variis Homeri genealogiis Diss. 1 p. 159 sqq digestis: praeter Thamyridem Linum, Musaeum, Orpheum, Philammonem. Praeterea alia quoque nomina in stemmatis Homeri obvia Thraciam spectant: Aethusa illa, quae *Θρᾷσσα* fuisse dicitur a Charace, Pierus, ejus uxor Methone, Oeager, ejus uxor Calliope, *Ὄρτης*, quod nomen pro *Ὄτρυς* mendose positum esse Welcker Ep. cycl. p. 149 dicit, *Δρής*, quod Macedonice esse pro *Θρῇξ* Welcker observavit, *Δωρίων*, quod non cum Welckero l. c. ad Dorienses refero, sed ad urbem *Δώριον*, ad quam Homerus loco modo proposito memorat Thamyridem a Musis esse punitum. De eadem urbe in epit. Steph. Byz. s. v. *Δώριον*, unde Meineke mutilum Stephani ipsius locum supplevit, leguntur haec: *Δοσίθεος ἐν αὐτῇ* (Mein. *ταύτῃ*) *τῇ πόλει φησὶν ὑπὸ Θαμύρα εὑρεθῆναι τὴν Δώριον ἁρμονίαν.* Quod non tam inepte dictum est, quam primo aspectu videtur dictum esse. Nam Doriensium ipsorum et origines et nomen arctissime cohaerere cum Thracibus vel ea docent, quae Herodotus 1, 56 narrat, habitasse olim Dorienses in Phthiotide Deucalione regnante, Doro dein regnante in Histiaeotide ad Ossam et Olympum, dein ad Pindum montem, ubi Macedones vocati fuerint, postea in Dryopide, unde in Peloponnesum devenerint. Quod vero Hesiodus teste Oro apud Steph. Byz. *Δώτιον* tradidisse fertur, non ad Dorium urbem, ut Homerus, sed in Dotio campo Thamyrin a Musis punitum esse, qua de re videas Meinekii annotationem ad Stephani locum indicatum et Marckscheffelium fr. Hesiod. 267, id in nostra quaestione nihil refert.

Fictas esse Homeri genealogias supra monui. Thracia vero nomina illa in eas non recenti memoria illata esse, testimoniis veterum scriptorum docemur, qui logographos jam nonnulla in stemmatis suis Homeri exhibuisse diserte testantur. De Musaeo enim ad Damastem (Diss. 1 p. 163) provocant, de

Orpheo et Dorione ad Hellanicum, Pherecydem, Damastem (Diss. 1 p. 156—159. 163). Nec equidem nego, suo jure a Thracum maxime vatibus celeberrimis Graecos derivasse stirpem Homeri; nam, ut ingenue fatear, recte mihi et Homerica poësis et genus sive unius illius Homeri, si is fuit, sive poëtarum illorum complurium, quibus Ilias et Odyssea debeantur, a Thracibus derivari videtur.

Haec opinio iis, quae de Attica Homericae poëseos origine exposui, minime refragatur. Thraces enim, de quibus agitur, non sunt barbari isti, qui regiones orientem versus a Macedonia sitas habitabant, sed eorum cognati Thraces illi, qui vetustissimis jam temporibus e Thracia proprie dicta in Graeciam immigraverunt. Ab his compluribus in Graeciae regionibus quum omnis cultioris vitae morumque politiorum tum poëseos maxime repetebant initia. Mox vero ita coaluerunt cum reliquis tractuum quos habitabant incolis, nomen eorum ipsum ut evanesceret. Sic Thraces habitasse constat in Thessaliae Macedoniaeque confinio Olympum inter et Pierum montes. Sita ibi est Methone urbs, cujus heroina ἐπώνυμος in majoribus recensetur Homeri. Ex ea regione Thraces primum ad Othryn montem pervenisse videntur, quippe qui Odrysarum nomen refert. Vicina est Phocis cum Delphorum urbe Parnassoque monte, ubi Thracum sedes fuisse notissimum. Caput regni Daulis oppidum fuit. Daulide in eam Boeotiae partem, quae meridiem spectat, trajecerunt Thraces, consederuntque circa Heliconem montem; Lebadeam, Nysam, Thisben, Thespias, Ascram tenuerunt. Hinc in Atticam pervenisse censendi sunt; habitasse enim in Attica quoque Thraces extra dubium positum est, et in ea quidem Atticae parte, quae occidentem spectat Thespiisque maxime vicina est. Ibi Eleusinem possedisse cumque Eleusiniis contra Erechtheum regem Atheniensium pugnasse traduntur; Eleusinius ipse Musaeus ille dicitur fuisse vates Thracius, quem inter Homeri majores Damastes et Gorgias (Diss. 1 p. 113) numeraverunt; Eumolpus vero Eleusinius, a quo sacra repetebantur Eleusinia genusque Eumolpidarum, Thrax fuisse narratur, Musaei poëtae filius. Vide, si tanti est, Suidam s. vv. *Εὔμολπος*, *Εὐμολπίδαι*, *Μουσαῖος Ἐλευσίνιος* et quos locos ad eas voces

indicaverunt interpretes. Neque vero cum solis Eleusiniis, sed etiam cum incolis ipsarum Athenarum coaluisse Atticos Thraces indicio sunt fabulae de Pandione Pandionisque filiabus Tereoque Thrace Daulidis rege, de quibus videndi Thucydides 2, 29 ejusque interpretes.

Ab his Atticis Thracibus initia Homericae poëseos repetenda esse duco genusque et nomen ipsum Homeri, unum sive credas fuisse Iliadis atque Odysseae auctorem cui nomen proprium fuerit Homeri, sive complures sub eo nomine comprehensos esse poëtas tibi persuadeas.

Pleraque poëseos genera apud Graecos nata esse e religionibus cognitum est, multisque gentibus, ex quibus poëtae insignes fuerunt oriundi, rationes intercessisse intimas cum certorum deorum fanis vetustis; poëtas ad poësin exercendam a templis deorum profectos esse dicas. Thraces Atticos jam quoniam Eleusine potissimum consedisse certum est, Homericae poëseos incunabula ad Eleusiniae Cereris templum quaerere in proclivi esse videtur; praesertim quum Musaeus vates, a quo Homeri genus ducitur, Eleusinius fuisse paterque Eumolpi plurimorum tradatur testimoniis. Requirit autem ea res altiorem indagationem quam quae hoc loco absolvi queat. Idem de rationibus valet, quas inter Homericam poësin et Dionysum deum obtinuisse conjicias; hunc enim Thraces insigni religione coluerunt. Paucis vero de Musis agi potest, quae numina a Thracibus in Graeciam introducta omnique tempore in Olympo et in Helicone montibus, quos a Thracibus occupatos fuisse monui, maxime culta esse constat. Qui cultus Musarum insignis arctissime cohaeret cum virtute poëtica Thracibus illis innata atque insita. Jam vero primas Musarum scis in carminibus Homericis esse partes, utpote quibus omnem narrandi facultatem et copiam deberi Homerus praedicet. Id Thraciam sapere originem apparet; eo enim tempore, quo Ilias et Odyssea factae sunt, alios Graeciae populos praeter eos, quibus Thraces admixti fuerunt, Musas coluisse vix credibile est.

Musarum partes ut in Homericis carminibus, ita in Hesiodeis quoque sunt. Qua re non infringuntur quae dixi, sed confirmantur. Nam Hesiodeae quoque poëseos origines a

Thracibus repetendae sunt, a Boeoticis puta, non ab Atticis. Sive enim Ascram Hesiodi patriam esse credas: Ascram Thracum fuisse monuimus; sive Cumis oriundus ille tibi videatur: jam pridem reputes demonstratum esse a viris doctis, quorum unum laudasse Odofredum Muellerum satis habeo in libro de Minyis scripto p. 379 edit. 2, Aeolenses eos, qui Lesbum et Cumas et reliquam Aeolidem occupaverunt, ex ipsa Boeotica Thracia admixtis quum aliis multis Boeoticis stirpibus tum ipsorum Thracum agmine in Asiam esse profectos. Poëtas Thracios agmini interfuisse vel fabula notissima docet de Orphei capite et lyra undis ad Lesbum insulam appulsis; Cumis vero partem eorum poëtarum consedisse ipsae jam illae narrationes de Hesiodo Cumis docent oriundo. Recte igitur etiam hoc factum esse vides, quod in genealogiis illis Diss. 1 p. 159 sq propositis Hesiodus et Homerus patrueles nuncupati sunt; Thraces enim Attici, a quibus Homerus descendit, pro fratribus sunt Boeoticorum Thracum.

Quae vero aemulatio atque rivalitas inter cognatos maxime vicinos obtinere solet, eam inter Homericas quoque Musas obtinuisse invenio atque Hesiodeas. Duo enim quum essent montes Musarum cultu insignes, Olympus et Helicon, Hesiodus Musas mox Heliconias vocavit, mox Olympias; contra Homerus spreto Boeotiae monte sacro Olympias solas Musas ad partes vocavit. Quid quod nulla Heliconis montis neque in Iliade neque in Odyssea ne mentio quidem est facta? Olympus contra quibus commemoratur innumerabiles videntur loci esse. In Batrachomyomachia, quam belli Persici tempestate a Pigreto Halicarnassensi factam esse narravi, vs. 1 Musae obviae sunt Heliconiae. In fragmentis Cycli, in hymnis, in *παιγνίοις* non sunt; Heliconem montem fieri potest ut memoratum dicas in hymno 21, in quo Neptunus tenere perhibetur *Ἑλικῶνα* et *εὐρείας Αἰγάς*, et in epigrammate 6, in quo idem deus est *εὐρυχόρου μεδέων ἠδὲ ζαθέου Ἑλικῶνος*. His locis videri potest ab imprudentibus inferiorum temporum rhapsodis invectus esse Helicon perperam acceptis verbis *Υ* 404 *Ἑλικώνιον ἀμφὶ ἄνακτα*, quibus Helicensis designatur Neptunus. Possunt autem eodem jure utriusque carminis verba de Helice urbe accipi. Hegesinoi Atthis, ex qua Pausanias 9, 29,

1 versus quattuor profert ad Heliconem montem Ascram sitam esse narrantes, utrum cum Welckero Ep. cycl. 1, 320 pro Homerico carmine habenda sit dubium est. Quae res utut se habeat, studio quodam ut in Iliade ipsa atque Odyssea ita etiam in Homeridarum carminibus Heliconis montis Musarumque ibi habitantium mentionem esse evitatam haud negaveris. Olympus Olympiaeque Musae in Homeridarum carminibus saepius recurrunt. Cujus studii vel odii observationem fore confido ut parvi non aestimes; facit enim ad demonstrandum, neque a Boeotis ipsis neque a Cumaeis Homericae poëseos origines repeti posse. Attica patet Homerum eo adductum esse invidia, ut, quum proprium sibi Athenienses non haberent montem Musis sacrum, Heliconem vicinorum Boeotorum proprium silentio praeterire Olympique solius habere rationem mallet.

Ut in carminibus Homericis M u s a r u m sunt partes, ita in iis n a r r a t i o n i b u s, q u a e p o ë t a m i p s u m s p e c t a n t. Et ea quidem, quae de Calliope ejus matre narrantur, e. g. in Certaminis cap. 2 et in epigrammate Antipatri supra allato, recentiore tempore videntur ficta esse; in atavis illam qui enumerant Homeri, ut auctor stemmatis in Certamine cap. 4 servati, Diss. 1 p. 159 propositi, ad vetustiores fabulas accedere crediderim. A testibus satis antiquis inter Homeri majores relatum esse Musaeum vidimus, qui ipso nomine Musas refert. Maxime autem memorabilem esse duco narrationem eam, quam in Jahnii annalibus 67, 4, 369 tractavi: classem Ionum emigrantium ex Attica in Asiam deductam esse a Musis specie apum indutis. Apum speciem ad Atticam alludere patet; alludit autem ea simul ad Ephesum, quam urbem quum in Asiam pervenissent Iones primam occupasse constat; Ephesiis enim sacra videbatur apum species esse. Musae vero qui factum ut Iones deduxisse fingerentur, nullo modo explicari posset, nisi cognitam haberemus narrationem Atheniensium, Homerum inter Iones ex Attica in Asiam emigrasse. Eam narrationem fabula illa respici in aprico est positum: Iones deduxisse videbantur Musae, quod inter Iones Homerus esset. Quod ubi intellexeris, apum speciem non solum ad Atticam et Ephesum terminos quasi migrationis alludere concedes, sed simul ad Homericum dicendi genus melle suavius fluviumque Meletem.

Hujus enim nomen cum melle et poëseos Homericae suavitate conferre soliti erant Graeci; Smyrnae vero, quae urbs ad Meletem fluvium sita fuit, Homerus quum ex Attica inter Iones in Asiam emigrasset et Atheniensibus ipsis et Aristarcho consedisse videbatur.

Smyrnae, non Athenis confecisse Iliadem atque Odysseam Homerum probabile est. Multa enim indicia reperiuntur, quae in Asiae minoris ora, non in Europa utrumque carmen compositum putare suadeant. Ea indicia, quum veteres non latuissent grammaticos, postea neglecta jacuerunt, donec Robertus Wood natione Anglus quaestionem instauravit. Hujus viri liber in nostram linguam translatus titulo verbis Versuch ueber das Originalgenie des Homers expresso Francofurti ad Moenum prodiit 1773 8vo. Eodem loco 1778 Appendix accessit praefixo titulo Zusaetze und Veraenderungen wodurch sich die neue Ausgabe von Robert Woods Versuch ueber das Originalgenie des Homers von der alten auszeichnet nebst der Vergleichung des alten und gegenwaertigen Zustandes der Landschaft von Troja aus dem Englischen. Multa Woodium speciosius quam verius disputasse hodie neminem fugit; neque enim Villoisoni et Lehrsii beneficiis hodie quibus fruimur doctrinae Homericae copiae Woodio suppeditabant. Eae vero copiae, quamvis sufficiant erroribus Woodii corrigendis, non tamen sufficere videntur accuratiori disquisitioni de ratione, qua Aristarchus aliive grammatici veteres in hoc argumento sese gesserint tractando. Quae quum ita sint, donec nova scholiorum accesserint subsidia, acquiescendum fere videtur esse in eo, ut veteres jam grammaticos adductos esse dicamus, ut in utroque carmine indicia inesse observarent, quibus in Asiae minoris ora occidentali Homerus cecinisse argueretur; atque ejusmodi indiciis Aristarchum esse permotum, ut non Athenis, sed Smyrnae confectum esse utrumque carmen statueret.

Revertendum nunc est ad eos, qui complures utriusque carminis auctores esse sibi persuaserunt. Quorum in partes quicumque discesserit, is fore intelligis pronus ut sit ad diversas diversorum illorum poëtarum patrias temporaque invenienda diversa. Atque exstite-

runt re vera nonnulli, qui tale quid molirentur. Quibus ut morem geramus fieri non potest. Fieri posse concedimus, ut Ilias atque Odyssea e complurium poëtarum carminibus compositae esse videantur; hoc fieri posse, ut diversorum poëtarum diversa tempora diversasve fuisse patrias demonstretur, praefracte negamus. Primum enim argumenta, quibus illi utuntur, ita sunt comparata, ut sibi inter se ipsa adversentur; quam rem si quis accuratius cognoscere velit, inspexisse eum juvabit, quae in Jahnii annalibus adversus Lauerum 67, 3, 261 sq, adversus Gisekium 69, 3, 241—258 disputavi. Accedit observationum series quae Aristarcho debetur; qua hoc certe effici confidimus, ut, quamvis color diversus sit diversarum utriusque carminis partium, tot tantasque proprietates communes esse omnium appareat, ut exceptis iis, quae Aristarchus spuria esse judicavit, omnium partium unam patriam, unam aetatem credere necesse sit. Quae quum ita sint, fore speramus aliquando ut Wolfiani in eo consentiant, poëtas, quorum operae debeantur carmina Iliade atque Odyssea comprehensa, aequales fuisse atque ejusdem patriae.

Cui sententiae quid opponi possit equidem non video. Quid enim, quaeso, obstat, quominus gentem, poëticis solis deditam studiis talem, quales postea apud Colophonios, Chios, reliquos fuisse apparet, Athenis quoque fuisse atque inter Iones Smyrnam emigrasse statuamus? Smyrnae quum consedissent, novata rerum suarum universa condicione ad carminum illos seriem duplicem accessisse condendam dices eorum, ex quibus Ilias et Odyssea composita sint. Quae vero antea Athenis confecissent carmina, ea sensim delituisse censebis, propterea quod novis illis superarentur. Similem condicionem carminum Nibelungos celebrantium fuisse Lachmannus dudum demonstravit; quem refutare quidam frustra conantur. Carmina Lachmann de Nibelungis facta esse docuit inde a vetustissimis temporibus; eam vero carminum seriem, ex qua hoc magnum corpus compositum est, quod hodie manibus tenemus, a variis poëtis confectam esse intra viginti fere annorum spatium ab anno 1190 usque ad annum 1210 p. Chr. porrectum. Quibus carminibus vetustiora illa

omnia tantopere superata sunt, ut horum nullum ad nostra tempora traditum sit.

Inter Iones Athenis si emigrasse tibi persuaseris non unum Homerum, sed sociatos poëtas complures Homericos, hos Smyrnae consedisse universos statuere non licebit; in ipso itinere discessisse eos in duas partes concedes, quarum altera, quum coloniis ab Ionibus occuparentur Cyclades, in Io insula sedem collocaret. Oritur jam quaestio, num forte tertia pars Athenis remanserit scholamque ibi Homericam propagaverit. Quam quaestionem hoc loco movisse satis habeo; qui enim hodie status est caussae, difficillima illa videtur expeditu esse. Hoc solum certum videtur esse, etiam ante Pisistratum, cujus opera effectum est, ut carmina Homerica colligerentur et duplici Iliadis atque Odysseae corpore comprehenderentur, Athenienses Homerum maximo habuisse in honore. Sexaginta fere annis ante collectionem a Pisistrato institutam (quam institutam esse recte suspicantur viri docti tertio quum teneret tyrannidem, quod ab anno 537 a. Chr. n. usque ad 527 fecit) Solon leges quum scriberet Atheniensibus nobilem Homero impendit curam. Rhapsodos is jussit in Panathenaeis Homerica carmina ita canere, ut continua efficeretur recitatio; quae ut efficeretur, non solum alium rhapsodum ab alio excipi necesse erat intervallo facto nullo, sed etiam rhapsodias ita connecti, ut aliquis ordo earum esset vel esse videretur rebus enarratis consentaneus. Sic ordinata rhapsodiarum serie ad quos versus primus desiisset, ab iis versibus alter jussus fuit initium capere; hic tertio excipiendus fuit, quem reliqui eadem secuti sunt ratione. Ita rem a Solone fuisse institutam Diogenes Laertius testatur in vita Solonis lib. 1 § 57, de quo loco varia disputaverunt viri doctissimi, quorum nomina indicata reperies in Duentzeri libello de Homero deque epico cyclo scripto p. 12 sqq. Totus Diogenis locus est hicce: *τά τε Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. μᾶλλον οὖν Σόλων Ὅμηρον ἐφώτισεν ἢ Πεισίστρατος, ὥς φησι Διευχίδας ἐν πέμπτῳ Μεγαρικῶν. ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί· „οἳ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον καὶ τὰ ἑξῆς.* Verbis *ἐξ ὑποβολῆς*

ῥαψῳδεῖσθαι fuerunt qui non recitationem continuam, sed recitationem de scripto factam vel monitore de scripto verba praeeunte censerent indicari. Quorum in partes qui discesserit, is non Pisistrati demum jussu carmina Homerica primum esse literis mandata necesse erit statuat, sed aut Solonis jussu perscripta ea esse, aut ante Solonem jam perscripta fuisse. Verbis vero *ἐξ ὑποβολῆς ῥαψῳδεῖσθαι* complurium sese excipientium recitationem continuam indicari posse vel glossa Hesychii docet: *Ὑποβλήδην· ὑποβάλλων τὸν λόγον πρὶν σιωπῆσαι τὸν λέγοντα. ἄλλοι ὑπολαμβάνων.* Hac autem ratione vocabulum *ὑποβολῆς* in Laertii loco accipiendum esse verba docent quae insequuntur: *οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον.* Sed haec verba genuina esse quidam negaverunt. Quibus obstat locus Suidae s. v. *Ὑποβολή*, quo loco Diogenem exscriptum esse patet: *Ὑποβολή, ὁμοιότης, προσθήκη. Σόλων δὲ τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς ἔγραψε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον, ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον.* Huic difficultati ut succurrerent illi, verba *οἷον — ἐχόμενον* a Suida ipso explicandi caussa adjecta, postea vero e Suida in Diogenem illata esse conjecerunt. Testatur autem Bernhardy doctissimus Suidae interpres sese nullum repperisse hujusmodi contagionis exemplum, quae a Suidae copiolis profecta ad Diogenem permanarit. Quid multa? Vocabulo *ὑποβολῆς* a Laertio neque recitationem de scripto, neque suggestionem de scripto indicari, sed recitationem complurium sese excipientium continuam locumque usque ad verba *μᾶλλον οὖν κτἑ.* integrum esse patet. Quae vero sequuntur, ea pro integris haberi nequeunt. Lacunam esse apparet aut inter *Πεισίστρατος* et *ὥς φησι Διευχίδας*, aut inter *Μεγαρικῶν* et *ἦν δὲ μάλιστα*. His enim verbis *ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτὶ κτἑ.* loci respiciuntur carminum Homericorum, quos aut Solonem aut Pisistratum aut utrumque interpolasse Dieuchidas arguit; cujus interpolationis, ut nunc locus Diogenis legitur, desideratur mentio.

Loci carminum Homericorum illi, quibus Athenae celebrarentur, si quis Atheniensibus invideret, ei deberi videbantur interpolationi ab Atheniensibus profectae. Quam ad insimulationem, quum Athenienses Homerica carmina

disposuisse primos constaret, vix facere poterant invidi quin essent procliviores. Et plerumque quidem interpolationis auctorem Pisistratum perhibebant, utpote qui primus corpora duo Iliadis atque Odysseae constituisset scripta. Neque tamen defuerunt qui Solonem jam hoc fraudis genus exercuisse autumarent. De Salamine insula inter Athenas et Megara sita inde ab eo tempore, quo Dorienses Megara occupaverunt, Megarenses et Athenienses videntur litigasse. Solon effecit, ut ab Atheniensibus Megarenses vi armorum expellerentur ex insula, quam ut ad Athenienses olim pertinuisse demonstraret, in catalogo navium Iliaco post versum *B* 557 *Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας* insinuavisse ferebatur versum 558 *στῆσε δ' ἄγων, ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες*. Alii tamen hanc quoque interpolationem ad Pisistratum referebant; alii Athenienses auctores dixisse satis habebant. Vide Strabon. 9, 394 Eustath. *B* 557 p. 285, 3 et 38 Scholl. Bekk. Bachm. *B* 557 Plutarch. Solon. 10 Aristotel. Rhetor. 1, 15 Diog. Laert. 1, 48 Scholl. Demosth. De falsa legat. § 251 Quinctil. 5, 11. Conf. vit. Pseudoherod. 28. Alexandrini grammatici Aristarchusque versum ambiguum 558 rejecerunt, non quod fama quaedam popularis eum damnaret, sed quod adversaretur aliis Iliadis locis, quos genuinos esse constaret. Vide Strabon. l. c. Eustath. *B* 557 p. 285, 3 scholl. A *Γ* 230 *Δ* 251 Lehrs. Arist. p. 230. 349.

Megarenses Strabo narrat locum catalogi aliter constituisse; *οἱ μὲν δὴ Ἀθηναῖοι*, inquit, *τοιαύτην τινὰ σκήψασθαι μαρτυρίαν παρ' Ὁμήρου δοκοῦσιν, οἱ δὲ Μεγαρεῖς ἀντιπαρῳδῆσαι οὕτως· „Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν νέας, ἔκ τε Πολίχνης | ἔκ τ' Αἰγειρούσσης Νισαίης τε Τριπόδων τε“. ἅ ἐστι χωρία Μεγαρικά, ὧν οἱ Τρίποδες Τριποδίσκιον λέγονται, καθ' ὃ ἡ νῦν ἀγορὰ τῶν Μεγάρων κεῖται.* Cf. Eustath. *B* 557 p. 285, 3. Megarenses scriptores pro patria sua adversus Athenienses disputasse consentaneum est. Atque docet Plutarchus l. c. Solon. 10 et Thes. 20. 32, ita sese gessisse Heream Megarensem, qui Megarica scripsisse videtur. Simile quid procul dubio molitus est Dieuchidas ille, quem ad partes vocavit Laertius loco supra transscripto 1, 57. Namque Megarica Dieuchidam scripsisse quum alii multi tum ipse Laertius

dicit, quorum quintum librum sese illo respicere loco ait, Megarensem vero Dieuchidam fuisse natione et per se probabile est et confirmatur diserto Clementis Alex. 6 p. 267 Sylb. testimonio; denique locus Iliadis, qui verbis ἦν δὲ μάλιστα τὰ ἔπη ταυτί· „οἱ δ' ἄρ' Ἀθήνας εἶχον καὶ τὰ ἑξῆς indicatur, *B* 546—556, laudes sane Atheniensium exhibet quam maximas. Tetigimus hunc Iliadis locum in Diss. I p. 108. 146. 149; vidimus summopere Athenienses laudibus gloriatos esse, quibus Homerus ibi extollit eos; proposui Herodoti narrationem 7, 161 et epigramma allatum ab Aeschine Ctesiphont. 185, quocum loco conferas Plutarch. Cimon. 7; Zenodotum rettuli teste Aristonico versus *B* 553—55 pro spuriis habuisse, Aristarchum pro genuinis. Totum locum jam intelligis inde a versu 546 Dieuchidae visum esse ab Atheniensibus interpolatum. Qui vero factum est, ut hunc potissimum locum interpolatum esse ab Atheniensibus Dieuchidas pronunciaret, quum Megarensium praecipue hoc interesset, versus de Ajace Salaminio ad Atticarum interpolationum genus referre? Ad eam quaestionem facile respondebis, ubi locum de gloria Atheniensium *B* 546—556 continuari memineris versibus de Ajace 557. 558. Hos de Ajace versus illa versuum de Atheniensium gloria athetesi una Dieuchidas comprehendit; pro versibus de Ajace Atticis Megaricos illos, quos Strabo servavit, in Iliade reponendos esse autumavit. Utrum vero interpolationis insimularit, Solonem an Pisistratum, prorsus incertum est. Quodsi lacunam esse dixeris ante ἦν δὲ μάλιστα, Solonem laudasse, Pisistratum videbitur vituperasse, quod Iliadem interpolasset; sin vero lacunam quaesiveris ante ὥς φησι, quod facere licet, Solonemne an Pisistratum accusaverit Dieuchidas, nullo modo dijudicari poterit.

Redeamus ad priorem loci partem. Cujus interpretationem illam, quam supra defendi, etiam ea rectam esse docent, quae in Hipparcho narrantur dialogo Platonis nomine inscripto. Cujus auctor Socratem facit Hipparchi, Pisistrati filii laudes celebrantem, sapientiam, comitatem, studia poëtica. In viis publicis Socrates hermas illum constituisse dicit medias inter urbem et singulos demos, quibus versus insculpti sint ab ipso facti; Anacreontem Teium et Simonidem Ceum

clarissimos poëtas in urbem illum ascivisse alterumque eorum, Simonidem, apud sese retinuisse magna mercede conductum; Homeri carmina illum primum in Atticam transtulisse canendaque secundum ordinem curavisse in Panathenaeis. De Homero quibus agit verba sunt haec: *πολίτῃ μὲν ἐμῷ τε καὶ σῷ* (intell. *πειθόμενος*) *Πεισιστράτου δὲ υἱεῖ τοῦ ἐκ Φιλαϊδῶν, Ἱππάρχῳ, ὃς τῶν Πεισιστράτου παίδων ἦν πρεσβύτατος καὶ σοφώτατος, ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσιν.* E Platone, siquidem revera Hipparchus dialogus sit Platonis, Aelianus profitetur sese hausisse quae V. h. 8, 2 narrat de Hipparcho. Cujus de curis Homericis haec sunt verba: *οὗτος καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη ἐκόμισε πρῶτος εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς τοῖς Παναθηναίοις αὐτὰ ᾄδειν.* Fidem quominus habeamus narrationi ea impediunt, quae de Homericorum carminum collectione a Pisistrato facta traduntur; atque levissimum esse auctorem dialogi v. c. ea produnt, quae adversus vulgarem de caede Hipparchi opinionem disputat; Aristogitonem nimirum et Harmodium ut Hipparchum interficerent invidia esse adductos autumat, quod adolescens nescio quis Harmodio adamatus intellexisset, hunc atque Aristogitonem sapientia superari ab Hipparcho. Jam cordi fuisse Hipparcho poëtica studia ascivisseque eum Anacreontem et Simonidem in Atticam terram lubenter concedo; Homerum autem asciscere nequivit; is enim dudum aderat. Finxisse fabulam de Homero adscito dialogi auctorem patet ad similitudinem Simonidis et Anacreontis adscitorum; quae vero de rhapsodis addit, quos ab Hipparcho adactos esse ait, ut ordine observato in Panathenaeis carmina recitarent Homerica, ea a Solone ad Hipparchum translata sunt. Quod ubi intellexeris, firmari inde interpretationem eorum concedes, quae Laertius narrat. Ut Hesychius loco supra indicato vocabulum *ὑποβλήδην* vocabulo *ὑπολαμβάνων* exprimit, ita quod Laertius verbis *ἐξ ὑποβολῆς*, prorsus idem verbis *ἐξ ὑπολήψεως* Pseudoplato factum esse indicat. Vocabula *ὑποβολή* et *ὑπόληψις* ordinem spectant canentium; vocabulum *ἐφεξῆς* ordinem carminum consertorum; addit hoc voca-

bulum solus Pseudoplato; sed apud Laertium subaudiri idem necesse est; ridiculus enim canentium est ordo sese excipientium, nisi carmina in eum redacta sint ordinem, ut sese ipsa excipiant.

Solonis certaminum conformatione Pisistratum in componendo carmine utroque summopere esse adjutum nemo est quin videat. Valde tamen erraret, qui sibi persuaderet, Pisistratum hoc solum egisse, ut secundum ordinem, quem sequi Solon jussisset rhapsodos, carmina singula perscriberentur. Pisistratus et ipsum ordinem procul dubio multis locis immutavit, et arctioribus quasi laqueis extrema carmina cum initiis subsequentium colligavit, et aliis quoque locis, qui aperte inter se pugnare viderentur, aut ejiciendo aut addendo carminum prospexit aequalitati. Sive enim carmina diversorum poëtarum arbitreris ea fuisse, ex quibus Iliadem et Odysseam composuit Pisistratus, ab initio maximas inter ea fuisse discrepantias concedes; sive ab uno Homero universa profecta esse statueris, per tot saecula quum memoriter traderentur sejuncta, singulis carminibus ab Homeridis multos additos esse concedes locos interpolatos, qui inter sese atque cum genuinis pugnarent. Hanc igitur inaequalitatem, quam reperiri in carminibus necesse erat, Solon ferre potuit; is enim hoc solum spectabat, ut aliquis ordo esset atque continuatio carminum sejunctorum, quae memoriter recitarentur; at vero Pisistratus, quum literis illa mandaret atque ita connecteret, ut artus quasi essent duorum corporum, ferre non potuit. Hunc igitur latius progredi quam Solonem necesse erat. Rhapsodi autem coacti procul dubio sunt, ut strictiorem ordinem observarent carminum, quem Pisistratus instituisset.

Id si respicimus, non est quod miremur, uno loco ordinis carminum recitando observati non Solonem perhiberi auctorem, sed ipsum Pisistratum. Schol. Pind. Nem. 2, 1 *οἱ δὲ ὅτι κατὰ μέρη πρότερον τῆς ποιήσεως διαδεδομένης τῶν ἀγωνιστῶν ἕκαστος ὅτι βούλοιτο ᾖδε, τοῦ δὲ ἄθλου τοῖς νικῶσιν ἀρνὸς ἀποδεδειγμένου προσαγορευθῆναι τότε μὲν ἀρνῳδούς, αὖθις δὲ ἑκατέρας τῆς ποιήσεως εἰσενεχθείσης τοὺς ἀγωνιστὰς οἷον ἀκουμένους πρὸς ἄλληλα τὰ μέρη καὶ τὴν σύμπασαν ποίησιν ἐπιόντας ῥαψῳδοὺς προσαγορευθῆναι. ταῦτά φησι Διονύσιος ὁ Ἀργεῖος.* Contraria explicatio antecedit: *οἱ δέ*

φασι, τῆς Ὁμήρου ποιήσεως μὴ ὑφ' ἓν συνηγμένης, σποράδην δὲ ἄλλως καὶ κατὰ μέρη διῃρημένης, ὁπότε ῥαψῳδοῖεν αὐτήν, εἱρμῷ τινι καὶ ῥαφῇ παραπλήσιον ποιεῖν, εἰς ἓν αὐτὴν ἄγοντας. οὕτω καὶ ὁ Πίνδαρος εἰσδέδεκται. His verbis ante Pisistratum jam carmina ἐφεξῆς recitata esse indicantur. Solon tamen ne hoc quidem loco respicitur.

Solon carmina Homerica ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς seu ἐξ ὑποβολῆς curare recitanda non potuisset, nisi ante eum jam maximus rhapsodorum numerus in Panathenaeis ea recitare solitus fuisset. Tot vero rhapsodi Homerici si artem exercebant, qui locus erat reliquis poëtis? Praeter Homerum enim quum multos alios poëtas, tum Hesiodum et Archilochum publice a rhapsodis recitatos esse Plato docet Ion. 2 et 3 (Diss. 1 p. 128). De Archilocho, Simonide Amorgino, Empedocle testantur Clearchus, Lysanias, Dicaearchus apud Athen. 14, 12; de Empedocle (Diss. 1 p. 137) accedit testimonium Phavorini apud Diogenem Laertium 8, 63. Xenophanem in suis ipsius carminibus recitandis rhapsodi egisse partes Diog. Laert. 9, 18 narrat (Diss. 1 p. 132 sq). Reliqui igitur poëtae omnes num exclusi erant in Panathenaeis, ut Homerus solus regnaret? Sane, exclusi erant, regnabat solus Homerus, idque sancitum fuit lege, quam ante Solonis jam tempora fuisse constitutam apparet. Lycurg. Leocrat. cap. 26 (Diss. 1 p. 105) βούλομαι δ' ὑμῖν καὶ τὸν Ὅμηρον παρασχέσθαι ἐπαινῶν. οὕτω γὰρ ὑπέλαβον ὑμῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶναι ποιητήν, ὥστε νόμον ἔθεντο καθ' ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψῳδεῖσθαι τὰ ἔπη, ἐπίδειξιν ποιούμενοι πρὸς τοὺς Ἕλληνας ὅτι τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων προῃροῦντο. Postea decretum fuisse ut cum Homericis Choerili carmen publice declamaretur in Panathenaeis vidimus Diss. 1 p. 183.

Homerum audivisse publice recitatum Athenienses antiquitus praeter Panathenaea etiam aliis diebus festis innuere videtur Isocrates Panegyr. cap. 42 (Diss. 1 p. 105) οἶμαι δὲ καὶ τὴν Ὁμήρου ποίησιν μείζω λαβεῖν δόξαν, ὅτι καλῶς τοὺς πολεμήσαντας τοῖς βαρβάροις ἐνεκωμίασε. καὶ διὰ τοῦτο βουληθῆναι τοὺς προγόνους ἡμῶν ἔντιμον αὐτοῦ ποιῆσαι τὴν τέχνην ἔν τε τοῖς τῆς μουσικῆς ἄθλοις καὶ

τῇ παιδεύσει τῶν νεωτέρων, ἵνα πολλάκις ἀκούοντες τῶν ἐπῶν ἐκμανθάνωμεν τὴν ἔχθραν τὴν ὑπάρχουσαν πρὸς αὐτούς, καὶ ζηλοῦντες τὰς ἀρετὰς τῶν στρατευσαμένων τῶν αὐτῶν ἔργων ἐκείνοις ἐπιθυμῶμεν. Huic unus certe qui accuratius loquatur accedit testis, Hesychius. Is s. v. *Βραυρωνίοις* Braurone narrat, in antiquissimo Atticae oppido (fuit enim teste Philochoro ap. Strab. 9, 397 ex antiquis illis duodecim oppidis conditis a Cecrope) sito prope oram maritimam eam, quae orientem spectat, medio fere inter Marathonem loco et Sunium promontorium, Iliadem festo aliquo die publice a rhapsodis esse recitatam. Verba apud Hesychium leguntur haec: *Βραυρωνίοις. τὴν Ἰλιάδα ᾖδον ῥαψῳδοὶ ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς. καὶ Βραυρωνία ἑορτὴ Ἀρτέμιδι Βραυρωνίᾳ ἄγεται καὶ θύεται αἴξ.* Respexisse patet Hesychium vel potius auctorem, ex quo hausit Hesychius, locum alicujus scriptoris veteris, ubi dativo numeri pluralis casu legeretur *Βραυρωνίοις.* Qui locus certe non Aristoph. Lysistr. 646 est, ad quem interpretes lectorem relegant; ibi enim *Βραυρωνίοις* quidem legitur, et sermo est de festo Brauroniorum Dianae acto, sed ad Iliadem a rhapsodis eo die recitatam non alluditur. Immo deperditus est liber, cujus locum Hesychius respexit. Qui si aetatem tulisset, obnoxii fortasse non essemus talibus dubitationibus, quales nunc agitant. Nunc enim ne hoc quidem constat, quo demum festo Ilias Braurone publice sit recitata. Neque enim Dianae festo recitatam esse Hesychius dicit; ex aliis vero veterum scriptorum locis permultis constat, Braurone et Dianae et Baccho maxima cum celebritate festos dies esse actos. Eundem fuisse festum Dianae Brauroniae atque Bacchi diem Odofred. Mueller conjecit Dorienss. 1 p. 380 ed. 1; quae conjectura aliis rationibus quibusdam commendatur, aliis impeditur. Welcker Ep. cycl. 1, 391 ad Dionysia non cunctatus est recitationem Iliadis referre; comparavit enim cum Hesychio locum Athenaei 7, 1. Eo loco dicentem facit scriptor hominem quendam doctum *Κλέαρχος Ἀριστοτέλους μαθητὴς Σολεὺς δὲ τὸ γένος, ἐν τῷ προτέρῳ Περὶ γρίφων (κρατῶ γὰρ καὶ τῆς λέξεως διὰ τὸ σφόδρα μοι εἶναι προσφιλῆ) οὑτωσί πως εἴρηκε· „Φαγήσια, οἱ δὲ Φαγησιπόσια προσαγορεύουσι τὴν ἑορτήν. ἐξέλιπε δὲ*

αὕτη, καθάπερ ἡ τῶν ῥαψῳδῶν, ἣν ἦγον κατὰ τὴν τῶν Διονυσίων· ἐν ῇ παριόντες ἕκαστοι τῷ θεῷ οἷον τιμὴν ἀπετέλουν τὴν ῥαψῳδίαν". ταῦτ' εἶπεν ὁ Κλέαρχος. In vetustis membranis *ἕκαστοι τῶν θεῶν* scriptum esse dicit Schweighaeuser doctissimus Athenaei interpres, in epitome vero Athenaei *ἑκάστοις τῶν θεῶν*; *ἑκάστοις* conjecturae deberi ipsius epitomatoris; cum jam repperisse scriptum *ἕκαστοι τῶν θεῶν*; id quum vitiosum esse intelligeret, non intellexisse eum, vitium non in *ἕκαστοι* latere, sed in *τῶν θεῶν*, proque *τῶν θεῶν* reponendum esse *τῷ θεῷ*. Reposuit Casaubonus; Welcker contra l. c. *ἑκάστῳ τῶν θεῶν* scripsit. De qua correctione, quamvis mira atque adeo incredibilis mihi videatur esse, decertare nunc non attinet. Sed quod dubium esse negat quin Dionysia illa, quibus rhapsodorum sollemnitatem actam esse Clearchus scribat, Brauroniorum fuerint Dionysia, id argumentis impugnari debet. In Chio insula ab Homeridis supra exposui Dionysiorum potissimum festis Homerica recitata videri carmina, factumque inde videri, ut nomen ipsum Homeridarum a Dionysiis repeteretur. Quid igitur obstat, quominus Dionysia illa a rhapsodis celebrata Chiorum Dionysia esse dicamus? Sed ne his quidem finibus continetur conjiciendi licentia. Nam aliae multae fuerunt urbes Dionysii cultu insignes, ad quas rhapsodorum illam sollemnitatem referre possis. Veluti Teiorum Dionysia, ut unum proferam exemplum, insigni cultu celebrata esse constat; ad eandem civitatem quin multi rhapsodi pertinuerint Homerici nullum est dubium; suadent quum alia tum inscriptio Teia in Boeckhii C. I. Gr. 2 no 3088; quidni rhapsodorum illa sollemnitas in Teiorum Dionysiis acta esse possit?

Incaute egisse hoc loco me videri intelligo parumque prospexisse meorum ipsius placitorum probabilitati. Supra enim quum statuerim a Thracibus Atticis origines Homericae poëseos repetendas esse, nunc argumentum sprevisse videor, quo firmari ea possit sententia. A Thracibus omnem Dionysii cultum in Graeciam introductum esse viri docti consentiunt. Quid igitur, si cum Welckero pro certo statuissem, non in Artemisiis, sed in Dionysiis Brauroniorum recitatam esse a rhapsodis Iliadem, quid, quaeso, impedivisset, quominus

Brauronem antiquissimam Homericae poëseos sedem fuisse Dionysiaque Brauroniorum a Thracia eadem poëtarum gente instituta esse dicerem, quae Homerum procrearet? Poteram conferre cum his Brauroniorum Homericorum Dionysiis rationes eas, quae inter Chiorum Homeridas atque Dionysia intercessisse videntur; poteram contendere, eas rationes e summa antiquitate repetitas atque ex Attica ipsa terra et Braurone quidem in Chium insulam translatas esse. Quae sententia procul dubio defendi potest, quamvis hoc certum sit, ad Chios Homericam poësin Smyrna pervenisse, qua in urbe tales rationes inter Homericam poësin et Dionysia intercessisse non traduntur. Neque etiam in animo est, hanc totam sententiam ut falsam rejicere; sed ut nunc res se habet, satis confirmari eam non posse crediderim; ideoque nunc quidem hoc ipsum confirmasse satis habeo, incertam eam esse. Quae de rhapsodorum festo die Clearchus, de Iliade apud Brauronios festo aliquo die a rhapsodis recitata Hesychius tradit, ea ad Brauroniorum Dionysia referri posse non nego; sed necesse non esse intelligo, ut eo referantur; rationes, quae intercessisse videntur inter Chios Homeridas et Dionysia, ex Attica et Braurone quidem repeti posse concedo; sed ubicumque degerent Homerici poëtae, se applicavisse illos video ejus maxime dei cultui, qui in ea civitate, in qua degerent, maxime celebraretur. Sic in Cypro insula Homericos sese accommodasse ad Veneris cultum ex hymnis constat quarto et sexto et decimo et e Cypriorum carmine, in quo Veneris primae fuerunt partes; Chios Homeridas Bacchi maxime cultum celebrasse probabile ducimus; Athenis Minervam praevaluisse certum est, siquidem inter certamina rhapsodorum ibi instituta recitatio in Panathenaeis facta primum tenebat locum. Hymni Homerici Minervam celebrantes exstant duo, numero 11 et 28. Festo die Apollini acto carmina Homerica recitata esse dicuntur in scholiis ad Dionysii Thracis grammaticam Bekk. Ann. 2 p. 769 *ὠνόμασται δὲ* (int: *ἡ ῥαψῳδία*) *ἀπὸ τοῦ ῥάψω μέλλοντος καὶ τοῦ ᾠδή· συνέρραπτον γὰρ τοὺς κατάλληλον διάνοιαν ἀπαρτίζοντας στίχους Ὁμηρικούς, καὶ ἔψαλλον τὸ ἐφαρμόζον μέλος πρὸς τὴν τοῦ Ἀπόλλωνος ἑορτήν. κατεῖχον δὲ καὶ κλάδους δαφνῶν οἱ Ὁμηρίδαι ἐν ταῖς χερσίν, ὅτε τοὺς*

Ὁμηρικοὺς στίχους ἐν τῇ τοῦ Ἀπόλλωνος ἑορτῇ ἔψαλλον. Huic accedit aliud scholium p. 766, in quo haec leguntur: οἱ γὰρ μεθ' Ὅμηρον τὰ αὐτοῦ ποιήματα περιερχόμενοι ᾖδον, ῥάβδον δαφνίνην κατέχοντες, σύμβολον Ἀπολλωνιακόν. De festo Apollinis cogitandum esse Duentzer in libello de Homero et Cyclo epico p. 30 not. 12 negat. Atqui in Delo insula in panegyri Apollini acta Homerica recitata esse carmina ex hymno In Delium Apollinem intelligi Duentzer, opinor, concedet; nec fugere eum potest, Colophonem et Miletum, quibus in urbibus Homerica poësis quam maxime florebat, Apollini totas fuisse dicatas. Accedunt quarto loco Delphi, ubi Homerica carmina publice ad citharam cecinisse primum Stesandrum Samium teste Athenaeo 14, 42 tradidit Timomachus in Cypriacis (Diss. 1 p. 93); atque recitata esse Delphis Homerica carmina admodum antiquis temporibus hymnus In Pythium Apollinem docet. Factus in Apollinem est 21us quoque hymnus, in Musas, Apollinem, Jovem 25^{tus}. Dianam laudant duo Homerici hymni, 9us et 27us. Braurone quod suadeat eos recitatos esse nihil reperitur in iis; Delphorum in altero, 27mo, in altero, 9no, Smyrnae et Colophonis injicitur mentio. Unde non sequitur, Iliadem Braurone in Dionysiis, non in Artemisiis esse recitatam.

Sed recitationem Homericam Braurone institutam ad satis antiqua tempora pertinere Brauronisque oppidi in antiquiore poëseos Homericae historia nobilem esse locum vix negaveris. Etenim Pisistratus, qui Iliadem et Odysseam primus collegit et literis mandavit, et Solon, qui in Panathenaeorum festo rhapsodos primus jussit Homeri carmina ἐξ ὑποβολῆς seu ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς recitare, inter sese cognati, uterque autem e Philaidarum demo oriundus fuisse traduntur, ad quem demum vetustum illud Brauronis oppidum pertinuisse constat; Philaidae vero nomen ducebant a Philaeo Ajacis Salaminii filio, qui Braurone consedisse ferebatur. Vide Scholl. Aristoph. Avv. 873 Suid. s. v. Ἄρκτος ἢ Βραυρωνίοις Steph. Byz. s. v. Φιλαΐδαι, Diog. L. 1, 49 Plutarch. Solon. 1 et 10 Herodot. 6, 35, quorum locorum unum, qui brevi omnia comprehendit, quae huc faciunt, Plutarch. Sol. 10 transscribam. Plutarchus enim, postquam narrationem commemoravit,

qua Solon, ut Atheniensibus vindicaret Salaminem insulam, Iliadi versum *B* 558 interposuisse dicitur, *αὐτοὶ δ' Ἀθηναῖοι*, pergit, *ταῦτα μὲν οἴονται φλυαρίαν εἶναι· τὸν δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, ὅτι Φιλαῖος καὶ Εὐρυσάκης, Αἴαντος υἱοί, Ἀθήνησι πολιτείας μεταλαβόντες, παρέδοσαν τὴν νῆσον* (Salaminem cogita) *αὐτοῖς, καὶ κατῴκησαν ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ· καὶ δῆμον ἐπώνυμον Φιλαίου τῶν Φιλαϊδῶν ἔχουσιν, ὅθεν ἦν Πεισίστρατος.* Quibus argumentis extra dubitationem hoc quidem mihi positum esse videtur, jam ante Pisistrati et Solonis tempora aliquam recitationem Homericam Braurone esse factam; Solonem vero et Pisistratum ut Homero eximiam impenderent curam eo maxime fuisse permotos, quod studia Homerica suo Philaidarum demo essent patria; cui demo patria fuerunt Homerica studia, quia ei cum rebus Troicis Ajacisque imprimis Salaminii stirpe revera aliqua necessitudo nescio quae intercedebat.

Ad Eleusinem, vetustissimam Thracum in Attica sedem, hymnum Homericum illum magnum In Cererem pertinere res ipsa clamat. Nec de ea re quantum scio inter viros doctos ulla est dubitatio. Quaeritur autem, ad quae tempora hymnus ille sit referendus. In Cererem praeterea e minoribus hymnis scriptus est undecimus.

Inter cyclica utrum fuerint carmina Athenis composita non liquet. Suidas in vita Homeri (septima) inter carmina, quae Homero adscribantur, Amazoniam numerat, quam Welckerus Ep. cycl. 1, 313 sqq bellum Amazonum adversus Theseum et Athenienses gestum celebrasse demonstravit. Conjecit vero idem Amazoniae vel Amazoniorum (ita enim suspicatur dicendum esse) carmen non diversum fuisse ab Atthide illa Hegesinoi, quam Pausaniam 9, 29, 1 commemorare dixi. Compluria porro carmina epica Theseidis titulo fuisse inscripta indicare videtur Aristoteles Poët. 4, 14; alii contra scriptores ita loquuntur, quasi una Theseis fuerit; sic e. g. a Plutarcho Thes. 28 excitatur *ὁ τῆς Θησηίδος ποιητής.* Sed ea Theseis vel Theseides illae complures quatenus ad Homericam poësin pertinuerint incertum est; quod idem de Hegesinoi Atthide valebit, si eam ab Amazonia diversam fuisse statueris.

Amazoniam Homericum fuisse carmen atque in Epicum cyclum receptum constat. Sed ea pariter atque reliqua carmina, de quibus agimus, Theseidas dico et Atthidem, qua in civitate confecta sint parum exploratum est. Neque enim ex eo, quod Atticas res poëta cecinit, Atheniensem eum fuisse consequitur. Potuit ille cum Hegia Troezenio, quem supra tetigi, communem habere patriam; potuit esse Cyprius e Salamine, Stasini civis. Nam Salaminii Cypri Atheniensium erant coloni eorumque fabulas domesticas et ipsi habebant patrias; Troezenii vero quam arcta necessitudine conjuncti fuerint cum Atheniensibus non est quod moneam.

Quo necessitudinis vinculo inter Athenienses et Troezenios juncto si quis adducatur, ut Troezenios ab Atheniensibus Homericam poësin accepisse putet, is egregie falletur. Nec melius erit, si quis ex iis, quae supra de Hegia Troezenio Nostorum carmen ab aliquo Colophonio poëta compositum in usum suum convertente scripsi, concludi posse suspicetur, a Colophoniis ad Troezenios Homericam poësin esse translatam. Sed qua via Troezenem Homerus pervenerit longum est exponere; atque etiam longiorem explicationem sibi postularet Eugammon Cyrenensis, cycli Homerici poëta insignis, de quo conferas Welckerum Ep. cycl. 1 p. 311 sqq. Exposui autem de origine Homericorum illorum quae antiquissimis temporibus apud Cyrenenses et apud Troezenios floruerunt studiorum in libro inscripto Ueber die Verbreitung der Homerischen Poësie durch Griechenland; quem ubi satis limatus esse mihi videbitur edam. Quo eodem libro satisfaciam iis promissis, quae leguntur in Jahnii annall. 67, 3 p. 267. 67, 4 p. 384. 405. 67, 6 p. 642.